ALEXII

AURELII PELLICCIA

DE CHRISTIANÆ ECCLESIÆ PRIMÆ, MEDIÆ, ET NOVISSIMÆ ÆTATIS POLITIA.

ALEXII AURELII PELLICCIA

DE CHRISTIANÆ ECCLESIÆ PRIMÆ, MEDIÆ, ET NOVISSIMÆ ÆTATIS

POLITIA

LIBRI SEX DUOBVS TOMIS COMPREHENSI

Quibus accedit TOMUS TERTIUS, *in quo Mantissa quædam, & Dissertationes septem habentur.*

TOMUS I.

Oportet nos cognoscere, quæ Majores nostri fecere, ut nostra pernoscamus.

A. OPPIUS *Comment. de Bello Alexandr.*

NEAPOLI
MDCCLXXVII.
EX OFFICINA MICHAELIS MORELLI.

PUBLICA AUCTORITATE.

LECTORI BENEVOLO.

Ecclesiasticæ Antiquitatis Notitiam, quæ latissime patet, statui ad Nieupoorti exemplum, ea qua potui brevitate, ad compendium conferre. Rem sane in primis operosam sensi; siquidem non exigui operis mihi videbatur tot tantaque capita brevi volumine concludere; eo vel magis quod ea fuit mihi mens, ut non solum primæ Ecclesiæ ætatis, sed mediæ etiam, atque infimæ politiam pertractarem, quod nullus antehac fecerat. Quamquam enim nonnulli nostratum, atque exterorum optimæ notæ Scriptores opus illud aggressi sint, quarto tamen, vel ad summum quinto Sæculo stetit labor, etsi in immensum creverint eorum volumina, ex quibus eadem de caussa parum commodi Ecclesiastici Juvenes, (quos præcipue in præsentiarum spectamus) capere possunt.

Verum cum ejusmodi opere plurimum indigere Ecclesiæ ministros comperirem, ut facili negotio sternerent sibi viam tum ad Patrum Græcorum, atque Latinorum, tum ad Conciliorum, atque Ecclesiasticæ Historiæ intelligentiam; omni enixus sum studio eo perfungi gravi labore, quo illorum utilitati pro virilibus inservirem.

Sex itaque libris per singula capita Ecclesiæ primæ, mediæ, & novissimæ ætatis politiam complexus sum. His accedunt Mantissæ quædam, & septem Dissertationes, in quibus de aliquibus Ecclesiasticæ Antiquitatis capitibus, quæ secunda adhuc egere videntur manu, fusius agam. Ut autem brevitati, cui ante omnia studui, consulerem, a Scriptorum testimoniis κατα λεξιν adlegandis abstinui, eaque dumtaxat ad paginæ

calcem indigitavi , cum nihilominus in textu significantiora Scriptorum verba retinuerim , quæ , ut ab aliis lector secerneret , Italicis , *ut ajunt ,* formis (a caratteri corsivi) *excudere feci . Præterea eam ob rem voces nonnullas* Ecclesiasticas *retinere malui , & stili claritati potius, quam nimiæ elegantiæ studui , ut vel ipsis Ecclesiastici Ordinis candidatis moras nullo negotio facerem ; quod animadvertendum duxi pro morosis quibusdam , atque molliculi palati lectoribus, qui verbis magis, quam re delectantur . Tandem lectores monitos volo ci*tationes *SS. Patrum respondere editionibus Patrum Congregationis S. Mauri , perinde ac aliorum Scriptorum illas recentioribus plerumque editionibus . Deum O. M. itaque bono , quo laboriosum hoc opus suscepi , proposito benedicturum spero . Vale .*

IN-

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

TOMI I.

CAP.

Indicis Tomi I. Finis.

Ad hujus Tomi calcem apponenda erat Iconographica Templi veterum Christianorum Tabula; at cum in ea exibenda quoque erit parva alia figura primæ Ædiculæ nostri Cemeterii Neapolitani; eam ob rem duxi Iconographicam hanc tabulam aliis addere in calce III. Tomi, ubi tabulas omnes simul collectas habes.

Heic omnia, quæ forte irrepſerunt, typographorum ſphalmata, adnotare tempus non vacat; benevolus lector ea per ſe emendabit. Græcas dumtaxat voces repurgare malui, cum in illis luxurietur typographicæ ignorantiæ indoles. Itaque græcarum vocum

ERRATA . . . . SIC . . . CORRIGE.

Pag. 2. Κατηκουμενοι	Κατηχουμενοι
p. 5. Κατηχησης	Κατηχησεις
p. 9. §. VIII.	§. VII.
p. 21. tamen Sæc. v.	tamen Sæc. IV.
p. 46. θίρωροι	θυρωροι
p. 55. *in citation.* (c) *Sect. I, c. 7.*	*Sect. II, c. 9.*
p. 64. quos	quas
p. 76. Μοναςαριων	Μοναςηριων
p. 195. Αμβον	Αμβων
Ibid. Diaconis	Subdiaconis
p. 200. Κιχλιδας	Κιγκλιδας
p. 218. λοπος	λοπας
p. 235. Codex nimirum	Codicem nimirum
p. 237. Μαναιον	Μηναιον
p. 243. λεϊτον	λειτον
p. 245. Χωδωνης	Κωδωνας
p. 371. θυοταν	θυσιαν

LIBER I.

De Ecclesia Christiana.

Ecclesia a Christo condita, *in Episcopo, & Clero, ac omnibus stantibus constituta est*, ut ait Cyprianus (*a*). Episcopus, & Clerus, quibus jus est in administrandis Ecclesiæ rebus, reliquam plebem regunt. Quamobrem de Ecclesiæ Christianæ, velut de bene recteque ordinatæ Reipublicæ, Politia tractaturi, quæ plebs, ac Christianorum cœtus, quæque ejus instituti ratio sit, primum dicemus: deinde de Clero, atque Episcopis, eorumque potestate edisseremus.

SECTIO I.

De Christianorum Cœtu.

Christianæ Plebis duo sunt classes, Catechumenorum prima, quibus minus proprie Christianorum nomen tribuitur, Fidelium τῶν πιστῶν altera, eorum scilicet, qui Baptismum consecuti, Christiano nomine jure gaudent. Primi itaque, qui velut Religionis candidati ad Sacra Mysteria, quibus initiandi erant, se comparabant, Catechumeni appellabantur.

CAPUT I.

De Catechumenis.

Qui a Judæis, vel Ethnicis ad Christianæ Societatis homines transirent, antequam Sacramen-

(*a*) *Epist. 69. Edit. Rigalt.*

tis initiarentur, Κατηχούμενοι *Catechumeni* dicebantur, Latine *Discipuli*, vel *Auditores*, a græco verbo κατηχῶ, quod apud Apostolum (*a*) *prima Religionis elementa docere* significat; hi quippe cum primis Christianæ Relligionis rudimentis erudirentur, *Catechumeni* nomine gaudebant. Græcis itidem ac Latinis nomen illud commune fuit; medio ævo pro *catechumenus*, *catecuminus* legitur (*b*).

§. I.

De Catechumenorum gradibus.

Catechumenorum triplex erat gradus. I. *Audientium*. II. *Substratorum*. III. *Electorum*, sive *Competentium*. Verum quarto Sæculo alicubi duplex dumtaxat *Audientium*, & *Competentium*.

Is, qui vel Episcopo, vel aliis Ecclesiæ ministris spoponderat, se Christo nomen daturum, *Audiens* appellabatur, eique fas erat loca Sacra Christianorum introire, lectionem Scripturarum, & Episcopi Conciones audire (*c*). Cum autem eo tempore, quo is inter *Audientes* versabatur, morum honestate Episcopum sui propositi certiorem reddidisset, ejus judicio, ad *Substratorum* classem transibat. His id nominis factum, eo quod, expleta Episcopi concione, flexis genibus excipiebant manus impositiones ministrorum Ecclesiæ, qui cum illud agerent conceptis precibus pro iis orabant, quibus & fideles adprecabantur ea voce *Amen*. Tandem cum post paucos dies Sacramento Baptismatis initiandi forent, *Competentes* di-

(*a*) *I. ad Corint. cap.* 14.

(*b*) *V. Du-Cange in hac voce.*

(*c*) *Tertullian. l. de Pœnitent.*, *Cypr. Epist.* 13. & 24., *Collat. Carthag. cum Donatist. c.* 197.

dicebantur, vel φωτιζόμενοι inter Græcos, h. e., *illuminandi*, Baptismus quippe Φωτισμός, vel Φώτισμα *Illuminatio*, *Lumen* iis dicitur (*a*). Is erat postremus Catechumenorum gradus, in quo dum versabantur *Christianorum* nomine quandoque gaudebant (*b*). Quin & in Ecclesia Hierosolymitana Πιστοί, *fideles* appellari solebant quarto adhuc sæculo (*c*).

§. II.

Quonam ritu Judæi, vel Pagani inter Catechumenos recensebantur.

Cum igitur aliquis in *Catechumenorum* classem cooptari vellet, Episcopum, vel Presbyterum, aut Diaconum adibat, a quo primum *solemniter designatus erat* (*d*), eum scilicet signo Crucis manu signabat Ecclesiæ minister: mox ei summa Fidei ac Legis capita exponebat, ac demum eum sciscitabatur *an hæc crederet*, *atque observare desideraret* (*e*), qui cum assentiretur, *catechumenus* habebatur.

Vel privatim, vel publice catechumenus fiebat, si publice a Presbyteris, clericis, patrinis etiam, & matrinis tantum *in fronte* olim signabatur (*f*). Dein *in* *fron-*

(*a*) *Apud Cyrill. Hierosolym. in Procatech. Gregor. Naz. Orat. in S. Lum.*, *Conc. Laodic. c.* 46.

(*b*) *Conc. Illiberit. c.* 59., *V. Salmasium in Not. ad Sever. Suplic. in vita S. Martini.*

(*c*) *In Cyrilli Hieros. Catechesib. Catech. I. n.* 11., *V. n.* 1., *& VI. n.* 29. *Edit. Paris. P. Touttèe.*

(*d*) *S. August. de Catechizand. Rudib. c.* 26.

(*e*) *Id. ibid.*

(*f*) *Passim Patres, Rituale Ambros. Vetus, & Laudunen.*

fronte, *&* *corde* in Galliis potissimum (*a*). Quandoque *in oculis*, *in auribus*, *in naribus & in corde* (*b*). Alibi etiam in *scapulis*, *& in ore* (*c*). Episcopus inde manus ei imponebat (*d*); Manuum impositionem pro more preces comitabantur, ut *signo crucis & oratione manus impositionis santificarentur* (*e*).

§. III.

Catechumeni qua methodo, & a quibus instituti.

Catechumenis consulebat Episcopus, ne Relligionis, quam suscepturi erant, rationem ignorarent; hinc eos instituendos tradebat uni ex Ecclesiæ ministris, a quo Fidei primordia, ac morum regulas ediscerent. Percelebris olim fuit Alexandriæ Catechumenorum schola, in qua clarissimi viri Pantenus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, aliique versati sunt (*f*). Catechumenorum præceptor aliquando Diaconus erat (*g*); plerumque vero e minoribus Clericis, veluti e *Lectorum* classe, isque *Audientium Doctor* appellabatur (*h*). Ipsis tamen laicis cum moribus, ac sapientia præstarent, munus illud delatum videtur; Origenes quippe laicus octodecim annis natus Alexandrinæ Catechu-

---

(*a*) *Antiq. Liturg. Gallic. apud Mabill. Mus. Ital.* c. 1. = *Alcuin. Epist. ad Car. Magn. de Baptismo*,
(*b*) *Missale Gothic. edit. a Thomasio.*
(*c*) *Conc. Colonien.*
(*d*) *Sulpic. Sever. Vita S. Mart. Dial.* 2. *c.* 5., *Conc. Arelat.* I. *c.* 6., *Eliberit. c.* 39.
(*e*) *August. l.* 2. *de Peccator. merit. c.* 26.
(*f*) *Euseb. Pamph. Hist. Ecclesiast. l.* 6. *c.* 5. 10. *&* 23.
(*g*) *August. libro de Catechiz. Rudib.*
(*h*) *Cyprian. Epist.* 24.

chumenorum Scholæ præfuit. Verum medio ævo inter primas Constantinopolitanæ Ecclesiæ *dignitates* munus illud refertur του Κατηχητου nomine, quod *Institutor* latine a Miscella, & Anastasio redditur (*a*). Ejusmodi autem Doctores singulis diebus domi plerumque (*b*) eorum prælectiones recitabant; quas græci Patres Κατηχησεις nuncuparunt. Illi ex sugestu dicebant, circum erant catechumeni. Animadvertendum tamen Κατηχησεις quandoque dici etiam conciones fidelibus ab Episcopo habitas de sanctioribus Fidei mysteriis, quare Cyrillus Hierosolymitanus ait, ne quæ fideles in Κατηχησει audierant, catechumenis dicerent (*c*). Cum autem Catechumenorum Præceptor eorum institutioni consuleret, quibusdam verborum involucris Sanctiora Fidei mysteria tegebat, ne si illi mutato consilio ad Ethnicos iterum redirent, penitissimam Religionis doctrinam iis aperirent (*d*). Cum itaque *Jesus non* adhuc *se credidisset eis* (*e*), Catechumeni expertes erant mysteriorum *Baptismi* (*f*) *Confirmationis* (*g*) *Sacræ Ordinationis* (*h*) aliorumque Sacramentorum, quæ iis præsentibus nefas erat ministrare. *Trinitatis* mysterio nonnisi *Competentes* edocti, uti & Symbolo, atque Oratione Dominica, quæ paucis ante Baptismum diebus eis *tradebantur*. Hinc

A 3

(*a*) *Apud Du Cang. in Catalogo Dignit. in Append. ad Constantinop. Christian.*

(*b*) *V. Huetium in Origenian. l.* 1. *c.* 1.

(*c*) *Catech. VI. n.* 7.

(*d*) *Chrysostom. Hom.*27. *in Matth.*, *Hom.*40.*in I.ad Conrit.* = *Gaudentius Brixien.serm.*2. *ad Neoph.*, *aliique.*

(*e*) *August. Tractat.*2. *in Johan.*

(*f*) *Cyrill.Alexandr.l.*7. *contr. Jul.*, *Conc.Aurel.c.*19.

(*g*) *Innocentius Papa I. Epist. ad Episcop.Eugubin.*

(*h*) *Conc. Laodicen. c.* 4.

Hinc fideles in publica Psalmodia, cui & Catechumeni intererant, Symbolum, & Orationem Dominicam *secreto*, voce plane remissa, recitabant; quare nostris adhuc temporibus in *horarum canonicarum* publica *recitatione*, Symbolum, & Dominicam Orationem *secreto* dicimus.

§. IV.

De Tempore Catechumenatus.

Antiquiores Ecclesiæ Patres *curabant ut Catechumeni longo tempore in Ecclesiis versarentur, ut audirent scripturas* (*a*). Verum pro morum ratione, Episcopi judicio, & Ecclesiarum diversitate non idem temporis spatium ubique Ecclesiarum Catechumenis præstitutum erat. Plerumque *biennio* (*b*) vel *triennio* in *Catechumenatu* erant (*c*), quod passim penes Græcos obtinuit. Contra ea aliquando quadraginta, vel etiam septem dierum spatio aliquis inter Catechumenos versatus est (*d*). Cum iis vero, qui *catechumenatus* tempore crimen aliquod patrassent, dies proferri solebat, eos nempe pro errati ratione cum publicis pœnitentibus statuto tempore pœnam luere oportebat (*e*), qui si nihilominus vitiis indulgerent, Episcopi judicio catechumenorum albo expungebantur (*f*).

§. V.

(*a*) *Conc. Constantinop. I. c.* 7.

(*b*) *Conc. Eliberit. c.* 3.

(*c*) *Constitut. Apostol. l.* 8. *c.* 39. = *Novell. Justin.* 144.

(*d*) *S. Greg. Papæ I. Epist. l.* 7. *Epist.* 24. = *Socrat. Hist. Eccl. l.* 7. *c.*30.

(*e*) *Conc. Nicæn. I. c.* 14., *Eliberit. c.* 11. *Neocæsaraen c.* 5. (*f*) *Conc. Neocæs. c.* 5.

§. V.

De Catechumenorum Muneribus.

Catechumenorum munia alia privata, alia publica erant: vel enim domi continuis precibus, jejuniis, cupiditatibus cohibendis, egenis sublevandis vacabant (*a*): vel Sacris Christianorum intererant, Psalmos canebant cum ceteris fidelibus, Scripturarum lectionem, & Episcopi concionem audiebant (*b*). Absoluto Episcopi sermone *Diaconus ascendens altum aliquem locum* (cujusmodi erat Αμβων Græcis, Latinis *Pulpitum*) ajebat: *Ne quis auditorum, ne quis infidelium*. (Infideles sane, ac primi ordinis Catechumeni, h. e., *Audientes* cum Episcopus catechesi finem fecerat, Ecclesia abire jubebantur). Et imperato silentio, *substratis, & Competentibus*, qui in Ecclesia constiterant, dicebat: *Catechumeni orate, & omnes fideles orent*. Mox Diaconus preces quasdam pro illis agebat, quibus fideles adprecabantur formula *Domine miserere*, ac tandem ut se *erigerent* iis imperabat; aderant enim vel flexo genu præsertim inter Latinos, vel fronte incurvo pro Græcorum more. Iis elatis iterum ajebat: *Inclinamini, & benedictionem accipite*, cum illis interea Episcopus benediceret. His peractis Diaconus eos dimittebat: *Ite catechumeni in pace*; hinc ea Liturgiæ pars, quæ hisce continetur, Missa catechumenorum appellabatur (*c*).

A 4. §.VI.

(*a*) *Conc. Carthag. IV. c.* 85. = *Constit. Apostol. l.* 7. *c.* 23.

(*b*) *Conc. Carthag. IV. ibid.*

(*c*) *Omnia ex Constitut. Apostolic. l.* 8. *c.* 5.

§. VI.

Qua ratione Catechumeni ad Baptiſmum ſe compararent. Quando Nomen darent. Num illud immutatum. A quibus Catechumenis impoſitum.

Cum autem propius inſtaret Baptiſmi tempus, Catechumeni ſedulo pœnitentiæ operam dabant, cilicio induti (*a*), ac vino (*b*), uxore (*c*), ceteriſque corporis deliciis ſibimet temperabant. Quarta Quadrageſimæ hebdomada inter Latinos (*d*), vel inter Græcos ſecunda (*e*) nomen dabant Epiſcopo, ut Eccleſiaſticis tabellis inſcriberetur (*f*). Catechumeni itaque eorum nomen alio vel Apoſtolorum vel Martyrum, vel tandem aliorum Sanctorum nomine permutabant, (*g*) non in ipſo quidem Baptiſmo, ut noſtra ætate in moribus poſitum videmus, ſed pluribus ante Baptiſmum diebus (*h*). Nomen illis olim Epiſcopus, a quo Baptiſmo initiandi erant (*i*), vel *Suſceptores*, quos Patrinos, vel Matrinas appellamus, imponebant (*k*). Verum ſeptimo Sæculo Parentibus paſſim jus illud

(*a*) *Conſtit. Apoſt. ibid.* (*b*) *Ibid.*
(*c*) *Auguſt. l. De Fide, & Operib. c. 9., S. Cæſar. Serm. 267. in Append. t. 5. Oper. S. Auguſt.*
(*d*) *Auguſt. Serm. 213.*
(*e*) *Cyrill. Hieroſol. in Procatheſi.*
(*f*) *Id. Catech. 3., Auguſt. Serm. 131.*
(*g*) *Socrat. Hiſt. Eccl. l. 7. c. 21., Theodoret. De Curand. Græcor. Affect. Serm. 8.*
(*h*) *Vide Hugon. Menardi Not. ad Sacram. Gregor. pag. 99.*
(*i*) *Vide Acta SS. Hyppoliti &c.*
(*k*) *Gregor. Turon. Hiſt. Franc. l. 10. c. 28.*

lud reliquum erat (*a*). Tandem Catechumeni cum nomina darent Episcopo propria peccata confitebantur, id quod iis a veteribus Ecclesiæ Patribus omnino imperatur (*b*). Ita de Constantino Imperatore legimus, qui antequam Sacramento Baptismi initiaretur *peccata sua confessus est* (*c*).

§. VIII.

De Scrutiniis.

Tandem qui *Competentes* erant, proximo Paschate Baptismum suscepturi, septem statis Quadragesimæ diebus *Scrutiniis* exercebantur (*d*). *Scrutinium* Græcis ἐξέτασις, appellabatur Ecclesiæ ritus, quo certis diebus Catechumeni *exorcizabantur*, iisque *Symbolum tradebatur* (*e*). Scrutinia ubique Ecclesiarum in more posita a Relligionis primordiis testantur Patres (*f*), eaque ad ætatem usque Guillielmi Durandi perdurarunt (*g*) ad sæculum scilicet XIII.

Iis itaque statis diebus Catechumeni consueto Ecclesiæ loco pro more, seorsim viri a mulieribus, stabant (*h*) una dumtaxat veste induti (*i*), intecto capite (*k*), ocu-

(*a*) *Annal. Francor. apud Du-Chesne Histor. Francic. t.* 1. *ad Ann.*759.

(*b*) *Tertull. de Pallio., Greg. Nanz. Serm. in S. Lavacr.*

(*c*) *Euseb. in Vita Constant. l.*4. *c.*61.

(*d*) *Ordo Rom. Antiquior. apud Marten. De Antiq. Eccl. Disc. t.*1. *Art.*3. (*e*) *Ibid.*

(*f*) *Conc. Const. I. Act.* 5. *Cyrill. Hierosf. in Procatechesi: S. Ambros. de Myster. c.* 1., *Conc. Carthag. IV. c.*85.

(*g*) *Ration. l.* 6. *c.*56.

(*h*) *Ordo Rom. Antiq. apud Mabil., Cyrill. in Procatehec. n.*11. (*i*) *Chrysostom. Hom. ad Illuminat.*

(*k*) *August. l.* 2. *De Symb. ad Catechum. c.* 1., *Mabill. Annal. Benedict. t.* 4. *in Vita S. Odilberti.*

oculis obvelatis, *ne eorum mens vagaret* (*a*), ac nudis pedibus stratum cilicium premebant (*b*). Interea Clerici primum ad eos accedebant, ac ter in eorum faciem insufflabant, dum Sacerdos, sputo eorum aures, ac nares *liniendo* (*c*), *Exorcismata* recitabat (*d*). Illud erat Catechumenos *exorcizare*. Exorcismus autem definitur: *Sermo increpationis contra immundos spiritus* (*e*); *insufflatione* enim, & *exorcismo iniqua potestas* ab illis *pellebatur* (*f*). Græci aures, ac faciem *insufflabant* (*g*). Latini tantum faciem (*h*). Quin & inter Græcos ipsimet catechumeni post clericos *Satanam exufflabant* (*i*). Is erat antiquior *scrutiniorum* ritus, cui sæculo VI. Latini illud adjecere, ut catechumenis salem quoque gustandum præberent (*k*). Verum circa sextum, vel forte VII. sæculum priscis ritibus novi accessere; ante omnia etenim catechumenos cinere aspergebant, eosque interrogabant num *diabolo abrenunciarent*, ac inde de fidei *confessione* eos sciscitabantur (*l*).

Inter scrutinia Symbolum catechumenis tradebatur (*m*): Romæ quarta feria quartæ hebdomadis quadragesimæ, qua

(*a*) *Cyrill. Procatech.*, & *Cat. Mystag. I. n. 9.*
(*b*) *August. ibid.* & *vita S. Odilb. ibid.*
(*c*) *Aug. Tractat.* 44. *in Johan.*, *Ambr. Ep.* 80.
(*d*) *Conc. Constat. I. c.* 7. = *Gennad. L. De Eccl. Dogmatib. c.* 31.
(*e*) *S. Isidor. de Div. offic. l.* 2. *c.* 20.
(*f*) *August. l.* 1. *de Symb. ad Catech. c.* 5.
(*g*) *Conc. Constant. I. c.* 7.
(*h*) *V. Antiquos Ordin. Baptismi apud Martene ibid.*
(*i*) *V. Græc. Euchology. de Catech.* (*k*) *Isidor. ibid.*
(*l*) *Pontific. Salisburien. apud Martene in Tesauro veter. Monum. t.* 6.
(*m*) *S. Ambr. Epist. ad Marcell. Soror.* 20., *Isidor. ib. c.* 17.

qua die Dominicam orationem eos docere solebant (a). In Galliis Dominica Palmarum (b). In Afris Ecclesiis Sabbato ante quartam quadragesimæ Dominicam Symbolum, octava ab hinc die Dominicam Orationem traditam illis fuisse testatur S. Augustinus (c): Græci vero serius, die enim *Parasceve* Symbolum catechumenis tradebant (d). Episcopus autem cum eos Symbolum doceret per singulas partes illud interpretabatur (e). Antequam vero illis Orationem Dominicam traderet, Diaconus eam Evangelii periochen recitabat, qua oratio illa continetur (f). Hoc a quinto præsertim sæculo inter Latinos obtinuit, cum antea ipsis etiam *competentibus* Dominicæ Orationis doctrina aliis, non iisdem Christi verbis traderetur (g). Quin & Græci Patres olim nonnisi post Baptismum eam illos docere consueverant (h).

Ad Symbolum quod attinet, Apostolorum illud ubique Ecclesiarum usque ad Nicæni Concilii I. tempora traditum est. Nicæna exinde fidei formula usa est Ecclesia ad VI. quoque sæc. (i). At tandem post Concilium Constantinopolitanum I., novissimum hujus Concilii Symbolum nonnullæ tum Latinorum, tum Græcorum Ecclesiæ adhibuerunt (k).

Tra-

(a) *Antiq. ordo Rom. apud. Mart. ibid.*
(b) *Conc. Agathen. cap.* 13.
(c) *Serm.* 313. *&* *Serm.* 58.
(d) *Nicephor. Hist. Eccl. l.* 16, *c.* 35. = *Theodor. Lect. Hist. Eccl. l.* 2.
(e) *August. Serm.* 214. (f) *Id. Serm.* 59.
(g) *Id. Serm.* 58. *in c.* 6. *Matth.*
(h) *V. Touttée Dissert.* 2. *ad Cyrill. Hierosol. catecheses.*
(i) *Conc. Constan. I. Act.* 5.
(k) *V. Antiq. ord. Rom., Missale Gelas. apud. Menard., Ord. Gellon. apud Martene ibid.*

Traditum ipsis Symbolum, & Dominicam Orationem Catechumeni memoriter Episcopo reddebant olim post octavam diem (*a*). Romæ vero medio ævo die *Sabbati Sancti* Episcopus Catechumenos interrogabat: *Pistevis?* (h. e. *credis* græco verbo pro illius ætatis more latine inflexo) cui illi Symbolum pro responso reddebant (*b*). Ea itaque erat Scritiniorum ratio quibus Catechumeni ad Baptismum comparati, eo initiabantur *Sabbati Sancti* die.

Catechumenatus disciplina ad ea usque tempora perstitit, quibus adultis Baptismus tradebatur; hinc quum infantes eo initiari cœpissent, paullatim desiit. Verum nonnullibi vetus Catechumenorum disciplina sæculo XIII. adhuc obtinebat (*c*). Quin & quamdam illius disciplinæ speciem in Leodiensi Ecclesia ad sæculum XVII. perstitisse, testatur Cockierius (*d*). Nos inter vetustiores *Exorcismorum* formulæ, & ritus reliqui sunt, quibus utimur in parvulorum Baptismo.

CAPUT II.

De Baptismo.

CAtechumenis ea methodo, ac ratione paratis Baptismi Sacramentum impertiebatur. *Baptismus* Βαπτισμὸς, (Græca vox, Latine *Lotio*), appellatur primum illud Sacramentum, quo quis Christi Ecclesiam ingreditur, eique adjungitur. Sacramenti ratio aquæ lotione, quam Divina verba comitantur, continetur.

§.I.

(*a*) *S. Ambr. ibid., Isid. ibid. l.* 2. *c.* 17., *Conc. Aagth. cap.* 13., *August. serm.* 213. *in Tradit. Symboli.*
(*b*) *Vide sacram. Gregoriano.*
(*c*) *Guillielm. Durand. Ration. l.* 6.
(*d*) *Joh. Cockier de Surlet. in Face Histor. Part.* 2. *c.* 55.

§. I.

Quibus olim diebus Catechumeni baptizarentur ? Qua tandem ætate Baptiſmus quavis die tradi cœperit.

Baptiſmus ex antiqua Eccleſiæ diſciplina inter Latinos duobus dumtaxat diebus Paſchatis ſcilicet, & Pentecoſtes tradebatur. Tertio equidem ſæculo id teſtatur Tertullianus (*a*), uti & reliqui Patres, qui IV. & v.Sæc. floruerunt (*b*), Quod paſſim publica auctoritate, & Conciliorum decretis ad IX. uſque ſæc. ſancitum legimus (*c*), eamque diſciplinæ rationem XI. adhuc ſæc. alicubi perſtitiſſe nos docet Synodus Rotomagenſis Ann. 1072. (*d*).

Eadem fuit Græcæ Eccleſiæ diſciplina ad IV. uſque ſæc., qua ætate ipſo etiam Epiphaniæ feſto Baptiſmum Catechumenis miniſtrari cœpit (*e*). Id autem paullatim & ipſis Latinis Eccleſiis placuit, præſertim Africanis (*f*), Siculis V. ſæculo (*g*), atque Gal-

(*a*) *Lib. de Baptiſ. c.* 19.

(*b*) *S. Hieron. Epiſt. ad Pammach.,S.Leo* 1. *Epiſt.*16.

(*c*) *Anonym. Reſponſ. ad capit. Epiſcopor. ſub Carolo Magno in Append. ad Capit. Reg. Franc. Baluz. t.* 2., *Aython. Epiſc. Capitular. VII. Ann.* 822. *Spicieleg. t.* 6., *Capitula Herardi Archiep. Turon. Ann.* 858. *ibid. Concil. Gerundan. An.* 517. *c.* 4., *Autiſſidoren . An.*578. *c.* 18., *Mogunt. An.* 813. *c.* 4. *&c.*

(*d*) *Can.* 23.

(*e*) *S. Greg. Nyſſ. Orat. ad Baptizand. V. Not. Goar. in Euch. Græc. de Bapt.*

(*f*) *S. Leon.* 1. *Epiſt.* 16.

(*g*) *Greg. Turon. L. de Glor. Confeſſ. c.*76.

Gallicanis sæc. VI. (*a*), qua ætate Gallicana Ecclesia die etiam Natali D.N.I., quo Clodoveus Francorum Rex Baptizatus fuit (*b*), & festo S. Johannis Baptistæ Sacramentum illud Catechumenis ministrare in moribus habuit (*c*). Verum cum in Hispanis Ecclesiis sæc. IV. (*d*) & in illis quoque Campaniæ, Samnii, ac Piceni sæc. V. (*e*) Apostolorum ac Martyrum festis diebus Baptismus traderetur, novum hunc morem Romani Pontifices (*f*) veteris Disciplinæ tenaces improbarunt.

Quamvis autem ea foret Ecclesiæ lex, tribus attamen prioribus sæculis, persecutione ingruente, Episcopi nullo dierum discrimine, cum res ferret, Catechumenos Baptismo, & Confirmatione donabant (*g*). Itidem obsidionis tempore, mortis, invalescente morbi vi (*h*), vel instante naufragii periculo (*i*) peste grassante (*k*), vel cum terræmotus maxime urgeret (*l*), uti & Mulieribus prægnantibus, Baptismus, *cuique illius gratiam postulanti*, impertiebatur.

Quum vero vetus illa solemnis Baptismi disciplina minui ac tandem negligi cœpit, quod in utraque Ecclesia circa XI. Sæc. evenit, sensim & illa dierum lex, de

(*a*) *Greg. Turon. L. de Glor. Confess. c. 76.*
(*b*) *Hinchmar. Rem. Epist. ad Episc. Franc. c.* 14. *Greg. Turon. ibid. c.76. c.96.*
(*c*) *Greg. Turon. Hist. Franc. l. 8. c.9.*
(*d*) *Syric. Papa Epist. ad Himer. Episc. Tarracon.*
(*e*) *Leo I. Epist.* 136. (*f*) *Syric. & Leo ibid.*
(*g*) *Vide Henr. Vales. in Not. ad Hist. Eccl. Euseb. l.7. c.* 11. (*h*) *Gelas. Papæ Epist.9.*
(*i*) *Leo I. Epist.* 16.
(*k*) *Greg. Nyss. ibid., August. Serm.* 19. *de Divers.*
(*l*) *Conc. Neocæs. c. 6.*

de qua locuti ſumus, remiſit. Eo namque ſæculo quavis die parvulis Baptiſmum tradi de Græcis Theophilactus (*a*), de Latinis Rupertus Abbas teſtantur (*b*). Quin & in Anglia Sæc. etiam x. alicubi nova iſthæc invaluerat diſciplina (*c*). Verum ad Sæc. uſque XIII. quædam Gallicanæ Eccleſiæ, uti & Virgonienſis in Anglia ab antiqua diſciplina recedendum non putarunt, & ne aliis diebus, præter eos, quos *Antiquitas ſtatuerat*, Baptiſmus traderetur, ſanxerunt (*d*).

§. II.

Antiquitus ipſos Epiſcopos Baptiſmum miniſtraſſe. Quando munus illud Presbyteris mandari cœperit. Quæ Baptiſmi miniſtrum decent.

Soli Epiſcopi a primis Eccleſiæ temporibus Solemnem Baptiſmum Catechumenis tradiderunt (*e*), niſi aliqua de cauſſa detenti, illum Presbytero (*f*), vel ipſis quandoque Diaconis (*g*) miniſtrandum committerent, quod aliquando acciđiſſe conjicimus ex veterum Patrum ſententiis (*h*). In-

(*a*) *Comment. in c.* 10. *Lucæ* XI. *Sæc.*
(*b*) *De Divin. Offic. l.*4. *c.* 18.
(*c*) *Ex Capitular. Edgardi Reg. Capit.*13. *Sæc.* X.
(*d*) *Conc. Leodienſe An.*1237. *Conc. Wirgonien. An.* 1240.
(*e*) *Ignat. Martyr. Epiſt. ad Smirnen.*, *Tertull. L. de Bapt. c.*17., *Hierony. Dial. adv. Lucifer.*, *Aug. de Civit. Dei l.* 22. *c.*8. *&c.*
(*f*) *Gelaſ. Pap. Epiſt. ad Epiſc. Lucan.*, *Brut. &c. Iſid. de Div. Offic. l.*2. *c.*24.
(*g*) *Tertull. ibid.*, *Ignat. Mart. ibid.*, *Ordo Rom. apud Mabil. ibid.*
(*h*) *Tertull. ibid.*, *Greg. Nanz. Orat. de Bapt.*, *Greg. Turon. Hiſt. Franc. l.*10. *c.*15.

Ineunte Sæc. VII. Episcoporum nonnulli munus illud ægre ferre, ac Presbyteris demandare cœperunt. Cum vero illis obstitisset Ecclesia, ne propria deseruissent munia (*a*), Episcopi statis ab Ecclesia diebus a IX. præsertim Sæc. (*b*) usque ad undecimi initium (*c*), postquam duos, vel tres baptizarent, ceteros baptizandos Presbyteris relinquebant. Hinc in exitu XI. Sæc. Solemne Baptismi ministerium solis Presbyteris reliquum plane fuit. Una Mediolani Ecclesia antiquissimam disciplinam sequi maluit, cum hodiedum Episcopus Sabbato S., & Pentecostes vigilia Baptismum solemnem ministret (*d*). Nimia Baptizandorum copia, cui unus Episcopus satis non erat, in caussa potissimum fuit, qua illi ab antiqua recederent consuetudine, eisque suam operam Presbyteros præstare oportuit. Hinc cum unus fons Baptismalis Cathedralis Ecclesiæ tantis haud par esset, plures Ecclesias *Baptismales* videre est a Sæc. potissimum IX. tum Romæ, tum alibi (*e*).

Hæc de Baptismi Ministris, verum *laicis* quoque *necessitate urgente* baptismum tradere fas erat, *dum neque bigami essent, & lavacrum suum integrum haberent*; h. e., confirmationis Sacramento non carerent (*f*). Feminas ab eo munere, nisi summa contigisset necessitas, veteres Ecclesiæ Patres arcebant (*g*).

Cum Presbyteri eo munere fungi cœperunt, *Episcopi suis Presbyteris Sacramentum Baptismi tradebant*

(*a*) *Conc. Hispalen. II. c.7.*
(*b*) *Ordo Roman. apud Mabill. Mus. Ital. t.2.*
(*c*) *Conc. Lemoviren. An.* 1031.
(*d*) *Vide Cærim. Ambros.*
(*e*) *Vide sequens* §. *de Baptisteriis.*
(*f*) *Conc. Illiberit. c.* 38.
(*g*) *Tert. de Veland. Virgin. c.9. Conc. Carth.* IV. *c.* 10. *Epiphanius l.3. adver. Hæres. hær.*

bant (*a*) h. e. Baptiſmi *adminiſtrationem* illos docebant, quare *memoriter ſignaculum*, & *Baptiſterium* (*b*), h.e. Baptiſmi *formam*, ac *ritus*, eos ſcire oportebat. Cum vero olim Baptiſmus, ut dictum eſt, diebus *vigiliæ* Paſchatis, ac Pentecoſtes miniſtraretur, quibus jejunium indictum erat, in poſterum quoque Eccleſia miniſtros *jejunos* Baptiſmum tradere præcepit (*c*), quæ diſciplina ſæc. XVI. nonnullibi adhuc vigebat (*d*).

Tandem Baptiſmi miniſtrum ſacris veſtibus indui oportebat, & quidem medio ævo *alba* (*e*); ſæc. enim XI. adhuc vetitum erat Presbyteros *baptizare* ſine *alba* (italice *camice*) ac ſolo *ſuperpelliceo* (italice *cotta*) indutos (*f*).

§. III.

De Baptiſteriis.

Eccleſiæ initio ubique locorum Apoſtolos, eorumque diſcipulos Baptiſmum miniſtraſse legimus. Præſertim vero fluminum undis baptizandos luſtrare ſolebant (*g*); Fluminum quippe aquas a Chriſto, qui in Jordane baptizari maluit, quodammodo conſecratas fuiſſe arbitrati ſunt veteres; quamobrem Conſtantini ætate, qui eodem flumine baptiſmo ini-

(*a*) *Conc. Turonen. III. c.* 18.

(*b*) *Capitulare Caroli Magn. ad An.* 789. *num.* 3., & *An.* 804. *n.* 3.

(*c*) *Conc. Pariſienſ. An.* 839., *Melden. apud Grat. Diſt.* 5., *Rotomag. A.* 1072. *c.* 5.

(*d*) *Conc. Moguntin. c.* 16. *A.* 1549.

(*e*) *Ord. Rom. Antiquior. ap. Martene ibid.*

(*f*) *Conc. Rotomag. A.* 1072. *ibid.*

(*g*) *Act. Apoſt., Juſtin. Mart. Apolog.* 2., *Tert. L. De Bapt. c.* 1.

tiatus est (*a*), Catechumeni illis aquis lustrari maximopere optabant (*b*), eoque sequentibus sæculis Epiphaniæ vigilia solemnis Baptismus ministrari consuevit (*c*). Verum tribus primis Ecclesiæ sæculis nunc in cœmeteriis, nunc in ipsis interdum carceribus pro re nata Sacramentum illud ministrarunt Episcopi (*d*).

At pace Ecclesiæ reddita, passim Episcopi sacras Ædes huic muneri obeundo apposite consecrarunt: Eas Græci *Illuminatoria* (*e*), Latini antiquitus *Baptisteria*, postea *Ecclesias Baptismales* (*f*), *Oracula* (*g*), ac demum *Plebes* (*h*), vel *Titulos Baptismales* (*i*) appellarunt.

Ejusmodi Ædes a Templo disjunctas olim fuisse testantur Ecclesiæ scriptores (*k*), ac quæ supersunt antiqua Baptisteria Romæ, Florentiæ, Pisis, Parmæ &c. (*l*). *Baptismalium* Ædium forma rotunda ad Turris instar erat (*m*), in cujus medio fere centro concha

(*a*) *Euseb. in vita Const. c.* 4.

(*b*) *Hierony. L. de loc. Hebraic. in voce* Bethbaara.

(*c*) *V. Itinerar. Antonini Marty. apud Mabill. in Analect. t.* 4.

(*d*) *Acta SS. Fruct. & Eulog.*, *Acta SS. Montani & Luc. apud Ruinart. Acta Martyr. sincera.*

(*e*) *V. Goar. in Not. ad c. Baptism. Euchol.*

(*f*) *Capitular. Pipini Reg. A.*793.*n.*7.

(*g*) *Capitul. Excerpt. ex Legib. Longobard.n.*16.

(*h*) *Capitul. Caroli Calvi A.* 876.

(*i*) *Flodoard. Hist. Remens. l.* 2. *c.* 19.

(*k*) *Paulin. epist.* 12. *ad Sever.*, *Fortunat. Carmin. l.* 2. *Carmin.* 12.

(*l*) *Vide Mabill. Iter Italic.*

(*m*) *Paulin. ibid.*, *Vide Du-Cange in Gloss. med. æv. ad voc.* Baptisterium.

cha aquæ erat (*a*) lapidea (*b*), vel rotundæ formæ (*c*), vel Crucis figuram præseferens (*d*). Concha plano ædis erat, in eaque tribus gradibus ad dexteram descendebant baptizandi, ac tribus aliis ad lævam ab ea ascendebant, in cujus imo fere solo alter erat gradus, in quo tum Episcopus, tum Patrini stabant (*e*). Aliquibus in locis præter majorem concham minores aliæ circum erant eodem Ædis sacræ plano (*f*). At circa VIII. sæculum, cum passim per *Perfusionem* baptizari cœpisset, concha minoris molis fuit, ac in ipsis Ecclesiis ad portæ lævam, altior e tetra ad pixidis instar (*g*), ut in nostris visitur Parochiis, construi cœpit.

Antiqua illa *Baptisteria* unum, vel etiam plura habebant *Oratoria* (*h*) h.e. Altaria, in quibus aliquando Missæ sacrum peragebatur, ut ibi baptizatis pro more Eucharistia elargiretur; quare in illis Martyrum corpora condita (*i*), aliisque sepeliri vetitum erat (*k*).

Itaque etsi olim una dumtaxat Cathedralis Ecclesia *Fontem Baptismalem* haberet, sensim, Episcopi arbitrio, jus illud post VIII. sæculum patere cœpit

B 2 Ti-

(*a*) *Johan. Diac. L. de Eccl. Lateran. c.* 12.

(*b*) *Conc. Wirgon. c.* 5., *Constit. Episc. Sarum apud Martene in Tesauro vet. Monum. t.* 7.

(*c*) *V. Mabill. ibid.*

(*d*) *Greg. Turonen. de Glor. Mart. l.* 1. *c.* 23.

(*e*) *Isidor. Orig. l.* 15. *c.* 4., *&* *de Div. Offic. l.* 1. *c.* 24.

(*f*) *Mabill. ibid. de Baptist. Pisano.*

(*g*) *Idem in Itinere German. Analect. t.* 4.

(*h*) *Anastas. Bibliothecar. in Hilaro, & in Simmaco.*

(*i*) *Greg. Turon. de vit. Patr. c.* 7. *& Hist. Franc. l.* 10. *c.* 31.

(*k*) *Conc. Autissidior. c.* 14. *A.* 578.

Titulis, atque Parochiis urbanis; Rurales enim Ecclesiæ ad IX. sæc. (a) Baptisteriis caruerunt. Ita in *Ædibus Oratoriis*, h. e., Oratoriis domesticis (b), vel *domi* ad sæc. usque XVI. (c); Regibus, ac Magnis Principibus exceptis (d), Baptismum *ministrare* nefas erat.

§. IV.

De iis, qui olim Baptismum antecedebant, ritibus.

Pridie Paschatis diei, scilicet Sabbato Sancto sub meridiem ad Ecclesiam se conferebant Catechumeni, ut postremum, de quo diximus (e), subirent *scrutinium*, quo peracto domum reversi, media tandem nocte ad Ecclesiam iterum redibant, ubi recitatis Lectionibus Veteris Testamenti, & Paschali cereo benedicto (f), Aqua solemni ritu consecrabatur. Hanc aquæ *santificationem* ex Apostolorum traditione repetunt veteres Ecclesiæ Patres (g), quæ olim signo Crucis, ac *invocatione nominis Christi* perficiebatur, & a IX. sæc., nonnullis, quibus adhuc utimur, additis precibus, prolixior evasit (h).

Consecrata aqua, Episcopus olim semel catechumenos sciscitabatur, num *Diabolo*, *mundo*, *pompis ejus* abrenunciarent, cui singuli respondebant *abrenuntio* (i). In Hierosolymitana dumtaxat

(a) *Conc. Melden. c.* 48. *A.* 845.

(b) *Conc. Quini-sext. c.* 59. (c) *Conc. Colonien. A.* 1536.

(d) *Ex Clementin. XV. l.* 3. (e) *§. VIII. cap.* 1.

(f) *Ordo Sacram. Eccl. Lugd. ap. Martene ibid.*

(g) *Cyprian. Epist.* 70. *ad Januar.*, *Constit. Apost. l.* 7. *c.* 43., *Basili. L. de Spir. S. c.* 17., *Aug. l.* 9. *contr. Julian. c.* 18.

(h) *Vide Walfrid. Strab. de Reb. Eccles. cap. de Bapt.*

(i) *Const. Apost. l.* 7. *c.* 42., *Chrysost. hom.* 21. *ad Popul. Antioch.*

taxat Ecclesia antiquitus Episcopum inter & Catechumenos quartum *abrenuntio* alternabatur (*a*). Latinos inter etsi aliquibus in Ecclesiis uni Catechumenorum abrenuntiationi ad IX. usque sæculum acquiesceret Episcopus (*b*), generatim tamen sæc. V. duplex erat abrenuntiatio. *I. Diabolo & operibus ejus. II. Mundo, & luxuriæ ejus*, qua nostra adhuc ætate utitur Ambrosiana Ecclesia (*c*). Tandem circa VIII. sec. triplex illa, quæ nos inter obtinet, abrenuntiatio invaluit (*d*). Dum autem *abrenuntiationi* vacarent Catechumeni, ad Occidentem stabant, eaque prolata ad Orientem convertebantur (*e*), & Græcos inter ad unamquamque *abrenuntiationem* alternas manus protendebant, velut Diabolo fugam injecturi (*f*). *Abrenuntiationem* apud Græcos olim *Inunctio* sequebatur, qui Catechumenos *a summis capillis ad infimos pedes* (*g*), vel saltem *in capite, auribus, ac manu dextera* perungebant (*h*); Latini vero sub VII. sæculum *unctione* uti cœpere (*i*), cum antea eam in

(*a*) *Cyrill. Hierosoly. Catech. Myst. I.*

(*b*) *Ex Libello Pirmini apud Mabill. Analect. t.* 4., *& Antiq. Missal. Gallic. apud Thomasium.*

(*c*) *Ambrof. L. de Myster. c.* 2.

(*d*) *Rituale Ambr. Edit. Cadomi.*

(*e*) *Beda in c.* 8. *lib. Tobiæ, Antiq. Ritual. apud Mart. ibid.*

(*f*) *Ambrof. l.* 1. *c.* 2., *Hierony. in c.* 6. *Amos.*

(*g*) *Cyrill., Hier. ibid., Greg. Nanz. Orat.* 40. *de Baptismo.*

(*g*) *Theodoret. Comment. in c.* 7. *Canticor.*

(*h*) *Chrisost. hom.* 6. *in Epist. ad Colossen.*

(*i*) *V. Sacram. Gellon. apud Mart. ibid., Leidrad. Episc. Lugd. L. de Baptismo c.* 2.

in scrutiniis dumtaxat adhiberent (a).

Episcopus tandem Catechumenum interrogabat si *crederet in nomen Patris, Filii, & Spiritus S.* (b), cui ille propria lingua se ea *credere* profitebatur. Ea erat antiquissima Græcorum, Latinorumque Disciplina (c): Latini de singulis Symboli Articulis eos interrogabant (d), ac de eo præsertim fidei articulo, de quo, aliqua grassante hæresi, controversia erat (e); iis vero, qui apposite ad interrogata respondere nescirent, Diaconi viris, Diaconissæ mulieribus concepta verba suggerebant (f). Ita a IV. etiam sæc. *Patrini* vel *Matrinæ* pro pueris Episcopo respondebant (g). His omnibus noctem trahebant Catechumeni, nocte equidem ad XI. usque sæc. solemnis Baptismus in nonnullis Latinorum Ecclesiis adhuc peragebatur (h). Passim vero a IX. sæc. tertia a meridie hora solemnis Baptismi Ritus, ubi adhuc perstiterat, expliciebat (i).

§.V.

(a) *Antiq. Canon. Romani ad Episc. Galliæ Concilior. Gall. t.* 2.

(b) *Cyrill. Hier. Catech. Mystag.* 2.

(c) *Cypr. Epist.* 70., *Diony. Alex. epist. ad Philem. apud Euseb. Hist. Eccles. l.* 7. *c.* 8., *Cyrill. Hier. ibid.*, *Ambros. ibid. c.* 5., *Leo I. serm.* 4. *de Nativ. Dom.*

(d) *V. Acta S. Steph. Mart. apud Baron. ad An.* 259., *Libell. Pirmi. apud Mabill. ibid.*, *Sacramentaria Gelas.*, *& Gregorian.*

(e) *Ex Epist. Nicetii ad Justinian. Imp. apud DuChesne Hist. Fran. t.* 1.

(f) *Conc. Carth. IV. c.* 12.

(g) *Aug. Epist.* 98. *ad Bonifac.*

(h) *Rupert. de Div. Offic. l.* 6.

(i) *Amalar. de offic. l.* 4. *c.* 28.

§. V.

De ipsomet Baptismo.

His autem expletis, Diaconus catechumenos nudos Episcopo offerebat (*a*), quo munere cum femimis Diaconissæ fungebantur (*b*). Verum etsi seorsim viri ac mulieres starent, tamen velo omnes obtecti ingredebantur fontem *Baptismalem*, eoque egredebantur (*c*).

Episcopus itaque, Diaconorum ope, qui ei præsto erant (*d*), inferiori fontis gradu sistens catechumenum aquis olim *ter immergebat*, ad unamquamque *immersionem* (græce Καταδύσιν) nomen unius ex personis Individuæ Trinitatis proferens (*e*); quin medio ævo ita catechumeni corpus moderabatur, ut crucis signum in aquis quodammodo describeret (*f*). Ea baptizandi ratione usa est inter Græcos Ecclesia generatim usque ad VIII. fere sæc. (*g*), eaque hodiedum nonnullibi in Oriente utitur (*h*). A Latinis in universum ad VI. sæc. usque *per trinam immersionem* baptizatum est (*i*), quo tandem sæculo *unica mersio* latius obtinuit, etiam si nulla urgeret necessitas (*k*), ac

 Me-

(*a*) *Cyrill. Hier. Catech. 7., Conc. Constantin. sub Menna Act. 5.*
(*b*) *Chrysost. Epist. ad Innocent. Pap.*
(*c*) *Const. Apost. l. 3. c. 16. Ordo Rom. An.* 1000. *apud Mabill. Musel. Ital. t. 2.*
(*d*) *Ordo Roman. Antiquior apud Mabil. ib.*
(*e*) *Tertull. L. advers. Prax.*
(*f*) *Ex Pontificali Salisbur. ap. Mart. ib.*
(*g*) *Damasc. Epist. de Trisag.*
(*h*) *V. Vansleb. Hist. Eccl. Alexandr. part. 2. c. 22.*
(*i*) *V. Sacram. Gregorian.*
(*k*) *Greg. Magn. Epist. 41. l. 1., Conc. Tolet. IV. cap. 6. Conc. Wormatien. c. 5. An. 868. &c.*

Mediolani tandum hodiedum ter *caput infantis* aquis in Baptiſmo mergitur (*a*). Verum Latini a primis etiam temporibus per *perſuſionem* quandoque baptizare conſueverunt (*b*), quem morem Sæc. VIII. probarunt Romani etiam Pontifices (*c*). Ceterum *Merſionem in adminiſtratione Baptiſmi* præſcriptam legimus etiam in Miſſali Romano Sæc. XV. edito ad uſum. Fratr. Minor., & in Rituali Romano edito *Cadomi* A. 1614.

§. VI.

De iis, qui Baptiſmum proxime excipiebant, ritibus.

Inter Latinos, *trina merſione peracta*, Presbyter, qui Epiſcopo aderat (*d*), catechumenum pedibus adhuc plano fontis conſiſtentem oleo ſacro ungebat (*e*) *in capitis vertice* (*f*), ejuſque capiti *velamen* quoddam Epiſcopus imponebat (*g*), quod *Chriſmale* (*h*), *Capitium monaſtici cuculli* formam referens (*i*), *Birrum* (*k*) nuncuparunt. Ea unctione, quæ nos inter adhuc perſtat, carent Græci (*l*).

In

(*a*) *Ritual. Ambroſ. Edit. Cadomi A.* 1614.
(*b*) *Ex Actis S. Bacchi Junior. editis a Combefiſio.*
(*c*) *In Reſponſ. ad interrog. Epiſc. Gall.*, *Conc. Gall. t.* 2.
(*d*) *Ex Vulg. Alcuin. de Div. Offic. c.* 19.
(*e*) *Innoc. Pap. I. Epiſt. ad. Decent.*, *Iſidor. de Div. Offic. l.* 2. *c.* 25. 26.
(*f*) *Conſt. Apoſt. l.* 3. *c.* 15.
(*g*) *S. Greg. M. l.* 7. *Epiſt.* 5., *Raban. Maur. de Inſtit. Cler. l.* 1. *c.* 29.
(*h*) *Anonym. Turon. ap. Marte.*
(*i*) *Johan. Lanſperg. Dial. de Monach. c.* 3.
(*k*) *S. Greg. Magn. ibid.*
(*l*) *V. Menard. Not. in Sacram. Gregor. p.* 144.

In Africanis Ecclesiis post *unctionem* Episcopus baptizatum osculabatur (*a*). Mox, quod ubique Ecclesiarum ab antiquissimis temporibus obtinuit, albis baptizatos induebat (*b*), ac sertis e floribus contextis tum olim inter Græcos (*c*) tum inde Æthiopes inter eos coronabat (*d*). In aliquibus tamen Latinorum Ecclesiis, antequam catechumeni albas vestes sumerent, Episcopus, vel e Presbyteris, aut Diaconis unus eorum pedes lavabat (*e*), quapropter nudis pedibus *per octavam Paschæ* Catechumeni IV. sæc. *ambulare* solebant (*f*).

Cum autem albis induti essent cereus iis tradebatur (*g*), mox magnum cereum accendebat Episcopus *ex igne de feria sexta reservato* (*h*), quem Clericus ferens Episcopum præcedebat, eumque Baptizati sequebantur e *Baptisterio* ad Basilicam, quo cantu excepti (*i*), Litaniis expletis, ad Altare accedebant (*k*). Interea chorus canebat *Agnus Dei*, ac tandem cum cantor ajebat *Accendite*, baptizati cereos accendebant, quos accensos tenebant integra Missæ Liturgia (*l*).

An-

(*a*) *Cyprian. Epist. 59. ad Fidum.*

(*b*) *Acta S. Genesii ap. Ruinart. ibid.*, *Euseb. in Vita Const. l. 4. c. 62.*, *Ambr. l. de Myst. c. 7.*, *Aug. epist. 34.*

(*c*) *Chrysost. hom. 5. ad Baptizand.*

(*d*) *Ordo Baptismi Æthiop. in Biblioth. Patr. t. 6.*

(*e*) *Ambros. ibid. c. 6.*, *& de Sacram. l. 3. c. 1.*, *V. duo antiq. Missalia edita a Thomasio.*

(*f*) *Aug. epist. 55. n. 35.*

(*g*) *Ambr. l. ad Virg. laps. c. 5.*

(*h*) *Amal. de ord. Antiph. c. 14.*

(*i*) *Gregor. Nanz. ibid.* (*k*) *Id. ibid.*

(*l*) *Vulg. Alcuin. c. de Sabb. S.*, *Greg. Turon. Hist. Franc. l. 5. c. 11.*

Antequam vero in Sacrificium ingrederetur, Episcopus eos Sacro chrismate *confirmabat*, (de quo vide sequens cap.). Dein Liturgiam persequebatur, eosque Sacramento Eucharistiæ donabat. Ea quippe fuit tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ disciplina generatim a primo (*a*) ad sæc. usque XII. (*b*). Eo enim sæculo inter Latinos pro Christi Sanguine *vinum benedictum* baptizatis elargiri cœpit (*c*). Quod passim factum legimus ad sæc. usque XVI, cum Minister digitum eo vino intinctum infanti sugendum præberet (*d*). Alicubi tamen eodem sæculo Sanguis Christi parvulis baptizatis traditum fuisse testatur Missale Ecclesiæ Ambianensis (Amiens) edit. An.1506.

Orientalibus autem antiqua reliqua est disciplina; Jacobitæ enim, Syri, Maronitæ, ceterique Christi sanguinem nuper baptizatis ministrant (*e*). Olim pueris e calice eorum ori admoto Sanguis Christi tradebatur (*f*): verum exinde ad nostram usque ætatem Sacerdos digitum sanguine madefactum infantum ori admovet, qui eo illum exugunt (*g*), etsi nonnulli eos inter *cocleari Sanguinem* iis sumendum, præbeant (*h*). De-

(*a*) *Justin. Apolog.* 2., *Orig. hom.* 4. *in Josue*, *Chry. sost. hom. ad Neoph.*, *Tertul.* 1. *de Bapt. c. ult.*, *Cypri. ep* 63. *ad Cœcil.*, *Ambr. l. de Myst. c.* 8.

(*b*) *Hugo Victor. L. Observ. Ecclesiast. c.*20.*sæc.XII.*

(*c*) *Idem ibid.*

(*d*) *Rituale Remens. An.* 1581. *Et alia Ritual. An.* 1536. *ap. Martene.*

(*e*) *Vansleb. ibid. p.*2. *c.*18., *Gabriel.Syon.ap. ad Nihusium in Symmict. Allatii.*

(*f*) *Vide Goar. in Euch.*

(*g*) *Vansleb. ibid.*, *Nainon.in Evoplia Fid. part.*2.*c.*3.

(*h*) *Gabr. Syon. ibid.*

Demum lactis, & mellis poculum iis ministrabat Episcopus, quo harram veluti terræ promissionis, Regni scilicet Cœlestis, acciperent, quod a primis sæculis (*a*) ad sæc. IX. usque obtinuit (*b*).

His omnibus Baptismi solemnitas expliciebat. Novissime vero baptizatis τῶν Νεοφυτῶν nomen integra Paschatis hebdomada erat. Νεοφυτοι autem appellabantur, vel quia nuper nati in Christiana societate, vel quia per Baptismum Ecclesiæ quodammodo inserti erant, utraque enim sententia eo nomine eos donavit Apostolus 1. ad Tim. c. 3.

Septem itaque Paschalis hebdomadæ diebus Νεοφυτοι a lautioribus epulis, a spectaculis, ab ipsis quoque conjugibus abstinebant (*c*), quotidie Sacris in Ecclesia aderant alio a communi fidelium loco (*d*), quotidie Eucharistia vescebantur (*e*), eosque Episcopus Sanctissima Relligionis Mysteria, quorum catechumeni expertes fuerant, conceptis sermonibus docebat (*f*); ac tandem octava a Paschate die albas vestes *deponebant*, & inter fideles recensebantur.

§. VII.

De Patrinis, & Matrinis.

Ecclesia a sui initio catechumenos fidelibus credidit ut illos erudirent, & Episcopo baptizandos offerrent die solemnis Baptismi. Inter Græcos Αναδο-κοι

(*a*) *Tert. L. de Cor. Mil. c. 3., Hier. Dial. adv. Lucif.*
(*b*) *Joh. Diac. ep. ad Senar. ap. Mab. Mus. Ital. t. 1.*
(*c*) *Conc. Carth. IV. c. 86.*
(*d*) *Aug. Serm. 260.* (*e*) *Id. Serm. 227.*
(*f*) *Vide Homil. Patr. in hebd. Pasch.*

κοι appellati fuerunt (*a*), h. e., *fideijussores*, cum ipsemet actus fideijubendi pro pueris in Baptismo *Αναδοχη* diceretur (*b*). Latini *susceptores* appellarunt, cum e fonte baptizatos una cum Episcopo sublevarent (*c*), quin & eodem sensu, ac significatione Græci quandoque *των αναδοχων* nomine eos donarunt, cum *emersio* e fonte baptismali *Αναδοσις* diceretur. *Offerentes* etiam dicti (*d*); tandem *Patrini*, ac *Matrinæ* nomen ad finem VIII. Sæc. obtinuisse videntur in Conc. Calchutensi (*e*), quod primo de eo nomine meminit.

Patrinis itaque curæ erant suscepti infantes usque dum *fidem* proprio ore profiterentur, eamque *fideijussori ex integro redderent* (*f*), h.e., Symbolum per se recitare possent.

Plerumque olim *Patrini* munere Diaconi, *Matrinæ* Diaconissæ fungebantur (*g*). Ad Sæc. usque IX. uno quisque contentus erat Patrino, ea quippe ætate Patrinorum numerus augeri cœpit, quod etsi edictis vetuisset Ecclesia (*h*), a sæculo attamen XIII. ternarium Patrinorum numerum ipsamet concilia probarunt (*i*), modo *duo viri*, *&* *una femina marem*, *duo feminæ*, *&* *unus vir feminam tenerent*. Idque Sæc. XVI. adhuc obtinuisse in Galliis testatur Chardon (*k*). Eo au-

(*a*) *Cyrill. Alex. in c.*12. *Johan.*

(*b*) *Ex Pachyme. ap. Svicer. in voce* *Αναδοχη*.

(*c*) *Tertull. l. De Bapt. c.* 18.

(*d*) *Auct. De Ecclesiast. Hierarch. c.* 3. (*e*) *Can.*2. *A.*786.

(*f*) *Capitul. Abiton. c.* 25. *Spicileg. t.* 6.

(*g*) *Const. Apost. l.* 3. *c.* 16.

(*h*) *Conc. Metense cap.* 6. *An.* 888.

(*i*) *Conc. Bajocen. cap.* 4. *A.* 1280., *Conc. Wirgon. cap.* 5. *A.* 1240., *Exonien. cap.* 2. *A.* 1287.

(*k*) *Histoire des Sacr. t.* 1. *l.* 1. *c.* 14.

Eo autem munere fungi vetitum Parentibus (*a*), Excommunicatis, vel publice pœnitentibus (*b*) Monachis (*c*) Hæreticis, vel de hæresi *suspectis* (*d*) Quod & ipsis Presbyteris vetuit S. Carolus Episc. Mediolanensis (*e*).

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

CUm olim, ut innuimus, Confirmationis Sacramentum Baptismo comitaretur, de eo hic dicere apposite arbitramur, ac data occasione eos etiam Confirmationis ritus persequemur, qui inde invaluere, cum illa a Baptismo divelli cœpit.

§. I.

Confirmatio olim cum Baptismo conlata. Quandonam a Baptismo sejungi cœperit.

Quos Baptismo lustraverat Episcopus, eos continuo *benedicta unctione perungebat, ac manus impositione confirmabat* (*f*), eaque ratione *inuncti supercœlesti Chrismate* (*g*) per Episcopi *orationem Spiritum S. Baptizati consequebantur* (*h*). Chrismatis itaque unctio, ac ma-

(*a*) *Chron. Vispergen. A.* 1224.
(*b*) *Capit. Reg. Franc. l. 6. c.* 182.
(*c*) *Conc. Autissiodior. cap.* 20.
(*d*) *Conc. Remens. A.* 1583.
(*e*) *Decret. Synod.* 17.
(*f*) *Tertull. l. De Bapt. c.* 8.
(*g*) *Conc. Laodic. cap.* 48., *Ambr. l. de Myst. cap.* 7., *Hieron. Dial. adv. Luc.*
(*h*) *Cypr. Ep.* 73. *ad Jubajan.*

manus impositio, h. e., Sacramentum Confirmationis Baptismum sequebatur, ipsamque Eucharistiæ communionem olim præibat (*a*). At aliquibus in locis IX. Sæculo, generatim autem XI., cum solemnis Baptismus obsolevit, sensim Confirmationis Sacramentum seorsim ab illo ministrari cœpit. (*b*) Cum enim ea ætate, ut dictum est, Baptismus a Presbyteris, qui *Confirmandi* potestate carebant, ministraretur, aliud tempus, aliique ritus passim Confirmationi præfiniri cœperunt. Romæ vero (*c*), & in aliquibus Gallicanis Ecclesiis (*d*) Sæc. XV. adhuc una cum Baptismo Confirmatio tradebatur. Orientales Ecclesiæ, ab antiqua disciplina haud unquam discessere, quare hodiedum Baptismum a Confirmatione minime separant (*e*). Animadvertendum tamen est, quod etiam olim, qui *in minoribus Urbibus* degebant, cum a Presbyteris, vel Diaconis Baptismo aliquando abluerentur, Episcopo tandem adveniente *Confirmati* erant (*f*).

§. II.

De hujus Sacramenti Ministro. De loco, ac tempore, quo seorsim a Baptismo ministrari cœpit.

Ab Ecclesiæ initio unus dumtaxat Episcopus Confirma-

(*a*) *Conc. Tolet.* IV. *c.* 57.

(*b*) *V. Ritualia* XI. *Sæc. ap. Marte. ibid. c.*2. *Art.* 4., *Pro* IX. *Sæc. vide Raban. Maur. de Inst. Cler. l.*2. *c.*39.

(*c*) *Missale Rom. ad us. Fratr. Min. An.* 1500.

(*d*) *V. Ritual. Svessionen. & Viennense-Gallic. ap. Mart. ib.*

(*e*) *Allat. De Perp. consen. Eccles. Occ. & Orient. l.* 3. *c.* 18., *Vansleb. ib. p.* 2. *c.* 21.

(*f*) *Hieron. ibid.*, *Greg. M. l.* 8. *ep.* 46., *Beda in vita S. Cuthberti.*

firmationem baptizatis tradidit (*a*). Verum tum in Hispaniis (*b*), tum in Galliis (*c*), tum alibi id Presbyteris etiam Pontificis venia aliquando licuit (*d*). Græcos inter munus illud Presbyteris passim ab Episcopis hodiedum delegatum legimus (*e*). Minister vero Confirmationis jejunus sit oportet (*f*) ac Sacris vestibus indutus (*g*).

Posteaquam alia die Baptismus, alia *Confirmatio* tradebatur, in *Sacrariis*, h.e., *Sacrestiis* (*h*), vel tandem in ipsamet Ecclesia (*i*) Sacramentum illud baptizatis ministravit Episcopus.

A Sæculis itaque IX. & X. Neophiti octava a Paschate die, cum scilicet albas vestes *deponebant*, *Confirmationem recipiebant* (*k*); idque ad XIII. Sæculum usque (*l*): Eo namque Sæculo cum deferbuisset in animis Christianorum hujus Sacramenti studium, Ecclesia intra annum saltem a Baptismo Confirmationem suscipiendam *sub anathematis pœna* sanxit (*m*). At

(*a*) *Innoc. I. ep. ad Decent.*, *Greg. M. l.* 3. *ep.* 9., *Hier. ib.*

(*b*) *Conc. Hispal. cap.* 7.

(*c*) *Conc. Arausic. I. c.* 1., *Epaonen. cap.* 16. *ap. Petr. de Marc. in Not. ad Conc. Clarom.*

(*d*) *Greg. M. l.* 3. *ep.* 6. (*e*) *V. Goar in Euchol.*

(*f*) *Conc. Meten. ap. Bruch. l.* 4. *c.* 67., *Conc. Rothom. c.* 7. *A.* 1072.

(*g*) *Ord. Rom. Mus. Ital. t.* 2.

(*h*) *Sacrament. Gregor.*

(*i*) *Antiq. Ordo Rom. ap. Mart. ibid.*

(*k*) *Vulg. Alcuin. De Div. Offic. c. de Septuages.*, *Raban. Maur. Instit. Cleric. l.* 2. *c.* 39.

(*l*) *Durand. Mimat. Ration. lib.* 6. *c.* 84.

(*m*) *Conc. Wirgon. cap.* 6.

At paullatim eodem labente sæculo ad tertium (*a*); Sæc. XVI. ad septimum (*b*) ac tandem post Trident. Concilium ad duodecimum, a suscepto Baptismo annum (*c*) Confirmationis recipiendæ tempus patere cœpit. In aliquibus tamen Ecclesiis, qui diu Confirmationem negligebant, Eucharistiæ (*d*), & Matrimonii Sacramentis carebant (*e*).

§. III.

Qua ratione ad Confirmationem se compararent Baptizati.

Qui confirmandi erant, ad Ecclesiam jejuni (*f*) veniebant, ac Presbyterum adibant, qui *peccata confiterentur* (*g*), qui eos de Oratione Dominica, Apostolorum Symbolo, Salutatione Angelica, ac Decalogo (quæ Episcopo memoriter recitaturi erant) percuntabatur (*h*). Mox caput lavabant (*i*), ac capillos, qui fronte nimium propenderent, præcidebant (*k*), eoque modo Episcopo se offerebant. Is primo eos de *nomine* interrogabat, tum ut libro *Chrismatorum* conscri-

(*a*) *Conc. Exonien. A.* 1583.
(*b*) *Conc. Turonen. c.* 7. *A.* 1583., *Aquen. A.* 1585.
(*d*) *Catechism. Conc. Trid. c. de Sacr. Confirm.*
(*d*) *Conc. Lambeten. A.* 1281.
(*e*) *Conc. Bituric. Tit.* 20. *c.* 7. *A.* 1584.
(*f*) *Conc. Bajocen. cap.* 5. *A.* 1300., *Senonen. A.* 1524., *Catech. Conc. Trid. ibid.*
(*g*) *Conc. Colonien. cap.* 5. *A.* 1280., *Constit. Odon. Episc. Paris. c.* 4.
(*h*) *Conc. Aquen. ibid.*, *Narbonen. A.* 1609.
(*i*) *Con. Rothomag. A.* 1581., *Mediol. sub. S. Carolo*,
(*k*) *Con. Colon. ibid.*

ſcriberetur, (*a*) tum ut immutaretur, ſi vel turpe vel *ridiculum* foret (*b*); Deinceps de Decalogo, aliiſque orationibus, ut dictum eſt, eos ſciſcitabatur, ac tandem vel poſt Miſſam (*c*), vel, quod XVI. præſertim Sæculo obtinuit, hora diei tertia (*d*), qua Spiritus S. Apoſtolis illapſus eſt, eos Sacramento Confirmationis donabat.

§. IV.

De oleo Chriſmatis. Qua ratione conſecratum. Qua methodo illud miniſtraret Epiſcopus.

Ab Eccleſiæ initio Latinis, æque ac Græcis ſimplex oleum pro Chriſmatis materia fuit (*e*). Sexto forte ineunte ſæculo balſamum, quod Judææ olim inveniebatur, oleo miſceri cœpit (*f*), eoque uſi ſunt Latini ad XVI. ferme ſæculum. Cum enim ea ætate novum ex Indis balſamum Hiſpani attuliſſent, Paulus III. & Pius IV. Latinis eo potius utendi poteſtatem fecerunt (*g*). Græci vero præter balſamum alias fere quadraginta aromatum ſpecies oleo infundere, ac decoquere ſolent, quas ſingillatim enumerat eorum Euchologium (*h*).

Tom. I. C Oleum

(*a*) *Con. Rothom.*, & *Aquen. ibid.*

(*b*) *Con. Trecen. A.* 1400. *Senon. A.* 1524., & *Aquen. ib.*

(*c*) *Ex vita S. Uldarici Ep. Auguſtani Sæc. x. ap. Bolland.* 13. *Julii in App.* (*d*) *Conc. Aquen. ibid.*

(*e*) *Cyprian. Epiſt.* 70., *Optat. Milev. De ſchiſm. Donat. l.* 7., *Baſilius De Spir. S. c.* 17.

(*f*) *Greg. Magni Comment. in c.* 1. *Cantic.*, *V. Diſſert. Mich. Amati de Opobalſamo.*

(*g*) *V. Corinchium De Sacram. Quæſt.* 72. *Art.* 9. *Dub.* 1. *n.* 40. (*h*) *Cap. de Chriſm. conficiend.*

Oleum illud balsamo, aliisque aromatibus commixtum consecrare, uni Episcopo jus fuit (*a*), eique adhuc integrum manet, qui illud Parochis suæ Diœcesis distribuit; quare ipsa Episcopi jurisdictio medio ævo *Chrisina* appellari consuevit (*b*).Cum autem tunc Presbyteri numos, quos ea de re *Chrismales* appellabant, Episcopo pro Chrismate solverent (*c*), merito illud vetuit Innocentius III., & Alexander III. (*d*).

A primo ad v. forte Sæculum nulla erat Chrismatis *Consecrationi* præfinita dies: A Sæc. autem v. inter Latinos feria quinta hebdomadæ Sanctæ Chrisma consecrari cœpit (*e*); quod attamen ubique locorum non statim obtinuit, cum in Galliis Sæculo IX. sine ullo adhuc dierum discrimine ab Episcopis consecraretur (*f*). Græcis etsi eadem dies solemnis sit pro *Chrismatis* consecratione (*g*), attamen cum ii Sacro eo oleo carent, quod vel loci difficultate, vel aliis de caussis plerumque accidit, quavis die Chrisma conficiunt.

Ritum consecrandi, sive *Sanctificandi* (*h*) oleum Chrismatis Apostolis adjudicavit S. Basilius (*i*), de quo meminere antiquiores Ecclesiæ Patres (*k*). Post v. Sæculum in altera trium Missarum, quæ tunc feria quin-

---

(*a*) *Epist. Gelasii Papæ apud Mabill. Musæi Ital. t.* 1., *Conc. Carth. III. c.* 4., *V. Reneaudot. la Perpetuitè de la Foy t.* 5. *p.* 171.

(*b*) *V. Cangium iu v.* Chrisma.

(*c*) *S. Anselmi Ep. Cantuar. Epistolar. l.* 4. *Epist.* 61.

(*d*) *Apud Gregor. Tit. de Simon. c.* 36., *&* *c.* 16.

(*e*) *V. Sacram. Gelasianum.*

(*f*) *V. Conc. Meldense An.* 845. (*g*) *V. EuchＯlog.*

(*h*) *Cyprian. Epist.* 70. (*i*) *Ubi supra.*

(*k*) *Basil.*, *Cyprian.*, *Optat.*, *ibid.*, *Cyrill. Hierosol. Catech.* 5. *&c.*

quinta hebdomadis sanctæ recitabantur, Episcopus oleum illud consecrabat, quare secunda illa Missa *Chrismalis* appellabatur (*a*). Græcos inter, cum Patriarchis potissimum Chrisma conficiendi, ac consecrandi jus esset, hæc Liturgiæ pars inter Missarum solemnia magno apparatu prosequebatur (*b*).

Ejusmodi itaque oleo utebatur Episcopus in hujus Sacramenti administratione. Confirmandis enim primo manus imponebat, conceptam recitans orationem (*c*), quæ manus impositio etsi Latinis itidem, ac Græcis olim communis fuerit (*d*), Græci tamen a sæculo saltem xv. ea caruisse videntur (*e*). Post manus impositionem Episcopus inter Latinos *confirmandorum* frontem oleo illo sacro ungebat, uti nostra adhuc obtinet ætate, at Græcos inter olim frontem, aures, pectus, & nares perungebat (*f*) nunc oculos etiam, os, manus, ac pedes (*g*). Dum vero eos Episcopus inungeret, aliqua proferebat verba. Græci jamdudum ea adhibuere: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, quæ eos inter perstant (*h*), Latini vero antiquitus ea usi sunt *forma*: *Signum Christi in vitam æternam amen* (*i*). At medio ævo variarunt *formæ* pro Ecclesiarum varietate; alibi enim illa obtinuit: *Accipe signum S. Crucis Chrismate salutis in* Chri-

(*a*) *Vide Menard. Not. in Sacramentar. Greg. p.* 75., *& Bona Rer. Liturg. l.* 1. *c.* 18.
(*b*) *Vide Baillet Fetes Mobil. Jeudi-Saint.*
(*c*) *Vide* §. 1. *hujus capit.*
(*d*) *Vide Patres sup. laud. & Ambros. l.* 1., *Eulog. contr. Novat. l.* 2., *Œcum. in c.* 6. *Epist. ad Hebræ. &c.*
(*e*) *Vide Reneaudot. La Perpet. &c. l.* 2. *t.* 5. *c.* 12.
(*f*) *Cyrill. Hierosol. Catech. Mystag.* 3.
(*g*) *Vide Euchol. l.l.* (*h*) *Ibid. Vide Adnotat. Goar.*
(*i*) *Vide Sacramentar. Gelasian. in Admin. Chrism.*

Christo Jesu in vitam æternam, *amen* (*a*). Alibi brevior illa: *In nomine Patris Filii*, *& Spiritus-sancti* (*b*). Eam vero plerumque legimus in Ritualibus a sæculo X.: *Consigno*, vel *signo te signo Crucis*, *& confirmo*, vel *Chrismo Chrismate salutis in nomine Patris &c. Amen* (*i*) qua nunc utimur. Post hæc Episcopus olim *confirmatos* dimittebat: verum a sæculo XIII. *confirmatorum* maxillam cœpit manu tangere, quasi alapam eis impingeret, quem ritum primo meminit illius sæculi Scriptor Durandus Episcopus Mimatensis (*d*).

Tandem *Patrini*, ac *Matrinæ* confirmatorum frontem vitta quadam linea circumligabant, ne quod reliquum erat Chrismatis lotione, vel alio forte modo ante præfinitum tempus e fronte detergeretur (*e*). Sæculo XII. *Chrismati* vittam illam septem diebus ferre solebant (*f*), tribus saltem sæculo XIII. (*g*); verum sæculo XVI. vel ea tantum, qua confirmati erant, integra die *bandellos* (sic lineas frontis vittas ea appellarunt ætate) gestabant (*h*), aut frontem statim inunctum bombyce tergebant, ac *bandello* lavabant (*i*). Quod a sæculo XV. jamdudum invaluerat inter nonnullas Galliarum Ecclesias, aqua quippe, ac sale lavari

(*a*) *In Pontific. Egbert. Eboracens. medio* VIII. *sæc.*
(*b*) *Apud Amalar. de Div. Offic. l.* 1. *c.*2., *& Durand. Ration. l.*6. *c.*84.
(*c*) *Vide Antiq. Ordin. apud Martene de Antiq. Eccl. Discipl. l.*1. *Art.*6. (*d*) *Ration. l.*6. *c.*81.
(*e*) *Vide Antiqu. Ordin. Roman. apud Mabil. Mus. Ital. t.* 1.
(*f*) *Vide Anonym. apud Martene ibid.*, *& Ugon. Victor. de Sacram. l.*2. *part.*7. *c.*7.
(*g*) *Conc. Wirgon. A.* 1240., *Conc. Colonien. A.* 1281.
(*h*) *Conc. Carnoten. An.* 1526.
(*i*) *Conc. Aquen. A.* 1581., *& Senon. An.* 1524.

vari cœperat Confirmatorum frons antequam Ecclesia egrederentur (*a*). Hi sunt Ritus Sacramenti Confirmationis, quibus hæc Liturgiæ pars expliciebat.

SECTIO II.

De Christianæ Ecclesiæ Ministris, ac Magistratibus.

QUi Baptismi, & Confirmationis Sacramenta adepti erant, *Christiani* appellabantur; a primo enim sæculo qui *Christi* instituta amplexi erant, primo *Nazareni*, mox *Jessæi* appellati, tandem Antiochiæ sibimet *Christianorum* nomen adscivere (*b*). Hinc tum primo, tum secundo sæculo eo nomine ab ipsis etiam Paganis appellati sunt. Verum cum apud paganos illius ævi Scriptores Χρηστὸς, & inter Latinos *Chrestus* diceretur nostræ Relligionis Auctor (*c*), *Chrestianos* (*d*) eos dixerunt. Paganis equidem uti *Christi* nomen novum plane erat, ita *Chresti* illud passim obtinebat tum inter Græcos (*e*), quam inter Latinos, qui & masculinum *Chresti* (*f*), & femininum *Chrestæ* (*g*), & diminutivum *Chrestilli* (*h*) nomen habuerunt.

Quemadmodum itaque in bene, recteque ordinata Re-

(*a*) *Conc. Trecense A.* 1400.

(*b*) *Epiph. Hær.* XXIX.

(*c*) *Lucian. In Philop.*, *Sueton. in Claud. c.* 25., *Tacit. Ann. l.* XV. *c.* 44.

(*d*) *Tertul. Apol. c.* 3.

(*e*) *Appian. in Mithrid. de* Χρηστο *Bithyniæ Rege. Auson. Epigr.* XXXIX.

(*f*) *Martial. l.* 7. *Epigr.* 54., *l.* 9. *Epig.* 28.

(*g*) *V. antiq. lapid. ap. Mich. Rossalium De Immut. Christian. nomine Edit. Groningae.*

(*h*) *Martial. l.* 11. *Epigr.* 91.

Republica ordines ſint oportet eos inter, quibus illa coaleſcit, ita in Chriſtianorum ſocietate Magiſtratus quidam ſunt, qui cœteris ex Chriſti inſtitutione præſunt tum in Sacrorum adminiſtratione, tum in doctrinæ, ac morum inſtitutione. Hi autem publice ex ipſomet Chriſtianæ Reip. cœtu eligebantur (*a*). Electi vero *Sacramento Sacri Ordinis* a reliqua Chriſtianorum plebe Divino charactere ſecernebantur. Ea eſt Magiſtratuum Chriſtianæ Eccleſiæ ratio: Magiſtratibus miniſtros etiam adjungimus. Quamobrem operæ prætium erit ſingillatim de eorum ſingulis ediſſerere.

CAPUT I.

De Eccleſiæ Miniſtris.

MIniſtros appellamus eos, quibus vel in Sacrorum adminiſtratione, vel aliis in rebus Magiſtratus utebantur. Magiſtratus autem nomine primo Epiſcopus, ſecundo Presbyter veniunt. Præterea ipſos inter miniſtros diſcrimen quoddam intercedit, eorum enim alii Sacramenti charactere inſigniti ſunt, uti jam inde ab Eccleſiæ initio *Diaconi*, ac tandem etiam *Subdiaconi*; alii vero etſi cæteris fidelibus nullo præſtent Divino charactere, attamen ſigno quodam ſecernuntur, quod *Tonſura* dicitur, ea quippe inſigniti inter inferioris ordinis Eccleſiæ miniſtros recenſentur. Noſtrum itaque erit, primo de inferioribus hiſce miniſtris, deinde de iis, qui in primo ordine verſantur, ac tandem de Magiſtratibus ſermonem inſtituere.

Sub Eccleſiæ initium Diaconi dumtaxat miniſtrorum munere fungebantur. Paullatim inde Lectorum ac Subdiaconorum ordo inſtitutus eſt. Verum ſtatim ac pace potita eſt Eccleſia eorum numerus augeri cœ-

(*a*) *Epiſt.Cler.Rom.ad Honor.Imper.ap.Baron.A.*419.*n.*13.

cœpit, cum enim Relligio in dies magis pateret, ac Sacra Mysteria solemniori apparatu persequerentur, iis obeundis primi illi ministri, satis non erant, adeoque novi creati sunt.

§. I.

De Secundi Ordinis Ministris, deque Tonsura.

Secundi ordinis ministros, quos *Clericos* dicimus, Episcopus creabat, qui quidem cum Sacro ordine minime inaugurarentur, unius Episcopi judicio absque populi suffragiis delecti erant. Episcopus vero *Presbyterii* consilio nonnisi eum eligebat, qui morum innocentia præstaret, modo *Sacris libris legendis*, ac quodammodo intelligendis par esset (*a*); præsertim vero (cum adhuc a Paganis divexaretur Ecclesia) si fidem publice professus esset (*b*). Ita pari modo qui ob aliquod patratum crimen publica pœnitentia obnoxii fuerant (*c*), Bigami (*d*), Clinici, qui scilicet morti proximi Baptismo initiati fuerant (*e*), qui aliquem morte quamquam invito animo affecissent, Judices, qui reo mortem decrevissent, vel eorum ministri (*f*), ac demum qui grandem pecuniam deberent, aut publicis usuris operam darent (*g*), *Mancipia* (*h*). Servi *manus mortuæ* injussu Domini (*i*), hi omnes sane a ministrorum ordine arcebantur. Quin immo postera ætate antiquis hisce aliæ ac-

(*a*) *Hilar. Papa. Epist.* 2. (*b*) *Cypr. Epist.* 33.
(*c*) *Id. ep.* 68., *Greg. Magn. l.* 6. *ep.* 36., *Isid. Hisp. De Offic. Eccl. l.* 2. *c.* 5.
(*d*) *Ap. Gratian. Dist.* 26. *c.* 5.
(*e*) *Conc. Carth. I. c.* 8.
(*f*) *Ap. Grat. ib.* & *Dist.* 50. *c.* 8.
(*g*) *Innoc. P.I. ep.*2., *Greg. M. l.*2. *ep.*62.
(*h*) *Canon. Apost. can.*82. (*i*) *Conc. Aurel. III. c.*6

accesserunt leges, quibus vetitum est, eos omnes, qui turpi nimium sunt corpore, cæcos, surdos, mutos, *mutilos* (*a*) Amentes, Energumenos (*b*), illegitimo conjugio natos (*c*) inter Ecclesiæ ministros cooptari. Verum etsi Ecclesia hisce legibus consuluerit Sacrorum venustati, attamen pro loci, vel temporis adjunctis paullo mitiorem in ejusmodi re ejus disciplinam fuisse comperimus (*d*).

Episcopus itaque eum, qui idoneus Ecclesiæ ministerio videbatur, *tonsura* signabat, capilli scilicet cincinnos quosdam ei detondebat, quæ nota σφραγις, h.e., *sigillum*, vel quandoque χαρακτηρ (*e*) a Græcis appellatur. Dum Ecclesiam vexarent Pagani ea nota caruere Christianorum Ministri, ne illis paterent; quare Clerici brevi capillo, ac tonsa barba Romanorum more incedebant. Hinc cum Romano Imperio potiti sunt Barbari, qui pro eorum more comas nimium promittebant, soli clerici antiquum Romanorum morem servarunt: quamobrem is, qui inter Ecclesiæ ministros cooptabatur, *per ipsius Episcopi manus* capillos prolixiores demittebat, ut cæteris clericis congrueret. Quo tandem factum est, ut quisquis ministrorum Ecclesiæ ordinem ingreditur, tonsuram ferat, qua ab Episcopo *consignatur*. Itaque a quarto ad VIII. fere sæculum in eo plane posita erat *tonsura*, ut scilicet clerici breviori præ cæteris essent coma, neque enim adhuc ubique obtinuerat in capite *capillorum abrasio*. Nam cum ipsi etiam *laici*, qui morum severitati studebant, a IV. sæc. capillos promittere vererentur (*f*), clericis, qui cæteros vitæ sanctimonia præstare opus est, comatos incedere vetitum itidem erat (*a*);

(*a*) *Leo P.I. ep.3.* (*b*) *Conc. Clerom. ap. Grat. Dist. 56. c.11.* (*c*) *Conc. Megal. c.64.*

(*d*) *Conc. Megal. A.845. c.64.*

(*b*) *Ap. Balsam. in can. Apost.62.*

(*f*) *Hier. in c.44. Ezech.*

(*a*); breviori igitur coma tum inter Græcos, tum inter Latinos eos esse Conciliorum decretis sancitum erat (*b*); cumque in Hispania Clerici *antias* saltem gerere studerent, Gotthorum more, qui *granos* sive *cirrhos*, (eorum idiomate *cinnabar* (*c*)) alebant, illud sæc. VI. Concilia illis interdixerunt (*d*). Ea sane erat *tonsuræ* ratio sæc. VI. (*e*) generatim fere inter Latinos, quorum Clericis barbam alere a IV. ad VII. (*f*) Sæc. vetitum etiam fuit (*g*), cumq: ad XI. Sæc. adhuc laici *barbati* in Occidente incederent, clerici barbam radere consueverunt (*h*). At V. etiam Sæculo in aliquibus Galliarum Ecclesiis Clerici tonsuram ad instar rotæ, vel coronæ gerere cœperunt (*i*); Episcopus enim dum in Clericorum ordinem *laicos* referebat, non cincinnos tantum capillorum eis execabat, verum & e capitis medio capillos abradens, eis coronam quandam circa caput relinquebat, quare ipsa tonsura *corona* VI. etiam Sæculo appellabatur (*k*). Hinc paullatim ea tonsuræ forma ad alias pertransiit Ecclesias, ac universe obtinuisse videtur inter Latinos VIII. Sæculo (*l*). Græci vero adhuc ea ætate antiquiori utebantur tonsura, cum eorum Clerici brevi capillo absque circulo incederent (*m*), ac nonnisi sero ad Latinorum morem quod

(*a*) *Greg. Nanz. Orat.* 28., *V. Buonar. Osserv. sopra i vetri cemet. Osserv.* XI., *Act. S. Gorg. ap. Baillet.* 11. *Aout. A.* 580.
(*b*) *Conc. Carth.* IV. *c.* 44., *Conc. Tolet.* IV. *c.* 41. *An.* 633.
(*c*) *Isid. Hisp. Orig. l.* 19. *c.* 17.
(*d*) *Conc. Barcin. c.* 3. 6. *An.* 540., *Brachar. c.* 11. *A.* 563.
(*e*) *Conc. Agath. c.* 15. *A.* 506. *Greg. Turon. Hist. l.* 2. *c.* 41.: *De Mir. B. Mart. l.* 2. *c.* 4. (*f*) *Conc. Carth. ib.*
(*g*) *Ratramn. Corb. Hist. Langobard. l.* 5. *c.* 53.
(*h*) *Greg. P. VII. l.* 8. *ep.* 10.
(*i*) *Sidon. Apollin. l.* 4. *ep.* 13.
(*k*) *Greg. Turon. de Vit. Patr. c.* 6. 9. 17., & *de Glor. Mart. l.* 1. *c.* 28. (*l*) *Beda Hist. Angl. l.* 4. *c.* 1. (*m*) *Beda ibid.*

quodammodo accessere, cum primus tonsuræ ad coronæ modum meminerit Sæc. XIII. Germanus II. Patriarcha Constantinop. (*a*).

Tonsuræ itaque figura a V. Sæc. ut dictum est, *circularis* erat, ideoque *rota* (*b*), *corona* Sæc. VI. (*c*), ac tandem *circulus* appellabatur (*d*). Saxones dumtaxat tonsuram semicircularis formæ ferebant, quam Sæc. IX. abjecerunt, ac orbicularem illam amplexi sunt (*e*). Ampliorem hanc tonsuram ad Caroli Magni ætatem servarunt Latini fere omnes (*f*), verum a IX., ac potissimum XI. Sæc. sensim arctari cœpit, licet passim Concilia strictiorem tonsuram interdicerent (*g*). Quam ob caussam tum in Galliis (*h*), tum in Anglia (*i*), atque etiam alibi (*k*) ad Sæc. usque XIII. & XIV. tonsura ad *coronæ* modum, cujusmodi ea est Fratrum Mendicantium, a Clericis ferebatur. Græcorum autem tonsura a Sæc. ferme XV. crucis figuram prætetulit (*l*).

Animadvertendum attamen est, olim tonsuram ipsis *minoribus ordinibus* comitari, eamque nemini ante ordines impertiri (*m*), adeoque *Clericorum* nomine nonnisi eos, qui aliquo *ordine* inter minores Ecclesiæ ministros cooptati erant, donari (*n*). Cum autem VII.

(*a*) *In Theor. Rer. Eccl. Biblioth. Patr. t.* 2.

(*b*) *Sidon. Apoll. ib.* (*c*) *Greg. Turon. ib.* (*d*) *Beda ibid.*

(*e*) *Id. Hist. Angl. l.* 5. *c.* 3., *V. Mabill. Ann. Bened. Præf. in Sæc.* III.

(*f*) *V. Baluz. in Not. ad Capit. Reg. Franc.*

(*g*) *Ratramn. Hist. Long. l.* 5. *c.* 54.

(*h*) *Conc. Paris. c.* 1. *A.* 1212., *Conc. Mon-pessulan. c.* 4. *A.* 1214., *Pontif. Silvanecten. cum figur. Sæc.* XIV.

(*i*) *Conc. Extrecen. c.* 17. *A.* 1287., *Conc. Londin. c.* 2. *A.* 1342. (*k*) *V. Martene ibid. t.* 2. *l.* 1. *c.* 8.

(*l*) *V. Goar Præf. ad c.* XX. *Euch.*

(*m*) *V. Morin. De Sacr. Ordin. Part.* 3. *Exerc.* XV.

(*n*) *Conc. Carth. III. c.* 21.

VII. labente Sæc. Parentes filios adhuc puerulos erudiendos tradere cœpissent Episcopo, qui dum illos in suam reciperet tutelam, eorum comam ritu quodam detondebat (*a*) (quem ritum ipsi etiam Presbyteri, vel Diaconi Sæc. x., ac quandoque sanctioris vitæ laici ex Episcopi *delegatione* persecuti sunt (*b*)) paullatim inde ab ipsis minoribus ordinibus tonsura divelli cœpit, quæ Sæc. IX. ante ordines passim impertiebatur inter Latinos (*c*), atque etiam Sæc. XI., & præsertim XII. inter Græcos (*d*); quare *clericorum* nomine ac *privilegiis*, qui una dumtaxat *tonsura* præditi erant, jam tum fruebantur (*e*). Hinc *conjugati* clericorum nomine, ac privilegiis ad Sæc. usque XIV., tonsuram ferentes, utebantur (*f*). Hæc de *tonsura*, quæ ordines nos inter præcedit, eamque Episcopus Clericis, Monachis vero Abbas tradit.

§. II.

De Muneribus Ministrorum secundi ordinis.

Ministrorum numerum a IV. Sæculo Ecclesiarum magnificentiæ accommodarunt Episcopi, adeoque in frequentioribus Ecclesiis plures erant eorum classes. Sex erant inter Latinos IV. Sæculo h. e., *Subdiaconorum* (cum adhuc ii Sacro Charactere carerent). *Lectorum*, *Exorcistarum*, *Acolitorum*, *Ostiariorum*, *ac* *Can-*

(*a*) *V. Morin. ibid. Exerc. xv. c.* 3.
(*b*) *V. Mabill. ibid.*
(*c*) *Conc. Melden. A.* 845., *Hincm. Rem. de Car. Man. t.* 2. *p.* 219.
(*d*) *Balsam. in c.* 62. *Apost.*, *&* *c.* 33. *Conc. Trullan.*
(*e*) *V. Du-Cang. in v.* Clerici conjugati.
(*f*) *Id. ib.*

Cantorum (*a*); *Cantores* alibi *Psalmistæ* etiam dicebantur (*b*). Romæ præterea eadem ætate erant & *Custodes Martyrum* (*c*). Verum post XII. Sæc. antiquis novæ classes accessere, uti *Sacristæ*, *Custodum* (*d*) ac *Parafrænariorum* (*e*). Alibi etiam *Campanariorum*, & *Matriculariorum* (*f*). Græci vero plerumque *Subdiaconos*, ac *Lectores* habuerunt (*g*); etsi in aliquibus Ecclesiis *Exorcistarum*, *Interpretum linguarum*, ac *copiatarum* classes fuerint. (*h*) At saltem subsecuta ætate tum *Ostiarii*, tum *copiatæ* peculiarem non habuerunt classem in eorum Ecclesiis (*i*). De Subdiaconorum classe postea, nunc de cæteris.

Lectorum, Græce Αναγνωσων, classis omnium antiquissima (*k*) ea erat, cui olim Sacrorum librorum custodia deferebatur, dum adhuc Ecclesia persecutionibus urgeretur (*l*): verum deinceps eorum opera uti cœperunt Episcopi in Sacrorum librorum publica lectione, quæ in Ecclesiis fiebat, uti & in primorum fructuum, qui tunc pro more Altari offerebantur (*m*), *benedictione*, a IV. scilicet sæculo (*n*). Qua de re hodiedum Epi-

(*a*) *Conc. Carth.* IV. *An.* 398.
(*b*) *Greg. Turon. Vit. Patr. c.* 6.
(*c*) *Ex Con. Rom. sub. Silvestro P.*
(*d*) *Vide Duo tit. in Decret. Greg.*
(*e*) *Concil. Later. V. A.* 1513.
(*f*) *Syn. Colon. c.* 17. *A.* 300.
(*g*) *Conc. Oecum.* VIII. *Act.* 10. *c.* 5.
(*h*) *Epiph. in Expos. Fid. c.* 21.
(*i*) *Codinus de offic. Aulæ Const.*
(*k*) *Vide Cyprian. & Epistolas Cleri Rom. inter ejus Opera.*
(*l*) *Vide Baron. An.* 303. *n.*7.12. 13.
(*m*) *Vide lib. III. Sect.II.c.*4.§.6.
(*n*) *Conc. Carth.* IV. *ib.*

piſcopus *Miſſale* in eorum ordinatione iis tradit. Tribus prioribus ſaeculis ii praeſertim, qui fidem coram Paganis profeſſi erant, inter *Lectores* referebantur (*a*), cum nonniſi a IV. ſæc., quo ad publicam ſcripturarum lectionem adhibiti ſunt, eos librorum lectioni ſaltem idoneos eſſe oportuerit (*b*); eo vel magis quod inde laicis, uti & monachis publica Sacrorum librorum lectio in Eccleſia interdicta fuit (*c*). Eorum autem electio, atque ordinatio uni Epiſcopo eo reliqua erat, ut ipſis Corepiſcopis non liceret illos *ordinare* ſine Epiſcopi venia (*d*). Inter Græcos Lectorum claſſi eorum unus aetate major præerat, qui Ἀρχιαναγνώστης *Archilector* appellabatur (*e*). Demum praetereundum non eſt *Lectoris* nomen olim commune fuiſſe omnibus quandoque minoribus clericis, ac ſi miniſtros maxime ſecundæ claſſis deſignaret (*f*).

Exorciſtæ ii erant, qui Epiſcopi juſſu *Exorciſmata*, de quibus locuti ſumus (*g*), *ſuper Catechumenos* recitabant; cumque olim, quoties Liturgia fieret, Eccleſia ritus quoſdam *ſuper Energumenos*, qui ſacris aderant, perſequeretur, Exorciſtae, ſuper eorum capita manus imponebant ac publicas preces recitabant (*h*). Cum autem deſiit *Catechumenatus* diſciplina praecipuum Exorciſtarum munus exolevit, neque amplius ſine Epiſcopi licentia Energumenos *exorcizare* illis jus fuit (*i*).

Aco-

(*a*) *Cypr. Ep.* 33.
(*b*) *Damas. P. ep. ib.*
(*c*) *Syn. Trull. c.* 33., *Balſam. in eumd. can.*
(*d*) *Syn. Oecum. VII. c.* 14.
(*e*) *Ex Conc. Antioch. in Act. Conc. Calced. Act.* 14.
(*f*) *Ex Ep. Leon. P. I. ad Ruſt. Epiſc. Narbon.*
(*g*) *Sect.* I. *c.* I. §. VIII.
(*h*) *Conc. Carth. ib.*
(*i*) *Pontif. Rom. Pauli V. de Ritu Exorc.*

Ακόλουθοι *Acolythi*, vel *Acoliti*, aut *Acoluti* penes Græcos Λειτουργοί (a) dicebantur, qui Episcopo sacra peragenti cereos praeferebant (b). Eorum opera magni erat penes Episcopos jam inde a primis saeculis, iis quippe Eucharistiam absentibus, atque infirmis, uti & panem *Eulogicum* ferendum tradebant (c).

Ostiarii θυρωροὶ ad Ecclesiæ fores stabant, tum ut Paganos prohiberent Templi aditu, tum ut viri, ac mulieres, eo, quo par erat, ostio, ingrederentur: alio enim ostio ad, mulierum locum, alio ad virorum illum, aditus ad Ecclesiam patebat (d). Tandem ut pœnitentes, & catechumenos in ordinem dirigerent, ac silentium indicerent (e). Hæc Clericorum classis inter Latinos potissimum obtinuit.

Latini praetereà *Cantores* habuerunt, sive *Psalmistas*, qui olim dum non adhuc Psalmi canerentur, ut dicturi sumus (f), primi recitare incipiebant Psalmum, quem ceteri persequebantur. At cum a VI. potissimum saec. cantus in Psalmodica Liturgia invaluisset, *Cantores* appellati sunt, cum cantu psalmos modularent in Ecclesia. Episcopi enim vel per se, vel per alios, qui cantus scientia callerent, eos erudire studebant. Hinc. VI. saec. in Galliis *cantorum schola* a Gregorio Turonensi Episcopo instituta (g), Romæ a S. Gregorio Magno (h), qui omnium fere Occidentis Ecclesiarum Clericos eo invitavit (i), ut

(a) *Arcud. de sacr. ordin. l. 6. c. 9.*
(b) *Conc. Carth. IV. ib.*
(c) *Vide Dissert. I. tom. ult.*
(d) *Vide l. II. sect. 1. c. 3.*
(e) *Conc. Carth. IV. ib.*
(f) *Lib. II. sect. II. c. 2. §. 4.*
(g) *Greg. Turon. De Mir. S. Mart. l. 1. c.* 33.
(h) *Joh. Diac. Vita S. Greg. l. 2. c. 6.*
(i) *Id. ib. c.* 7. 8.

ut sub *Archicantore* (*a*) Psalmorum musicam perdiscerent; quo factum est, ut cum ibi ex Anglia (*b*) ex Galliis, Hispaniis, atque Italia Clerici confluerent (*c*), totius Occidentis cantus ad Romanæ Ecclesiæ normam se exegit (*d*). In Hispaniis itaque *Cantores* erant, qui *modulatione*, quæ *non artem theatralem redoleret*, *sed christianam simplicitatem* (cujusmodi Gregoriani cantus idea reliqua nobis est) Psalmos concinebant, iique cibis omnibus ante cantum abstinebant, atque *Fabarii* appellabantur, cum ad vocem tuendam leguminibus potius vescerentur (*e*). In Anglia Jacobus Eboracensis Ecclesiæ Diaconus a Romana Schola redux, Romanum cantum, atque Scholam cantorum invexit (*f*), quam VII. saec. restauravit Theodorus Cantuariensis Episcopus (*g*). In Oriente vero olim *cantorum* munere Presbyteri fungebantur; tandem medio ævo ipsimet Eunuchi *lectores* ordinabantur, ut cantorum munia in Ecclesia obirent (*h*).

Præter enumeratas inferiorum ministrorum classes, quamplures aliæ sunt, de quibus ad hujus sectionis calcem dicturi sumus. Nam cum iisdem clericis, qui aliquo ex dictis *ordinibus* insigniti erant, aliquod novum Ecclesiæ munus ab Episcopo deferretur, ii novum itidem nomen sortiebantur, ita ut idem clericus, qui lectoris ordine præditus erat, *Notarius*, *Defensor* &c. appellaretur, eo quod ejusmodi fungebatur muneribus (*i*). At postera

(*a*) *Beda Hist. l.* 4. *c.* 18.
(*b*) *Id. ib. l.* 5. *c.* 20. 21.
(*c*) *Joh. Diac. ib.* (*d*) *Id. ib.*
(*e*) *Isid. Hisp. de Eccl. Offic. l.*2.*c.*12.
(*f*) *Beda ib. l.* 4. *c.* 18.
(*g*) *Id. l.* 5. *c.* 21.
(*h*) *Balsam in c.* 4. *Conc. Trull. & in c.* 14. *Syn. Œcum. VII.*
(*i*) *Gelas. P. ep.* 9.

ra ætate ab antiqua consuetudine aliquantulum ea in re Latini recessere, ut infra dicemus.

Græci vero inter minores ordines, & alia ecclesiæ munia latum discrimen interesse putarunt; hinc primos, quos τάξεις appellabant, Episcopus conferebat χειροθεσία *manus impositione* (quæ alia attamen a χειροτονία erat, cujusmodi ea manus impositio appellabatur, quam in *Sacris Ordinibus* adhibebat Episcopus); quare ipsamet tonsura, quæ, ut diximus, cum ipsis conferebatur ordinibus χειροθεσία ab antiquis appellatur. Altera Λειτμων *Officiorum* nomine veniebant, quæ conferebat Episcopus non χειροθεσία, sed προβουλῃ, promotione (*a*).

Ordines igitur, quos *minores* dicimus Episcopus conferebat χειροθεσία, plerumque die Dominica antequam Liturgiam inciperet, olim in Ecclesiæ Nartece, vel una ex lateralibus illius navibus, inde passim in Sacrestiis (*b*).

Unum tandem animadvertendum. Olim minores ordines pro officio collatos, eo ut qui *lector* erat eo fungebatur munere usque dum Episcopus majoribus ordinibus eum initiandum duceret. Quamobrem Ordines neque simul collati (*c*), neque omnes eodem uni clerico (*d*) pro nostrorum more; cum enim clericorum aliquis exercuisset lectoris, Cantoris &c. officium, deinde ad Subdiaconatum ascendebat, vel quandoque ad ipsum Diaconatum, vel Archidiaconatum (*e*), veteribus quippe illud cautum erat, ne clerici parum diu Ordinis, quo insi-

(*a*) *Conc. Chalced.*
(*b*) *Ambros. Comm. in Ep. ad. Tim.*, *Amalar. de Div. Offic. l. 2. c. 6.*
(*c*) *Sirici P. ep. 1. c. 9. & 10.*
(*d*) *Innoc. I. P. ep. 4. c. 5.*, *Gelas. P. ep. 9.*
(*e*) *Sidon. Apollin l. 4. ep. 25.*

insigniti erant, *officium* exercerent. Nemo enim ordine insignitus erat, quin ordinis munere fungeretur (*a*). Medio autem ævo, tum cum clerici ordinis officio vacare cessarunt, paullatim quatuor minores ordines simul conferri cæperunt.

§. III.

De Primi Ordinis Ministris, ac primo de Subdiaconis.

De Subdiaconis primo sermonem instituimus, cum eorum ordo olim inter minores referretur; deinde Diaconorum ordinem, ac munia persequemur.

Ordinis *Subdiaconorum* a III. Saec. Patres meminere (*b*). Græci Υπηρετους (*c*) vel Υποδιακονους (*d*) eos appellarunt, quorum classis una olim ex minorum ministrorum illis tam inter Græcos, quam inter Latinos erat. Duplici autem in Oriente fungebantur munere, portis etenim Ecclesiæ adstabant (*e*), cum Græci *Ostiariis* plerumque carerent; ac populi oblationes Episcopo Sacrum peragenti offerebant (*f*); quare in frequentioribus Ecclesiis plures erant, uti Constantinopoli LXX. ex Heraclii edicto (*g*). Postremo hoc munere fungebantur in Occidente (*h*) cum nonnisi post IX. Saec.

 pu-

(*a*) *Id. ib.*, *Zosim. P. ep.* 1.

(*b*) *Vide Menard. Not. ad sacr. Gregor. c. de Subdiac. ordin.*

(*c*) *Conc. Nic. Act. I. part.* 2. *ap. Suicer. in hac. v.*

(*d*) *Const. Apost. l.* 8. *c.* 9.

(*e*) *Conc. Laodic. c.* 22. & 43., *Zonar. in hunc can.*

(*f*) *Const. Apost. ibid.*, *Conc. Nic. II. Act.* 2.

(*g*) *Vide Heracl. Nov.* 13. *in Bibl. Jur. Can. Orient. pag.* 1367.

(*h*) *Vide Anast. Bibl. in V. Greg. III.*

publice in Liturgia Epiſtolas Canonicas, vel alias Scripturæ *Lectiones* legere cœperint (*a*). Quam ob cauſſam eos *Sacra myſteria contrectare* Patres dixerunt (*b*); cum panis ac vinum, quæ fideles *per eorum manus* Altari offerebant, elementa eſſent Sacrorum myſteriorum. Romæ præterea Sæc. VI. Ecclesiae patrimonio curando adhibiti perſæpe erant (*c*). Ut autem inter Lectores in Oriente *Archilector* erat, ita tum ibi, tum Romæ primus Subdiaconorum erat, qui a Graecis *Domeſticus* Σύνοικος, a Latinis *Oblationarius* appellabatur (*d*). At in Occidente Sæc. tandem XI. in primum miniſtrorum ordinem *Subdiaconatus* referri cœpit; cum enim in Concilio Beneventano ſub Urbano P. II. *ſacro ordine* eos *inſignitos* dixerint Patres (*e*), paſſim apud XII. ſæculi Scriptores Subdiaconatus inter majores ordines haberi cœpit (*f*), id quod tandem plane firmavit Innocent. III. eodem ſaeculo (*g*). Hinc cum antea in *Capitula* nonniſi Presbyteri, & Diaconi referrentur, a Saec. XIII. & XIV. etiam Subdiaconi inter *Capitulares* recenſiti ſunt, ac *vocem* (uti dicunt) eos inter habuerunt (*h*).

Ritus eorum ordinationis olim ab Epiſcopo, a VI. au-

(*a*) *Vide Antiqua Ritual. ap. Martene de Ant. Ecclesiae Diſc. t.* 2.

(*b*) *Iſid. Hiſp. de Eccl. Offic. l.* 2. *c.* 10.

(*c*) *Vide cap. de Œcon. infra.*

(*d*) *Vide Anaſt. Bibl. ib.*

(*e*) *Ap. Ivon. decret. part. V. cap.* 7.

(*f*) *Ugo a S. Vict. de ſacr. l.* 2. *part.* 3. *c.* 13., *V. Petr. Cantor. l.* 1. *de Verb. Miriſ.*

(*g*) *C. Miramur De Serv. non ordinand.*

(*h*) *Conc. Avennion. A.* 1337., *&* *Trident. confirmavit ſeſſ.* 22. *c.* 4.

autem Saec. tum ab Episcopo, tum ab Archidiacono perficiebatur. Primus enim *ordinando patenam*, *&* *calicem tradebat*, alter *ampullam aquæ*, *ac sacri ministerii lintea* (*a*). Verum post IX. Sæc. iterum Episcopi per se ritum omnem in Subdiaconi ordinatione persecuti sunt, ac novum adjecere ritum, cum *Epistolarum* Canonicarum librum eis legendum traderent (*b*). Græci vero eodem cum Latinis ritu olim usos esse videntur (*c*), at progressu temporis a Saec. præsertim XIV. Subdiaconorum Ordinationem eos inter Episcopus manus impositione inchoare (*d*), ac sacrorum instrumentorum traditione absolvere cœpit (*e*). Hæc de Subdiaconis, quos in Occidente post XII. saeculum inter primi ordinis ministros recensemus.

§. IV.

De Diaconis.

Diaconus Διακονος, Græca vox, latine *minister*, nomen generale eorum fuit, qui Ecclesiæ ministerio fungebantur. Sic olim ipsi Apostoli (*f*), atque Episcopi *Diaconi* appellati sunt (*g*). Verum jam inde ab Ecclesiæ ipsius exordio peculiare, ac proprium nomen eorum fuit, qui tertium post Episco-

(*a*) *V. Ap. Martene Antiqua Rit. ordin. t. 2.*
(*b*) *V. Ant. Ritual. X. sæc. & c. 16.*
(*c*) *V. Antiq. EuchOlog. ap. Goar. in c. ordin. Subd.*
(*d*) *Simeon. Thessal. de sacr. ordin. c. 2.*
(*e*) *V. Morin. ib. Exerc. II. c. 3.*
(*f*) *Athenag. Orat. c. Gent. Oper. t. 1., Œcum. ap. Phot. cod. 49.*
(*g*) *Chrysost. hom. 1. in Ep. ad Philip. c. 1. v. 1.*

ſcopos, & Presbyteros in Eccleſiaſtica Hierarchia gragradum tenent (*a*).

Eos autem ab Apoſtolis inſtitutos docet ſcriptura (*b*), tum ut Euchariſtiam fidelibus dividerent, tum ut commune Eccleſiæ patrimonium curarent; quibus negotiis eorum munus continebatur. Hinc initio Apoſtoli populi concilio eos elegerunt, eademque methodo paſſim ad VI. uſque Saec. uſa eſt Eccleſia. Epiſcopus enim Clerum primo de vita, ac moribus ejus, quem inter Diaconos referre maluiſſet, conſulebat (*c*); populum deinde convocabat, eique ordinandum offerebat, ac cum ſine tumultu ejus ſuffragia iniret (*d*), populi electionem confirmabat. Ea eſt ſex priorum ſæculorum Orientis (*e*) atque Occidentis Eccleſiæ (*f*) diſciplina. At a VI. Sæc. cum in ejuſmodi electionibus populi tumultum compeſcere haud valerent Epiſcopi, ab antiquo more paullatim receſſere, ac tandem Iuſtiniani edicto unicuique e civibus *Ordinandum* penes Epiſcopum accuſandi ius reliquum fuit (*g*). Hinc antiquæ diſciplinæ ſpeciem quandam retinuit, ac retinet Eccleſia, cum in *Ordinatione* Diaconi, Epiſcopus populum ſciſcitetur, num aliquid adverſus ordinandum habeat (*h*); quam ob cauſſam *Ordinandorum* nomina propriis Parochiis publicari juſſit Tridentinum Concilium (*a*).

Se-

(*a*) *Vide Eſti. com. in ep. ad Epheſ. c.* 3. *v.* 7.

(*b*) *Act. Apoſt.* (*c*) *Cypr. epiſt.* 33.

(*d*) *Id. ep.* 34., *Conc. Laodic. c.* 13.

(*e*) *Conc. Laodic. ib.*, *Epiſt. Synod. Conc. Nicæn. ap. Socrat. l.* 1. *c.* 6.

(*f*) *Conc. Carth. III. c.* 22., *& IV. c.* 1., *Siric. Epiſt. ad Himer. c.* 10., *Hieron. ep. ad Ruſt.mon.*

(*g*) *Juſtini. Nov.* 123. *c.*14.

(*h*) *Vide Pontif. Rom. in ordin. Presby.*

Septenarium olim ad Apoſtolicæ Eccleſiæ normam ubique Eccleſiarum Diaconorum numerum fuiſſe de Græcis potiſſimum (*a*), ac Romana Eccleſia novimus(*b*). Verum Diaconi in Majoribus Orientis Eccleſiis in immenſum excrevere, eo ut Conſtantinopoli ad CVI. eorum numerum Saec. VI. contraxerit Juſtinianus (*c*), ac tandem ad quinquaginta Sæc. VII. Heraclius Imperator (*d*).Sic eodem modo tum Romæ poſt IV. Sæc., tum alibi in Occidente pro Eccleſiarum ratione eorum numerus crevit; cum enim ea ætate Eccleſiae bonis ejus miniſtri alerentur, plures ii erant, ubi Eccleſia opulentior evaſerat.

Eorum itaque munia cum primo non niſi in Euchariſtiæ diſtributione, ac Eccleſiaſticæ ſtipis erogatione verſarentur, paullatim increvere eo, ut III.Sæc.*ſi urgeret neceſſitas* pœnitentibus manus imponere eis jus eſſet (*e*). A IV. autem Saeculo in Oriente Epiſcopo jus dicenti aderant: ac ſuffragium in judiciis Canonicis ferebant (*f*): minoribus Clericis præerant, eoſque excomunicandi jure præditi erant (*g*). Ac tandem Parochiis curandis Epiſcopi illos delegerunt IV. adhuc ineunte ſaeculo in Occidente (*h*); Quo factum eſt ut ipſi Parœciarum tituli *Diaconiæ* dicerentur: etſi ibi neque Baptiſmum conferre ſine Epiſcopi venia (*i*), neque Euchariſtiam injuſſu Preſbyteri diſtribuere iis fas eſſet (*k*). Euchariſtiam enim non

(*a*) *Conc. Neocæſ. c.* 14., *Trull. c.* 16.
(*b*) *Sozom. l.* 7. *c.* 19.
(*c*) *Juſtinian. Nov.* 3. *& Photium in Nomoc.t.*1. *c.*30.
(*d*) *Her. Nov. ap. Phot. ib.*
(*e*) *Cypr.ep.* 13. (*f*) *Conſt.Apoſt. l.* 8. *c.*28.
(*g*) *Ib. l.* 2. *c.* 47.
(*h*) *Conc. Illiber. c.* 77. *A.* 305.
(*i*) *Ib. c.* 77., *Hieron. Adv. Lucifer c.* 18.
(*k*) *Conc. Illib. c.* 32.

non nisi presbitero præsente, ac pro illius judicio dispensabant (*a*); cum integrum de Eucharistiæ distributione judicium, dumtaxat Episcopo, atque Presbytero absentibus, Diaconis concreditum esset (*b*).

Cum igitur in dies patesceret eorum provincia, sensim tum Romæ, quo Ecclesiae tesaurum servabant, tum alibi ipsos Presbyteros aequare studuerunt, (*c*) cum inter illos, qui Episcopo pro more assidebant, sedere vellent (*d*), potissimum in Galliis, quo ipsum sacrificium peragere ausi sunt (*e*). Hinc medio ævo eo paullatim devenit eorum auctoritas, ut totum fere Ecclesiarum regimen eorum fidei commissum ipsimet Episcopi haud æquo animo senserint, ut post hæc dicemus.

Hi nihilominus usque ad XI. sæculum vocati Conciliis interfuere (*f*). Ad Episcopatum nominari posse edicto statuit eodem sæculo Urbanus II., quod confirmavit Innoc. III. (*g*). Ad XII. Sæc. finem pœnitentiam imponebant, Eucharistiam dispensabant, Baptismum *morte urgente* elargiebantur, absque Episcopi licentia (*h*), Eisque *confessiones in necessitatis casu audire* Episcopi permittebant, potissimum in Galliis (*i*), Quamobrem Diaconorum nonnulli ea ætate, quin ad Presbyteratum ascendere optarent, vitam omnem eo potius ordine agebant (*k*). Nunc

(*a*) *Conc. Carth. IV. c.* 38. 39. & 40.
(*b*) *Gelas. P. ep.* 9.
(*c*) *Conc. Carth. IV. c.* 37.
(*d*) *Hierony. ep. ad Evagr.*
(*e*) *Conc. Arelaten. c.* 18.
(*f*) *Conc. Lemovicen. An.* 1031.
(*g*) *Decret. c. a multis. De Ætate, & qualit Præficiend.*
(*h*) *Conc. Eboracen. c.* 4. *An.* 1195., *Conc. Londin. c.* 3. *An.* 1200.
(*i*) *Constit. Odon. Archiep. Parisiens. Specileg. t.* 2. *c.* 56.
(*k*) *Petri Blesens. ep.* 123.

Nunc de ritu eorum *ordinationis*, quæ olim manus impositione Episcopi, & unica oratione continebatur. Post IX. Sæc. liber Evangeliorum, ac Dalmatica Ordinandis tradi cœpit (*a*): oratio vero, quæ hujus libri *traditionem* sequitur circa XI. Saec. ritui ordinationis accessit (*b*), neque eadem apud omnes Ecclesias fuit (*c*). Pari modo XII. Saeculo ea *formula consecrationis*, qua nunc utimur, adhiberi cœpit (*d*). Hæc de Diaconis inter Latinos. Græci vero a Latinorum ritu non parum distant: *Ordinandus* etenim duobus Diacônis comitatus ter circuit Altare, dein Episcopo offertur, a quo Cruce in fronte tertio signatur; mox exuta Subdiaconi veste Altaris *mensæ* fronte innititur, eique Episcopus, dum Archidiaconus *orationes* recitat, ter manus imponit, ac ejus finistro humero Stolam aptat, populo acclamante ἄξιος, h. e. *dignus*. Tandem ῥιπίδιον accipit, (h. e. ventilabrum Sacrum de quo infra (*e*)) & recitans *preces*, quæ *Diaconales* dicuntur, cum aliis Diaconis communicat. Ea est ordinationis ratio, quam ab antiquis ad nostra usque tempora servarunt Græci (*f*). Jacobitarum, Nestorianorum, atque etiam Coptarum ritus parum a Græcorum illo dicrepat (*g*). Ac de Diaconis satis.

(*a*) *V. Morin. ib. Exer. 3. c. 1.*
(*b*) *V. Durand. Mimat. in Dist. 24. q. 3.*
(*c*) *V. Antiq. Ritual. ap. Martene ib., Menard. Not. in sacram. c. de Diac. Ord., Morin. ib.*
(*d*) *V. Ritual. XII. sæc. ap. Morin. ib.*
(*e*) *Lib. II. Sect. I. cap. 7.*
(*f*) *V. Græc. Euch. c. de ord. Diac. & Goar. not. ad h. e.*
(*g*) *Vide Morin. ibid., Reneaud. La Perp. de la Foy t. 1. l. 5. c. 7.*

§. V.

De Archidiaconis.

Diaconorum primus olim *Archidiaconus* appellabatur, neque aliis nisi ætate præstabat (*a*). At post IV. Saec. primis hisce Diaconis potissima Ecclesiæ munera demandari cœperunt, eo ut *Archidiaconatus* prima evaserit Cleri *dignitas*. In Oriente enim IV. Saec. Archidiaconi ad Œcumenica Concilia pro absentibus propriæ Ecclesiæ Episcopis intererant (*b*), eorumque opera maxime utebantur Episcopi (*c*), ita ut universo videntur præfuisse Clero (*d*). Sic in Occidente eodem Saec. eorum auctoritatis primordia cœpere (*e*), cum V. jam Sæculo eorum *Dignitas* prima post Episcopum haberetur (*f*), etsi Archidiaconi Diaconatus ordine dumtaxat insigniti essent: tunc enim cum ad *Presbyteratum* transirent, eos ab Archidiaconatu se abdicare oportebat (*h*): Sic Archidiaconi Metropolitanæ Ecclesiæ *appellationes*, & *recursus* excipiebant contra ipsos etiam suffraganeos Episcopos (*i*). Qua ferme ratione in Occidente minoribus clericis, ac ceteris Diaconis eo præerant, ut eos excomunicandi jus haberent (*k*), eosque adirent Parochi pro Olei Sancti distributio-

---

(*a*) *Conc. Carth. IV. ib.*, *Opt. Milev. de Sch. Don. l.* 1.
(*b*) *Conc. Calced. Act.* 1., *&* 2. *A.* 451.
(*c*) *Chrisost. Epist. ad Innoc. I.*
(*d*) *Conc. Calced. ib.*
(*e*) *Conc. Tolet. I. c.* 20. *A.* 400.
(*f*) *S. Leo P. I. ep. ad Marc. Imp. n.* 84. 85.
(*g*) *Id. ibidem.*
(*h*) *Conc. Agath. c.* 20. *A.* 506.
(*i*) *Conc. Calced. Act.* 9. 10.
(*k*) *Conc. Aurel. IV. c.* 26., *Agath. ib.*

tione (*a*). Præterea a III. ac IV. potissimum Saec. Ecclesiæ bona eorum fidei committi cœpere (*b*), ac aliquibus post sæculis Ecclesiæ Patrimonium administrarunt (*c*). Ac tandem ipsimet Episcopo neque *Ordinationes* peragere, neque pœnitentes *reconciliare* fas erat, quin Archidiaconus ei adesset (*d*).

Cum autem eorum opera quam maxime uterentur Episcopi, primo Presbyterorum ordinem æquare, ac ipsis tandem jurisdictionis dignitate praestare studuerunt. Hinc Archidiaconi post IX. Saec. Tribunal ipsi fere episcopo haud obnoxium habebant, cum una dumtaxat Episcopo reservaretur *appellatio*, & in nonnullis Ecclesiis in choro contra Episcopum proprio subsellio sederent (*e*). Per se beneficiorum etiam cum *animarum cura* investituram dabant (*f*); quam ob caussam ab ipsis quandoqne Parochis numos extorquebant, vel cum eos beneficio *investirent*, vel cum eorum Titulum visitarent (*g*), cum jus *canonicæ Visitationis* veluti eorum privati juris fecissent (*h*). Eo itaque factum est, ut XIII. Saeculo ipsi Archipresbyteri illis quodammodo obnoxii forent (*i*), potissimum postquam novissimum Archidiaconorum potestati incrementum attulit illa S. Isidoro perperam adscripta-

(*a*) *Conc. Autissid. c. 6. A.* 578.

(*b*) *Hieron. Ep. ad Evagr., Acta S. Laurent. ap. Bollan.*

(*c*) *Conc. Pragen. l. c.* 7.

(*d*) *Conc. Carth. IV. c.* 5. 6. 9., *Ordo Roman. c.* 1. 3. 4. *ap. Mabill. ibid.*

(*e*) *Vide Vassembourg. Antiquit Galliæ Belgicæ l.* 5.

(*f*) *Id. ibid.*

(*g*) *Conc. Cabilon. c.* 15., *Aquisgr. II. c.* 4., *Parisien. sub. Lud. & Loth. Imper.*

(*h*) *Cabilon. ib.*

(*i*) *Epist. Innoc. P. III. C. ad hæc. de Offic. Archidiac.*

pta periocha apud Gratiani decretum (*a*). Quapropter nemini mirum erit si in Galliis *Principis* titulo gauderent (*b*), ac ipsis Principibus *laicis* optanda illa *dignitas* eo videretur, ut Conciliorum edicto sanciri oportuit, ne iis conferretur, qui Diaconatus ordine carerent (*c*).

Cum itaque talis evasisset Archidiaconorum auctoritas, ut ipsos Episcopos nimia in dies afficeret solicitudine, hi sensim in majoribus maxime Ecclesiis eorum jura minuere cœperunt a Sæc. præsertim XIII. (*d*), ac tandem Sæc. XVI. ad *Vicarios Generales* ea transtulere (*e*). Quo factum est ut Archidiaconi Dignitas ubique fere Ecclesiarum quavis careat jurisdictione, ac nomine tantum in Capitulis præstet. Inter ipsos etiam Græcos eodem fato Archidiaconi laborarunt, cum eorum *privilegia*, *ac jurisdictio ad Cartophilaces* transierint, ut dicemus infra.

§. I.

De Diaconissis.

Diaconissarum Ordo Ecclesiæ coævus est (*f*); mulierum enim pudori consultum est, quibus *mulieres* ipsas *ministrare* consentaneum videtur (*g*). Ingruente

(*a*) *V. Garzias Loysa Not. in Conc. Tolet. VIII.*

(*b*) *Lambert. Hist. Metens. l. 4. c. 95.*

(*c*) *Conc. Bituric. c. 4., Clarom. c. 3., Lateran. sub Callisto II. c. 2.*

(*d*) *Conc.* Saumur. *c. 7. A.* 1253. *Turonen. c.* 8. 12. *An.* 1231.

(*e*) *V. Hericourt. les Lois Ecclesiast. c.* 18.

(*f*) *Apost. ad Rom. 16. v. 12., & 1. ad Tim. c. 3.*

(*g*) *Constit. Apost. l. 3. c. 19.*

te tandem persecutione accessit & altera ratio, ut scilicet quo Diaconos mittere non poterat Episcopus *propter infideles*, Diaconissam *ad mulieres mitteret* (*a*). Quapropter inter Ecclesiæ ordines *Diaconissarum ordinem* enumerarunt Patres (*b*), easque Episcopus ab primis inde temporibus *ordinabat manus impositione*, eaque *cæremonia*, sive ritus *Ordinatio*, *Manus impositio* a Latinorum (*c*), χειροτονία a Græcorum vetustioribus (*d*) appellatur; quod ansam Montanistis præbuit, qui aliquam *Sacerdotii dignitatem* eas consequi docuerunt (*e*). Ecclesiæ initio mulieres inter Diaconissas referebantur modo essent *pudicæ*, *sobriæ*, *non calumniantes*, *fideles* ex Apostolo (*f*): ex Tertulliano, pro sui ævi disciplina, oportebat eas esse *annorum LX.*, *univiras*, *matres*, & *educatrices filiorum*, *ut consilio* possent *alias juvare* (*g*). *Virginibus* postea, vel *unius viri viduis* (Viduis enim bigamis canonicus ordo interdicebatur (*h*)) Diaconissarum munus demandari cœpit (*i*), earumque ætas ad quadragesimum annum contraxerunt Græci Patres IV. Sæc. (*k*), quod V. Sæc. quodammodo confirmavit Justinianus Imperator (*l*). Verum a IV. potissimum Sæc. aliud erat Diaco-

(*a*) *Ib. l.* 3. *c.* 15.
(*b*) *Conc. Nicæn. c.* 19. *ex vers. Arab.*, *Epiph. Panopl. hæres.* 79.
(*c*) *Tertull. l. de vel. virg.*
(*d*) *Const. Apost. l.* 8. *c.* 19., *Conc. Chalced. c.* 15.
(*e*) *Epiph. ibid.*
(*f*) *I. ad Tim. c.* 3.
(*g*) *Tert. ib.*, & *l.* 1. *ad uxor. c.* 7.
(*h*) *Hierony. l.* 1. *ad Jovinian.*
(*i*) *Const. Apost. l.* 6. *c.* 17.
(*k*) *Conc. Chalced. c.* 15.
(*l*) *Nov.* 6. *c.* 6., *Nov.* 123. *c.* 13.

coniſſarum genus; Mulieres etenim, quorum viri Diaconatus, Presbyteratus, vel Epiſcopatus ordine initiabantur, in collegium Diaconiſſarum cooptatæ erant. Cum enim viri continentiæ indulgerent ſacri ordinis ergo, uxoribus Diaconiſſarum ordo conferri ſolebat (*a*), ſi ſpectatæ virtutis forent (*b*), & ætatem præfinitam a lege haberent (*c*); alioqui eas monaſterium ingredi oportebat, in quo Eccleſiæ patrimonio alebantur (*d*). Iis præterea ad ſecundas nuptias tranſire vetitum tum in Occidente, ubi extra Eccleſiæ communionem una cum viro, cui deſponderant, eiiciebantur (*e*), tum in Oriente, quo præter *excommunicationem* (*f*), etiam fiſci, ac capitis pœna multabantur (*g*).

Diaconiſſarum munia eo verſabantur, ut ſcilicet ſacris Virginibus præeſſent (*h*), ceteriſque Eccleſiæ viduis (*i*): Oſtiarii vices gererent, ſtantes ad Aedis Sacræ portam (*k*) vel ad eam, qua ad Matroneum aditus erat mulieribus (*l*): Catechumenas erudirent, Epiſcopo eas baptizanti adeſſent, ac reliquas earum corporis partes, præter frontem, inungerent (*m*): Pauperum, atque ægrotantium mulierum curam ge-
re-

(*a*) *Epiph. in Expoſ. Fid.*, *Greg. Nanz. ep.* 95.
(*b*) *Conc. Trull. c.* 48.
(*c*) *Juſtin. Novel.* 6. *c.* 6.
(*d*) *Conc. Trull. ib.*
(*e*) *Conc. Rom. ſub Greg. II. c.* 2. & 3.
(*f*) *Conc. Chalc. c.* 15., *Trullan. c.* 14.
(*g*) *Juſtin. Novell.* 6. *c.* 6.
(*h*) *Greg. Niſſ. in Vit. S. Macrinæ*, *Epiph. in Exp. Fid. n.* 21.
(*i*) *Conſt. Apoſt. l.* 3. *c.* 7.
(*k*) *Ignat. epiſt. ad Antioch.*
(*l*) *Conſt. Apoſt. l.* 15. *c.* 19.
(*m*) *Conſt. Ap. l.* 3. *c.* 15., *Conc. Carth.* IV. *c.* 11.

rerent (*a*); ac tandem Episcopo, Presbyteris, atque Diaconis adstarent, cum hi mulieribus secreto colloquerentur (*b*).

Cum autem Diaconissæ ἐν τῷ κανόνι, Cleri *matriculæ* adscriberentur (*c*), atque *Ecclesiæ pecunia* alerentur (*d*)., Episcopi judicio, expensa illarum vita, moribusque, eligebantur (*e*), qui illis *nigellas vestes* tradebat (*f*), easque domi habitare sinebat, si canonicam ætatem attigissent, cum alioqui Asceterium ingredi eas oporteret (*g*).

Ritus autem, quo initiabantur huic ordini, olim manus impositione, & oratione Episcopi constabat (*h*). Deinde accessit *Stolæ Diaconalis* traditio una cum calice, quem mulieribus ministrabant (*i*). Tandem medio ævo Episcopus missam hujus *Ordinationis* propriam recitans, lecta Epistola, *super utrumque humerum* ordinandæ Stolam imponebat, dum illa velum ex Altare accipiebat, & capiti aptabat, ac demum Episcopus annulum & monile ad coronæ instar ei tradebat (*k*).

Diaconissarum Ordo VIII. ineunte sæculo adhuc in Oriente obtinebat (*l*): quando autem eo plane desie-

(*a*) *Epiph. ib.*, *Const. Ap. l.* 3. *c.* 19., *Hieron. ep.* 2. *ad Nepotian.*

(*b*) *Epiph. hær.* 79.

(*c*) *Chrysost. hom.* 47. *in ep. ad Cor.*

(*d*) *Euseb. l.* 6. *c.* 43.

(*e*) *Chrys. de Sacerd. l.* 5. *c.* 16., *Hier. l.* 1. *ad Jovin.*, *Conc. Carth. IV. cap.* 103.

(*f*) *Aug. Epist.* 199.

(*g*) *Justin. ibid.* (*h*) *Const. Apost. l.* 8. *c.* 19.

(*i*) *V. Ritum apud Morin. Exerc.* 10. *c.* 1.

(*k*) *Ordo Rom. Biblioth. PP. t.* 7.

(*l*) *Ex Conc. Trull. eo Saec. Vide Petav. de Doct. Temp. l.* 2. *An.* 707.

fierit haud certo constat. In Occidente vero a VI. usque Saec. Diaconissæ ob earum *incontinentiam* Clero abrogari cœperunt Conciliorum edictis (*a*), quibus suum adjecit calculum Zacharias Rom. Pont. Saec. VIII. (*b*). Hinc etsi ad IX. usque Saeculum alicubi eorum Ordo obtinuisset (*c*), Sæc. tandem X. nec nomine quidem Latinis illas innotuisse testatur Atto Vercellensis Episcopus (*d*). Quare animadvertendum erit post X. Saeculum solis Abbatissis Diaconissæ nomen reliquum fuisse, quæ aliquando *Archidiaconissæ* illud etiam usurparunt, ut postea dicemus.

CAPUT II.

De Presbyteris, & Presbyterio.

EOs, quibus Corporis, ac Sanguinis Christi Sacramentum conficere jus est Πρεσβυτεροι Seniores olim appellavit Græca Ecclesia, quod nomen retinuit & Latinorum illa, eamque denominationem ii non tantum ætate, sed morum etiam maturitate sortiti sunt (*e*). Quamobrem Episcopum in eorum electione populi suffragia inire oportebat, non secus ac in Diaconorum delectu, ut jam dictum est. Quæ Disciplina VI. Saec. fatiscere cœpit, ac tandem plane obsolevit. Vide quæ diximus in cap. *de Diaconis*.

Certæ autem ætatis propriis muneribus obeundis aptæ eos deligebat Episcopus. Verum de ea V. primis Sæculis nil certi statutum legimus, praeter Siricii Decretum, quo cum quis

(*a*) *Conc. Epaonen. c.* 21., *Aurel. II. c.* 17. 18. *Sæc. VI.*
(*b*) *Epist. ad Pipin. Major. Pal. Conc. Gall. t.* 1.
(*c*) *Ex Conc. Wormat c.* 73. *A.* 868.
(*d*) *Epist.* 8.
(*e*) *Vide Critop. Confess. Eccl. Orient. c.* 11.

quis xxx. anno Diaconatu initiaretur, quintum post annum Presbyteratum consequebatur, Anno scilicet xxxv. (*a*). A vi. autem Saeculo in Oriente Diaconis Presbyteratu initiari ante xxxv. annum vetuit Imperator Justinianus (*b*). Verum in Occidente xxx. ætatis annum ea in re passim obtinuit tum in Gallis (*c*), tum in Hispanis (*d*), atque Germanis Ecclesiis (*e*), nisi necessitas aliud *exposceret* (*f*). Saec. viii. in Oriente xxx. anno quisque inter Presbyteros referri cœpit (*g*), quod confirmavit Leo Sapiens, abrogata Justiniani Constitutione (*h*). Quæ disciplina perstitit ad xiii. usque Saec. (*i*), & adhuc in majoribus saltem Græcorum Ecclesiis sarta tecta habetur (*k*). In Occidente itidem eamdem illis Ecclesia præfinivit ætatem ab viii. ad xiii. usque Saec. (*l*). A Saeculo sane xiv. ab antiqua Disciplina relaxatum est, & xxv. anno sancitum est Presbyteros initiari (*m*), quod ante nonnisi *ex summa necessitate* fieri solebat (*n*). Tandem eamdem probavit aetatem Conc. Tridentinum, cujus edicto nunc Ecclesiæ Disciplina ea in re moderatur (*o*).

Post-

(*a*) *Epist.* 1. *c.* 9. (*b*) *Novell.* 123. *c.* 1. *&* 13.
(*c*) *Conc. Agath. c.* 16. 17., *Arelat. III. c.* 6. *& IV. c.* 1.
(*d*) *Conc. Tolet. II. c.* 1. *& IV. c.* 10.
(*e*) *Zachar. P. ep.* 13. *ad Bonif.*
(*f*) *Id. Ib.*, *Hincm. in Vit. S. Remig.*
(*g*) *Phot. in Nomoc. t.* 1. *c.* 28.
(*h*) *Nov. Const.* 123. *&* 16.
(*i*) *Sim. Thessalon. l. de ordinat. c.* 4.
(*k*) *V. Reneaud. la Perpet. &c t.* 1.
(*l*) *Conc. Francof. c.* 12. *A.* 794., *Turon. c.* 50. *A.* 813., *Tolosan. A.* 1056., *Rothom. c.* 6. *A.* 1074., *Lateran. III. c.* 13. *A.* 1177., *Auscitan. c.* 13. *A.* 1300.
(*m*) *Conc. Vien. A.* 1311., *Clement. l.* 1. *tit.* 6. *c.* 3.
(*n*) *Conc. Rothom. ib.* (*o*) *Sess.* 23. *&* 24.

Poſtquam itaque Epiſcopus de Diaconorum moribus, atque ætate cognoverat, eorumque ordinationi calculum adjecerat plebs, eos Presbyteratus ordine donabat. Huius *Ordinationis* ritus olim tum in Oriente, tum Occidente brevior, atque ſimplicior erat: Epiſcopus enim una cum Sacerdotibus ſuæ Eccleſiæ *Ordinando* manus imponebat, orationes recitans (*a*). A VI. quippe Saec. in Occiduis Galliæ, Hiſpaniæ, & Africanis Eccleſiis manus impoſitioni, atque orationi *unctio* acceſſit (*b*), eaque poſt IX. Saec. in Romana, aliiſque Latinis etiam obtinuit Eccleſiis (*c*), cum Orientis illæ ea unctione nuſquam uſæ ſint, antiquiori ſervata Diſciplina (*d*). A X. quoque Saec. Latini *Sacerdotalia inſtrumenta* Ordinandis tradere cœperunt (*e*), qui ritus ubique Eccleſiarum a Saec. XII. ad noſtram uſque ætatem obtinuit (*f*). Inter eas vero orationes, quos in Romano Pontificali legimus *c. de Ordinat. Sacerd.* omnium antiquior eſt illa, quæ tertio loco dicitur una cum manus impoſitione, eamque vetuſtiora Ritualia *Conſecrationem* appellant (*g*). Ultima vero oratio: *Accipe Spiritum-Sanctum &c.* in Ritualibus XII. Sæculo antiquioribus deſideratur (*h*), ac

(*a*) *Paul. ad Timot. I.*, *Conſtit. Apoſt. l.* 8. *c.* 16., *Conc.Carth.IV.c.* 3., *Hieron. in Iſai.c.*58.
(*b*) *Vide Antiqua ſæc. VI. Ritual. ap. Morin. Exerc.* 6. *c.* 2.
(*c*) *Nicol. Pap. in Reſponſ. ad Rodulf. Archiep. Bitur.*
(*d*) *Habert in Pontif. Eccl. Graec.*, *Reneaudeaux la Perp. de la Foy. t.* 5. *c.* 5.
(*e*) *Vide Morin. ibidem*.
(*f*) *Ugo l.* 2. *de ſacr. part.* 3. *c.* 12., *Magiſt. ſentent. l.* 4. *Diſt.* 24.
(*g*) *Vide Antiq. Rit. ap. Mor. & Marten. ibid.*
(*h*) *Vide Ritual.Sæc.XII. ap. Morin. & Mart.ib.*

ac forte post xvi. Sæculum passim obtinere cæpit (*a*). Sic a xiv. itidem Sæc. canon Missæ, uti nunc in moribus positum videmus, ab Ordinandis Presbyteris recitari cum Episcopo celebrante cœpit (*b*). Is erat *Ordinationis* ritus, quo quisque Presbyter creatus in συνεδριω τȣ πρεσβυτεριου recensebatur (*c*).

Πρεσβυτεριον, Συνεδριον του Πρεσβυτεριου a Græcis, *Presbyterium* a Latinis appellabatur Presbyterorum omnium *Corpus*. A primis enim Ecclesiæ Sæculis ad v. usque, Presbyteri, & Diaconi una cum Episcopo in unum veluti corpus coalescebant, iique erant Episcopi *Senatus*, qui *Apostolicum thronum* cum Episcopo *regebant* (*d*). Quamobrem Episcopo sine eorum consensu *ordinare*, iique absentibus caussas audire, ac jus dicere nefas erat. Quin imo res omnes, quæ vel ad Ecclesiæ disciplinam, vel ad ejus Patrimonium spectabant, Presbyterii consilio Episcopum metiri oportebat (*e*). Hinc aliquando defuncto Episcopo, vel si alio ab Ecclesia discederet (*f*), *Presbyterium* illius vices gerebat, etsi a magni momenti negotiis tractandis, (*g*), & ab ordinibus conferendis abstineret (*h*). Ea itaque est *Presbyterii* ratio, quod tandem immutato nomine *Capitulum* medio ævo appellari cœpit, cujus membra

(*a*) *Vide Johan. Major. Com. in Mag. Sentent. Disc.* 24. *q.* 1. (*b*) *V. Marten. ib.*

(*c*) *Basil. epist.* 319.

(*d*) *Siric. P. ep.* 2., *Felic. P. ep.* 4., *Basili. ib.*

(*e*) *Conc. Carth.* iv. *c.* 22. 23., *Greg. Turon. Dial.* 2. *de Mir. S. Mart.*, *Conc. Turon. II. c.* 7., *Tolet.* vi.

(*f*) *Greg. I. Pap. l.* 5. *ep.* 12., *l.* 11. *ep.* 22., *Mart. Pap. I. ep.* 11.

(*g*) *V. Epist. Cleri Rom. ap. Ciprian. ep.* 5., & 31.

(*h*) *S. Ignat. ep. ad Antioch.*, *Cipr. ep.* 10.

(*i*) *Ciprian. ep.* 21. (*k*) *Conc. Altiss. c.* 3.

bra ipso jure olim non tantum cuncti Ecclesiæ Presbyteri, sed & ipsi etiam Diaconi erant, & post XI. Sæc. etiam Subdiaconi, uti ante diximus: iique *Canonici* etiam dicti, a *canone* (qua voce Scriptores Historiæ Augustæ catalogum militum, eorumque annonam olim significarunt) h.e. a *matricula* Ecclesiæ, in qua ii erant descripti, qui Ecclesiæ bonis alebantur, cujusmodi primo loco ii erant, quibus *Presbyterium* constabat. Etiam post XI. Sæc. (*a*) usque ad Concilium Tridentinum Presbyterium Ecclesiæ *Senatus* appellatum est (*b*). Hæc de Presbyterio, plura inferius de Canonicis dicturi.

CAP. III.

De Archipresbyteris.

A IV. Sæculo inter Presbyteros Senior id nominis, ac dignitatis gradum adipiscebatur (*c*), a Græcis Πρωτοπαπᾶς appellatus (*d*). Unus olim Archipresbyter in unaquaque erat Ecclesia ad V. usque Sæc. (*e*); Ea enim ætate primus post Episcopum Archipresbyter erat (*f*), eo ut plerumque in defuncti Episcopi locum succedere soleret; & Romæ, *Sede vacante*, Ecclesiam gubernaret (*g*). Hinc illius erat Clericis canonicis præesse, viduarum, peregrinorum, pupillorum, ac pauperum

(*a*) *Calixti II. ep.* 13. & *Alex. III. c. quinto. De his, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capit. can.* 3.

(*b*) *Trid. Sess.* 14. *c.* 12.

(*c*) *Greg. Nanz. Or.* 20., *Conc. Chalced. c.* 14., *S. Paulin. De S. Felic. Nat.* 1., *Leo I. ep.* 5. *ad Don. Ep. Benev.*

(*d*) *Codin. de offic. Magn. Eccles. &c. l.* 2. *c.* 19.

(*e*) *Hierony. ep. ad Rustic.* (*f*) *Liber. in Conc. Chalc. ib.*

(*g*) *V. Epist. Cleri Rom. ad Hibern. ap. Bedam Hist. Angl. l.* 2. *c.* 19.

rum curam gerere (*a*). At cum Sæc. VI. ineunte illis demandari coepisset cura tum Paroeciarum Urbis, tum ruralium, (*b*) paullatim eorum potestas patere cœpit (*c*), eo ut ab ipsis Optimatibus munus illud summopere optari, ac quandoque usurpari cœperit, præsertim in Galliis (*d*). Archipresbyteri itaque canonicas pœnas a Presbyteris, Diaconis, aliisque Clericis repetebant (*e*), ac Regia auctoritate eorum potestas eo suffulta erat, ut multam subirent, qui debitum honorem iis præstare, renuerent (*f*); Eosque etsi Episcopus crearet, nullatenus tamen *deponere* poterat, nisi in Synodo Diœcesana (*g*). Ipsorum tandem Episcoporum liberioris vitæ institutum illorum nimiam fovit potestatem; cum inquam Episcopi medio ævo proprias deserti Ecclesias, Principum aulis versarentur, Archipresbyteri totius Ecclesiæ regimen usurparunt, judicia exercuerunt (*h*), Parochos crearunt (*i*), atque cætera per se Episcopatus munia obire cœperunt (*k*). Quo tandem factum est, ut post XI. Sæc. ipsi studuerint Episcopi, illorum minuere jurisdictionem (*l*), eosq. ipsis Archidiaconis subjicere (*m*), ac ple-

(*a*) *Conc. Carth. IV. c. 17.*

(*b*) *Greg. Turon. De Glor. Mart. l. 2. c. 22., & de Vit. Patr. c. 9.*

(*c*) *Conc. Cabil. c. 11. A. 160., Conc. Rom. sub Symm. Act. 7., Greg. Turon. ibid.*

(*d*) *Conc. Rhemen. c. 19. A. 603.*

(*e*) *Conc. Turon. c. 19. A. 567.*

(*f*) *Conc. Antissid. c. 20. 44. A. 578.*

(*g*) *Conc. Turon. II. c. 7.*

(*h*) *Grat. Dist. 50. c. 20. c. 64.*

(*i*) *Conc. Ticin. c. 6. A. 850.*

(*k*) *Conc. Aquisg. 11. c. 4. A. 836.*

(*l*) *Conc. Lagesien. c. 2. A. 1278., Pictav. tit. 2. part. 2. A. 1280.* (*m*) *Decret. Greg. L. 1. tit. 24. De Offic. Archipr.*

plebis curam nonnisi *servatis juris regulis*, & ex Archidiaconi consensu eis demandare (*a*). Cum vero novissima ætate Archipresbyteratus in Capitulo dignitatis gradus fuerit, ac speciem quamdam antiquæ dignitatis dumtaxat præseferat, etiam Clerici XXII. Ann. nati ad eam *adsciscuntur*, nisi *animarum cura* huic *dignitati subsit* ex Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12.

C A P. IV.

De Parochis, & Presbyteris Cardinalibus.

Cum passim Presbyterorum, atque Diaconorum Cardinalium meminerint Canones ac Patres, eoque nomine eos etiam, quos nunc Parochos appellamus, aliquando designare videantur, primo de Cardinalibus tum Diaconis, tum Presbyteris, deinde de ipsis Parochis dicendum erit.

§. I.

De Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus.

Cardinales appellabantur a V. Sæc. inter Latinos Presbyteri, vel Diaconi, quos Episcopus ipsa ordinatione alicujus Ecclesiæ servitio addiceret (*b*). Quare Episcopi, qui non *intrusi*, sed canonicæ alicui præerant Ecclesiæ, *Cardinales Episcopi* etiam dicebantur (*c*). Hinc

(*a*) C. *ad hæc. De Offic. Archid.*

(*b*) *Gelas. Epist. ad Sabin.*, *Pelagius ep. ad Eleuter.* & *Conc. Rom. sub Steph.* IV. *ap. Holstenium in Collect. Rom.*, *Conc. Melden. c.* 54.

(*c*) *In Collat. Donatist. cum Cathol. Augustini evo.*

Hinc Cardinalis Episcopus a Greg. Magno (*a*) appellatur is, qui neque *ad visitandum*, neque ad *Commendam* Ecclesiam receperat, sed illius gubernaculo ipsa ordinatione praefectus erat; *Cardinibus* enim illius Ecclesiae, quam regendam susceperat, colligabatur. Quo sensu in omnibus Occidentis Ecclesiis *Cardinalium* nomen Presbyteros, & Diaconos tulisse plane videtur (*b*); Presbyteri quippe, ac Diaconi *Cardinales* Parochi quodammodo erant, atque olim animarum curam aliquando habebant (*c*). Cum vero post VI. Saec. plures Presbyteri, & Diaconi Ecclesiae Cathedrali addicerentur, *Cardinales* etiam appellati sunt (*d*), ex quibus deinde Parochi deligebantur (*e*); cujusmodi sunt *Cardinales Presbyteri*, quos Archidiaconi potestati obnoxios esse statuit Walterus (*f*). Tandem animadvertendum, *Cardinales* tum Episcopos, tum Presbyteros, Diaconos, atque Subdiaconos, qui perpetuo aliquo beneficio, quamquam *titulari* gauderent, nuncupatos, quo sensu *Cardinalis Metropolitanus* ab Hadriano II. (*g*) vocatur is, qui Metropolitano jure perpetuo potiretur.

§. II.

De Parochis.

Cum primis Ecclesiae Saeculis festis potissimum die-

(*a*) *L. 1. ep. 77.*
(*b*) *Conc. Melden. ib., Greg. Magn. l. 7. ep. 72. & 85., & l. 2. 81.* (*c*) *Greg. Magn. l. 5. ep. 15.*
(*d*) *Johan. Diac. Vit. Greg. M. l. 3. c. 8. 10. 34.*
(*e*) *V. Capitular. Walteri Episc. Aurelian. A. 858., & Atton. Ep. Vercell. c. 6. & 7.*
(*f*) *Ibid. cap. 2.*
(*g*) *Epist. 18. ad Car. Calv.*

diebus una simul convenirent fideles, neque Ecclesiæ res pro lubitu Episcopi, sed pro temporis ratione moderarentur, nullæ erant Parœciæ, cum Plebs Christiana *immediate* ab Episcopo gubernaretur (*a*). Quando autem publica Ecclesiæ res in dies patere cœpit, in pagis ipsis rurales Ecclesiæ conditæ sunt, των χωρῶν nomine (*b*), quibus Presbyter, vel Diaconus præficiebatur, cum interea unus gubernaret in Urbe Episcopus. Sæculo enim IV. & V. in Oriente (*c*), antiquius vero in Occidente, isthæc fuit politia, cum *Clericorum civitatis* meminerit ipse Cyprianus (*d*).

In Magnis vero Urbibus præter Cathedralem quasdam fuisse Ecclesias, in quibus proprius erat Presbyter, vel Diaconus a IV. etiam Sæc. dilucide constat tum Romæ (*e*) tum in Oriente (*f*), quo plures in unaquaque Parochia erant Presbyteri, quos inter unus aliis præerat, isque Præpositus Parochiæ erat, quæ λαυρα, vel λαβρα dicebatur (*g*).

Horum autem *Cardinalium* sive Parochorum munia ad V. usque Sæculum in eo posita esse videntur, ut plebem Parochiæ relligiosa erudirent institutione, Episcopumque rerum, quæ Ecclesiæ regimen intererat, certiorem facerent; cum Sacramentorum *administratio*, ac Liturgia Sacrificii in Cathedrali dumtaxat

Ec-

(*a*) *Just. Mart. Apol.* 2., *Can. Apost. c.* 15.
(*b*) *Canon. Apostol. can.* 36.
(*c*) *Athanas. Apolog.* 2. *ad Imp. Constantium.*, *Epiph. Hær.* 68. *n.* 4. *l.* 2., *Conc. Sardic. c.* 8.
(*d*) *L.* 1. *Epist.* 8., & *L.* 4. *ep.* 10.
(*e*) *V. Anast. Biblioth. in vit. Siricii.*, *V. Baron. ad An.* 112. (*f*) *Athan. Epist. ad Solitar.*
(*g*) *Athan. ibid.*, *Epiph. ibid.*

Ecclesia perficeretur (*a*). Quare animadvertendum de sola institutione ad Baptismum, atque Pœnitentiam intelligendum esse Anastasium Bibliothecarium, cum in Vita S. Marcellini Papæ dicit, in titulis Baptismum, & Pœnitentiam sub hoc Pontifice, Sæc. scilicet III., ministrari. In ipsa enim Græca Ecclesia Pœnitentiæ *Institutionem* διδασκαλίαν ipsis Presbyteris Cardinalibus concreditam legimus (*b*), cum eis quamdam delegaret Episcopus potestatem propriis fidelibus pœnitentiam præfiniendi, ac excommunicationis sententiam ab Episcopo prolatam in suæ Parochiæ fideles indicendi (*c*). At ineunte v. Sæc., aucto fidelium numero, cui una Cathedralis Ecclesia satis non erat, paullatim in ipsis Parochiis Urbanis Eucharistia ministrari cœpit; Episcopus etenim peracta Liturgia, Sacramentum Parochis mittebat, quod propriis fidelibus elargiebantur (*d*), de qua forte Sacramenti partitione intelligendus Anastasius, qui Siricio Pontifice, labente scilicet IV. Sæculo, Presbyteros Cardinales in propriis Titulis Missas celebrasse scripsit.

Sic ad id tempus paullatim ipsis Parochis potestatem delegarunt Episcopi pœnitentes *in casu necessitatis*, uti & Hæreticos in vitæ discrimine, Episcopo absente, *reconciliandi* (*e*). Propriæ Parochiæ fideles excommunicandi (*f*) ex ipsius Episcopi scilicet sententia. Infirmos visitandi, eisque Extremæ Unctionis Sacramentum ministrandi (*g*). Privatis domibus tum urbanis

 tum

(*a*) *Athan. Apolog. 2. ad Imper.*

(*b*) *Chrysost. apud Thomas. Vet. & Nova Eccl. Disc. t.2. p.3.* (*c*) *Conc. Antioch. c.6., & Balsam. in hunc can.*

(*d*) *Innoc. I. epist. I. ad Decent.*

(*e*) *Conc. Carth. III. c.32.36. Conc. Arans. I. c.1.*

(*f*) *Hierony. ep. ad Heliod., Aug. ep.255.*

(*g*) *Innoc. I. ep. ad Episc. Eugub. c.8.*

tum rusticis benedicendi (*a*). Immo cum in ipsa Parochiæ Ecclesia Psalmodicam recitare cœpissent Liturgiam, eorum juris erat *Psalmistas*, Clericos nimirum *cantores* diligere (*b*); eo ut tandem VII. Saec. Parochi clericorum numerum minuere, ac augere solerent pro redituum propriæ Ecclesiæ ratione (*c*): clericorum enim ope egebant, cum VI. jam sæculo integram Sacrificii liturgiam Parochi in propria celebrarent Ecclesia, quin imo duas quandoque Missas eadem die recitarent, una in propria Ecclesia, altera in aliquo forte *Oratorio* intra propriæ Parochiæ fines, idque ut fidelium numero satisfacerent (*d*). Merito itaque post hæc tempora, cum Episcopi Parochos haberent, velut *cooperatores operis* episcopalis (*e*), eorum singulis propriæ Parochiæ clericos erudiendos quotidiana institutione tradiderunt (*f*), eisque Parochianos Presbyteros quodammodo subjecerunt, in iis potissimum, quæ Liturgiam spectant (*g*), ac mortuorum humationem (*h*); VIII. etenim sæc. jus humationis ad Parochorum officium diu jam pertinebat (*i*). Parochi item ea ætate infantes baptizabant, atque adultos fidei mysteria docebant, usque dum confirmationis Sacramento initiarentur (*k*). Quare oportebat *Parochianos* fideles propriæ Parochiæ Ecclesiam statis diebus adire, ibique Liturgiæ adesse, ac Sacramento Eucharistiæ communicare, eo ut plane vetitum foret Sa-

(*a*) *Conc. Rejense A.* 479.
(*b*) *Conc. Carth.* IV. *c.* 10.
(*c*) *Conc. Emerit. An.* 666. *c.* 18.
(*d*) *Greg. Turon. De Glor. Conf. c.* 56. *Conc. Autiss. A.* 578. *c.* 8.
(*e*) *Conc. Aquisg. II. c.* 5.
(*f*) *Capitular. Theodul. Epis. Aurel. c.* 2. 3. *&* 28.
(*g*) *Capit. Car. Magni l.* 5. *c.* 49. 50.
(*h*) *Hincmar. Remen. Capit. t.* 2. *c.* 49.
(*i*) *Conc. Aquisgr. ib.* (*k*) *Id. ib.*

Sacris alterius potius, quam propriæ Parochiæ adesse (*a*), ac ipse Parochus festis diebus antequam Missam iniret, *alterius Parochianos* ab Ecclesia ejicere tenebatur (*b*) (excepto tamen itineris casu, vel si proprii Parochii licentiam aliquis haberet (*c*)), quod eo factum videtur consilio, ne fideles *proprii Sacerdotis* obtutus effugerent, atque ejus eluderent curam in eorum dispiciendis moribus. Parochis quippe perpetuo jus fuit proprios fideles coercendi, eosque nisi resipiscerent, excommunicandi, quæ jura a v. sæc. ad sæc. usque XII. passim exercuerunt. Sæc. sane XIII. cum excomunicandi auctoritate abuti cœpissent Conciliorum edictis ea privati sunt (*d*).

Parochos itaque Episcopus creabat ex Diaconis, vel Presbyteris *cardinalibus*, olim Cleri totius consensu, medio tamen ævo ex consensu *Canonicorum* (*e*) & potissimum Archidiaconi, cujus erat *vitam*, *intellectum*, *& doctrinam Presbyterorum Cardinalium investigare* (*f*). Duo tandem animadvertenda. I. Parochos variis nominibus appellatos, olim passim *Compresbyteros* tam Græcos, quam Latinos inter (*g*); medio ævo *Sacerdotes Principales* (*h*) *secundi Ordinis Sacerdotes* (*i*) *Priores Presbyteri* (*k*). II. *In primitivos*, & *inferiores* divisos fuisse, cum enim

(*a*) *Constit. Herardi Ep. Tur. cap.* 121. *Conc. Gall. t.* 3. *Capit. Car. Magn. l.* 6. *c.* 456. *Conc. Cabil. II. c.* 1.

(*b*) *Conc. Nannetten. cap.* 2. *sæc.* IX.

(*c*) *Cap. Reg. Franc. l.* 1. *c.* 147.

(*d*) *Conc. Turon. A.* 1239. *c.* 5., *Conc. Extrec. A.* 1287. *p.* 3. *&c.* (*e*) *Conc. Tolet. A.* 843. *c.* 7.

(*f*) *Capitul. Walter. A.* 858. *c.* 2.

(*g*) *Conc. Ephes. Act.* 2. *&* 3., *Cælest. I. ep. ad Conc. Ephes.*

(*h*) *Antiq. Glossograph. ap. Van-Esp. in Motivo Jur. pro Guill. Van de Nesse.*

(*i*) *Constit. Riculphi A.* 889 *c.* 1. *Conc. Generalium tom.* 9.

(*k*) *Conc. Aquisg. II. c.* 16.

nim aucta plebe unus Parochus, ac sola Parochialis Ecclesia satis non esset, intra Parochiæ fines *Capellæ* excitari cœperunt, in quibus Presbyter erat, qui vicinioribus Sacramenta ministrabat, hi Parochi inferiores appellati sunt (*a*). Hæc de Parochorum historia.

C A P. V.

De Εξωκατοκοιλοις, *Œconomis*, *Cartophilacibus*, *&c.* *Græcorum*.

EΞωκατοκοιλων nomen commune erat in CPolitana Ecclesia primis Patriarchæ ministris, cujusmodi erant I. *Magnus Œconomus* Μεγας Οικονομος. II. *Magnus Sacrista* Μεγας Σακελλαριος. III. *Magnus Thesaurarius* Σκευοφυλαξ. IV. *Magnus Chartularius* Καρτοφυλαξ. V. *Præfectus Sacelli*. ο Σακελλιου. VI. *Magnus Defensor* Προτεκδικος. Hi porro omnes Εξωκατοκοιλοι, vel Εξωκατοκηλοι nuncupati sunt. Missis autem grammaticis de hujus vocis significatione quæstionibus, quas vide apud Jacobum Gretserum (*b*), extra dubitationis aleam versatur, Εξωκατοκοιλους in Constantinopolitana Patriarchali sede fuisse veluti Cardinales Diaconos Romani Pontificis, cum iisdem pene privivilegiis, eodemque ferme potirentur jure. Hi namque sex erant Diaconi (*c*), quibus maxima Ecclesiæ negotia, atque jura commiserat Patriarcha, olim, ut moris erat, personali delegatione, quæ tandem in ordinariam muneris ipsius potestatem evasit, potissimum XI. Sæc., cum ab Imperatoribus Michaele Duca, & Alexio Comneno eorum potestas ultimam attigit metam (*d*).

Ex

(*a*) *Conc. Aquisgr. ibid.* (*b*) *In adnotat. ad Codin. inter script. Constantinop. Christ. t.* 16.
(*c*) *V. Conc. Œcum. VI. Act. I.*
(*d*) *Balsam. in c.* 18. *Conc. Nicæ. I.*

Ex tunc enim supra ipsos facile Episcopos habiti sunt, eo ut in *Patriarchali concione* supra ipsos Metropolitas, atque Episcopos sederent. *Concio* sane *Patriarchalis*, quam Græci Σύνοδον appellarunt, concilium erat omnium fere Episcoporum, qui Pattiarchali Cathedræ obnoxii erant, quod a novo Patriarcha haberi solebat (*a*), in quo vel nova constituebat jura, cujusmodi sunt ea pene omnia, quæ habentur III. & IV. libro Juris Orientalium, vel antiqua firmabat.

§. I.

De Magno Œconomo.

Ἐξωκατάκοιλων primus erat *Magnus Œconomus*, qui olim in aliis Orientis Ecclesiis ex cleri consensu (*b*) tandem ab ipso dumtaxat Episcopo creabatur (*c*), eoque numquam fas erat Episcopum carere (*d*). Is olim Οἰκονόμος in Constantinopolitana Ecclesia, uti & in aliis Orientis Ecclesiis appellabatur; at postquam Constantinopolitana Sedes potissimis Patriarchalibus juribus aucta est Imperatorum gratia, illius Ecclesiæ Οἰκονόμον τοῦ Μεγάλου *magni* titulo, uti & alios *Exocatocœlos* donavit Imperator Andronicus (*e*), atque ut olim ab ipso Imperatore creabatur, ita post Isaacum Comnenum Sæc. XI. id juris in ipsos pertransiit Patriarchas (*f*).

Magnus itaque *Œconomus in propria habebat potestate facultates, ac cunctos Ecclesiæ reditus*, eosque pro

(*a*) *Vide Goar. in Not. ad Codin. de Offic. Magnae Aulae*, & *Eccl. Constantinop.*
(*b*) *Theoph. Alex. Hist. l.* 3. *c.* 11.
(*c*) *Conc. Nicæn. II. c.* 1. (*d*) *Conc. Nicæn. II. c.* 2.
(*e*) *Cantacuzen. Hist. l.* 2. *c.* 1.
(*f*) *V. Zonar. in vita Isaaci Comn.*

pro tempore, ac re tum Patriarchæ, tum Ecclesiæ suppeditabat (*a*), cum quater in anno ipsi Patriarchæ omnium sumptuum rationem redderet (*b*). Is Patriarchæ celebranti aderat, flabellum manu tenens, atque a dexteris ipsius Patriarchæ sedebat, cum coram illo jus diceret (*c*). Quare cum Constantinopolitana Ecclesia proprio careret Pastore, ipso jure ei commissa erat omnium Ecclesiæ bonorum administratio (*d*).

§. II.

De Magno Sacellario.

Secundo loco venit Μεγας Σακελλαριος *Magnus Sacellarius*, qui a Patriarcha eligebatur inter Diaconos, eique obnoxia erant omnia monasteria virorum, quæ in *Galatensi* regione, ac Regia Urbe erant (*e*), ejusque adjutor erat Αρχων των Μοναστηριων *Præfectus Monasteriorum*, qui in secunda vel tertia classe *Officialium* Patriarchæ recensebatur. *Magni* itaque *Sacellarii* munus in eo versabatur, ut bona Monasteriorum gubernaret, eorumque rationem teneret, quare bis in anno Patriarchæ rationem reddebat tum de sumptibus Monasteriorum, tum de Monachorum moribus: Isque sedebat cum Patriarcha a dextris Magni Œconomi in ιερα Συνοδω in sacra concione (*f*).

§. III

(*a*) *Codin. ibid.*
(*b*) *Vide Allatiana ap. Codin. ibid. in Notis.*
(*c*) *Idem ibid.*
(*d*) *Vide Balsam. in c. 9. Edicti Theoph.*
(*e*) *Vide Allatiana, & Regia ap. Codin. ibid.*
(*f*) *Codin. ibid. cum Adnotation ad tit. 2.*

§. III.

De Magno Thesaurario.

Tertius Patriarchæ Diaconus erat Μεγας Σκευοφυλαξ *Magnus vasorum custos*, quem latini *Cimeliarcham* appellarunt, qui ab ipsomet Patriarcha creabatur. Is, celebrante Patriarcha, ad fores *Sacrestiæ* stabat, ut ex ea depromeret vasa, aliasque suppellectiles, quibus opus erat (*a*). *Tribunale* quoque in *Sacrestiæ* interiori vestibulo habebat, in quo judicia exercebat circa Ecclesiæ census, eaque omnia, quæ ad jura clericorum spectabant (*b*).

§. IV.

De Cartophylaci.

Quarto venit Cartophylax Καρτοφυλαξ *Chartularius*. Is Diaconus erat, qui *Dextera Patriarchæ manus* appellabatur (*c*), ac merito haberi potest velut ejus Vicarius Generalis: Tribunal enim habebat, deque caussis *matrimonialibus*, omnibusque clericorum litibus supremum ferebat judicium, excommunicationis pœna, cognita caussa, delinquentes multabat (*d*). Clericorum *ordinandorum* moribus expensis literas pro eorum ordinatione signabat (*e*). Electos ad *Præsulatum*, vel ad Monasteriorum *Abbatias* examini subjiciebat (*f*). De Presbyterorum *peregrinorum licentiis*, epistolis scilicet com-

(*a*) *Vide Codin. ad* 3. *tit.*
(*b*) *Allatiana ap. Cod. ad* 3. *tit.*
(*c*) *Codin. ibid.*
(*d*) *Balsam. Juris Orient. t.* 1. *sect.* XIV.
(*e*) *Balsam. in c.* 9. *Synod. VII.*
(*f*) *Anastas. Bibl. Adnot in Act. II. Synod. VIII.*

commendatitiis, five *diplomaticis* eorum epifcopi cognofcebat, quibus perpenfis, iis *miſſam celebrare* permittebat (*a*). Præfules Patriarchæ fubjectos, atque exteros clericos Epifcoporum miſſos coram Patriarcha introducebat (*b*). Is vice Patriarchæ Conciliis intererat (*c*), ac fupra omnes Epifcopos fedebat (*d*); quod etfi poſt Alexium Comnenum omnibus Orientalium Patriarcharum Chartophylacibus commune erat, uni tamen Conftantinopolitanæ fedis Cartophylaci poftea reliquum fuit edicto Michaelis Paleologi Imperatoris (*e*). Cartophylax itaque erat Vicarius Patriarchae, ejufque Bibliothecarius, ac Chartularius (*f*). Quare Patriarchæ facrum peragenti velut Archidiaconus aderat. Tandem a fecretis ipfius Patriarchæ erat, a quo cum creabatur ea de re *annulum Patriarchale* recipiebat, ac collo fufpenfum gerebat (*g*).

§. V.

De Sacelli Præfecto.

Sacelli Præfectus O Σακελλιου quintus erat Patriarchæ Diaconus, qui, ut ait Codinus Curopalates (*h*) *in fua habebat poteſtate Eccleſias Catholicas, & Sacellum*;

(*a*) *Balſamon. Nomoc. in c.* 16. *Conc. Nicæn.* I.
(*b*) *Anaſt. Bibl. ibid.*
(*c*) *Vide Conc. Later. ſub Mart. Pap. conſult.* 4.
(*d*) *Balſam ibidem*.
(*e*) *In Append. Juris Orient*.
(*f*) *Conſt. Manaſ. Hiſt. Leon. Iſaurici*.
(*g*) *Balſam. Jur. Orient. Sect.* XXXI.
(*h*) *De Officiis Magn. Eccleſ. num.* 5.

lum. Verum Balsamon (*a*) dilucidius illius munia explicat, eum quippe, ait, esse præfectum Monasteriorum *Monialium*, & carceris Patriarchalis Palatii. Ex quibus manifeste patet ejus nominis ὁ Σακελλίου ratio, Σακελλας enim tum virginum Monasteria, tum carceres medio ævo appellarunt Græci ; (*b*) ; falliturque Gretserus (*c*), qui a Sacculo Σακκηλλω illum denominari putavit, quasi esset Patriarchæ *Saccularius*, h. e., *Thesaurarius*.

§. VI.

De Magno Defensore.

Quinque Diaconis, de quibus adhuc locuti sumus, qui olim τῶν Ἐξωκατακοίλων nomine dumtaxat gaudebant, sextum addidit Georgius Xiphilinus Patriarcha CPolitanus Sæc. XII., cum enim Προτεκδίκος inter ministros Patriarchæ secundæ classis esset, ab Georgio inter Exocatocœlos relatus est (*d*). Is erat Patriarchalis Ecclesiæ judex, cujus tribunal erat in vestibulo Ecclesiæ S. Sophiæ Constantinopoli, duodecim habebat *Assessores*, deque captivorum caussis, aliisque Ecclesiasticis minoris momenti negotiis judicabat, ac majores caussas Patriarchæ referebat (*e*). At discrimen illud animadvertendum erit, quod inter *Magnum Defensorem* Ecclesiæ Constantinopolitanæ erat, & *Defensorem* aliarum Orientis Ecclesiarum. Ab antiquis enim temporibus ipsis

(*a*) *Meditat. de Cartoph. &c. l. 7. Jur. Orient.*
(*b*) *V. Codic. MS. Pachimeres in Turcogræcia pag.* 203.
(*c*) *In adnot. ad Codin c.* 3.
(*d*) *Johan. Citri Episc. in Respons. ad Cabasil. Jur. Græco-Rom. t.* 1. *l.* 5.
(*e*) *Codin. ibid. n.* 7., *Allatiana ap. eumd. n.* 7.

psis laicis in jure maxime versatis propriæ Ecclesiæ caussas pertractandas demandare solebant Orientales Episcopi, quos προστάτας appellarunt (a) vel ἐκκλησιεκδίκους (b), quorum meminit Justinus Imperator in sua Constitutione (c). Ipsis præterea Presbyteris Ἐκδίκων nomen quandoque fuit in Oriente, cum a propriis Episcopis apud Imperatorem mittebantur Ecclesiæ rebus gerendis (d). Diaconi tandem Ἔκδικοι *Defensores* fuere (e) iique passim viduarum, pauperum, ac pupillorum caussas agebant (f).

Hi itaque, quos Ἐξωκατοκοίλους nuncuparunt Græci, erant Diaconorum Principes, ac primi Patriarchæ Ministri, quorum decor cum ipsa fatiscere cœpit Constantinopolitana sede, eodemque laborarunt CPolit. Patriarchatus fato.

C A P. VI.

De Œconomis. Defensoribus, & Vicedominis Latinorum.

Tum Latinos, tum Græcos inter olim Œconomi munus ipsi inerat Episcopo, qui bonorum Ecclesiæ conservationi per se vacabat: Verum cum Ecclesiae in dies bonis cumularentur, fidelium, ac præsertim Principum pietate; Episcopi *ne in sæcularia nimium distraherentur* (g) uni

(a) *Epiphan. Hær.* 72.
(b) *Photin. in vita Johan. Jejunat.*.
(c) *Ap. Balsam. in c.* 78. *Conc. Carthag. III.*
(d) *Conc. Ephes. Act.* 2., *Chalced. Act.* 2. *c.*23, *CPolitan. sub. Flaviano Act.* 5., *Constantin. sub. Menna Act.* 1.
(e) *Conc. Constantinop. II. Collat.* I., *& Constant. III. Act.* 8.
(f) *V. vitam Joh. Elemosin. Patriar. Alexandr. c.* 1.
(g) *Conc. Chalced. c.* 26.

uni ex Presbyteris, vel Diaconis *Œconomi* munus detulerunt (*a*). Hi autem publice eligebantur ab Episcopo antiquitus *ex cleri consensu*, etsi post VII., atque VIII. Saec. solius Episcopi judicio crearentur (*b*). Eorum autem munia eo versabantur, ut scilicet redituum ac sumptuum Ecclesiæ rationem haberent, feuda, & bona ruralia Ecclesiæ gubernarent, eisque curæ essent clericorum, pauperum, atque viduarum alimenta (*c*); quæ equidem munia nomine ipsius Ecclesiæ exercebant, eo ut tali auctoritate freti ipsi Episcopo obsistere poterant, si forte bona Ecclesiæ *alienare* vellet (*d*). Passim munus illud in Ecclesiis viguit ad Conc. usque Lateranense II. saec. XII. Tandem a Concilio Tridentino (*e*) ad tempus restitum est Œconomi munus, quo fungitur is, qui *Sede vacante* Ecclesiæ redditus colligit.

Defensores dicebantur Ecclesiæ Patroni, quos Episcopus ab Imperatore obtinebat (*f*), ut propriæ Ecclesiæ caussis patrocinarentur *adversus divitum potentiam* (*g*). Hi quippe ex laicis erant in foro maxime versatis, quorum potissime erat Ecclesiæ Patrimonium, jura, atque privilegia apud Principem tueri (*h*).

Aliud vero erat *Defensorum* genus, iique ex ipso eligebantur clero. Episcopus enim, quem inter Clericos nego-

(*a*) *Anast. Bibl. Hist. ad Zenon. An.7.*
(*b*) *Conc. Hispalen. II. A.617. c.9.*, *Conc. Nic. II. A.787. c.1.* (*c*) *Isid. Hispal. ep. ad Leandr.*
(*d*) *Capit. Car. Magn. l.2. c.101. & Lud. Pii l.1. c.73. l.4. c.51. & 107.* (*e*) *Sess.24. c.16.*
(*f*) *Collect. Conc. African. c.12.*
(*g*) *Conc. Carth. IV. c.9. & 60.*, *Milev. c.16.*, *Zosimi Pap. ep.1.*
(*h*) *Steph. Pap. III. ep.3. ad Caroloman.*, *Capit. Car. Magn. l.5. c.51.*, *Conc. Mogunt. A.811. c.50.*

tiis pertractandis idoneum agnoverat,huic obeundo deligebat muneri, isque *Œconomus* appellabatur, quod a V. potissimum saeculo inter Latinos obtinuit (*a*), ac VI. Saec. inter maxima Ecclesiæ officia munus illud recensiri cœpit, præsertim postquam *Œconomi* in *Notariorum Conlegium* Romæ cooptati sunt (*b*).

Eorum sane auctoritas in Romana præsertim Ecclesia magni erat momenti, cura etenim Patrimonii Ecclesiæ illis demandata erat (*c*), Clericorum, pauperum, viduarum, ac pupillorum caussas constituebant (*d*). Quin imo a Pontifice ad alias etiam Ecclesias Œconomi mittebantur, tum ut canonum *observantiæ* incumberent (*e*), tum ut canonicarum caussarum defensionem susciperent (*f*), ea de re *canonum executores* appellati (*g*), quibus Episcoporum judicium ab ipso Pontifice aliquando delegatum est (*h*). Primi ordinis Defensores ad IX. usque saec. in Occidente obtinuere (*i*). Eorum autem alterius generis post VI. saec. nullus meminit Ecclesiasticorum Scriptorum.

Cum IX. Saec. bellis quam maxime vexaretur Italia Defensores illi, qui caussas dicerent, satis non erant Ecclesiæ Patrimonio curando, iis enim indigebat Ecclesia, qui armis potius ejus bona tuerentur. Quamobrem Episcopi a Principibus Patronos expostularunt, qui manus conferere cum hostibus possent, eosque, si vim Ecclesiæ bonis inferrent, vi repellerent (*k*); id quod id

(*a*) *Gelas. Pap. ep.* 3.
(*b*) *Greg. Pap. I. l.*7. *ep.* 17. (*c*) *Id. l.*2. *ep.*21.
(*d*) *Id. l.* 4. *ep.* 25. (*e*) *Id. ib. ep.* 1.
(*f*) *Id. l.* 8: *ep.*1. (*g*) *Id. ib. ep.*11.
(*h*) *Johan. Diac. in Vita S.Greg. l.*22. *c.*11.
(*i*) *V. Ordin. Rom. sæc.*IX. *in Bibl. Patr.*
(*k*) *Conc. Mogunt. A.* 813.

Id quod a Principibus quævis obtinuit Ecclesia (*a*). Ejusmodi Patroni *Vicedomini*, vel *Visdomini* appellati sunt, eo quod erant veluti delegati, sive Vicarj Episcoporum quoad bona feudalia Ecclesiæ, præsertim postquam Episcopi iis donarunt feuda Ecclesiæ etiam *cum jure successionis* in eorum familia (*b*). Id autem eo consilio fecerunt Episcopi, ut bona Ecclesiæ, quæ illi veluti propria habebant, acriori studio adversus hostes tuerentur. Hinc *Vicedomini* se habebant velut Episcoporum *vasalli* jure *infeudationis*; & Langobardorum leges Episcopis, & Abbatibus duos habere ejusmodi Vicedominos permittebant, quorum unus *sæcularia* Ecclesiæ, vel Monasterii *negotia* gereret, qui proprie *Defensorum* classi accensendus est (*c*). Alter, qui vere *Vicedomini titulum* gauderet, Principi pro Episcopo, vel Abbate juramentum velut *feudatarius* præstaret, in Regia versaretut Aula, ac in bello milites pro feudi ratione duceret. Ea itaque de re Vicedomini potestatem exercebant in subditos Ecclesiæ (*d*), ac in eos jus dicebant, eorumque decreta *placita Vicedominatum* appellabantur, merito propterea *Grafiones*, h. e., Comites in Germania dicti (*e*). Illis postremo curæ erant Palatium, ac bona Episcopalia *sede vacante* (*f*). Verum cum post XI. Saec. Vicedomini, qua præditi erant, abuterentur auctoritate contra ipsa Ecclesiæ jura, passim Episco-

L 2 pi,

(*a*) *Capitul. Reg. Franc. l.7. c.303. V. Naucler. ad A.* 809.

(*b*) *V. Molin. De Canonicit. l.2. c.46.*

(*c*) *Flodoard. Hist. l.2. c.19.*

(*d*) *Hincmar. t.2. part.9.*

(*e*) *V. Du-Cang. in h. v.*

(*f*) *V. Tabul. Corbejens. In Novo Thesaur. Diplom. Martene &c. c.13.*

pi, atque Abbates Vicedominis carere maluerunt. Animadvertendum tamen est ad hujus §. calcem, alios etiam fuisse Vicedominos, quos scilicet Episcopus, vel Abbas, aut Abbatissa, qui quasi episcopali gaudebant jurisdictione, ad Concilium provinciale mittere solebant; hi quippe Vicedomini dicebantur, cum Vicariam Episcopi, Abbatis, vel Abatissæ gererent personam (a). Tandem Romæ etiam erat Summi Pontificis *Vicedominus*, qui Presbyter, vel quandoque Episcopus erat (b), ejusque munus in re familiari Romani Pontificis curanda versabatur (c).

CAP. VII.

De Chartulariis, & Notariis, deque Syncellis & Primiceriis Græcorum, & Latinorum medii ævi.

§. I.

De Chartulariis, & Notariis.

Chartularii medio ævo appellati sunt, qui Archivium Ecclesiæ Cathedralis custodiebant, quos Χαρτοφυλακους etiam nuncuparunt Græci (d), vel Βιβλιοφυλακους, cum simul *Bibliothecarii* munere plerumque fungerentur (e). Tandem ii erant Episcopi *Cancellarii* (f), cum idem Presbyter, vel Diaconus facili

(a) *Capit. Ludov. Pii c.63. Conc. Gall. t.2., Conc. Remen. A.813. cap.24.*
(b) *Anastas. Bibl. in Vit. Steph.IV.*
(c) *Idem in Vit. Steph.III.*
(d) *Conc. Oecum. VII. Act.13.14.*
(e) *Conc. Oecum. VIII. Act.5.*
(f) *V. Simeon. Thessal. De Sacr. Ordin. c.6.*

tili negotio tria hæc munera exercere posset.

Chartularios olim Latini clericos dixerunt, qui publica, vel privata Episcopi, aut Ecclesiæ Acta scribebant, idque muneris plerumque minoribus clericis deferebatur adhuc puerulis (*a*), qui Episcoporum conciones excipiebant, easque, pro illius ævi more, illis dicentibus exarabant (*b*). Quinto autem saeculo *Notarii* nomen ii passim usurparunt, & in Romana potissimum Ecclesia incrementa eorum dignitatis cœpere. Nam sub Leone I. ad Concilia (*c*) mittuntur Legatorum munere (*d*), eorumque fidei exinde maximi momenti negotia committi cœperunt (*e*), iisque veluti a secretis tum Pontifex, tum cœteri Episcopi utebantur (*f*). Quapropter Romæ *Schola Notariorum* erat, cujus Præfectus *Primicerius Notariorum* appellabatur, uti ejus adjutor *Notariorum Secundicerius*, cum ille primo, is secundo loco in Notariorum albo descripti essent (*g*). Notariorum provincia in XII. regiones saec. VI. Romæ divisa erat, cum in unaquaque Urbis regione proprius esset Notarius, quare *Notarii Regionarii* dicti (*h*). In Galliis Episcopalis Ecclesiæ Clerius Notarius in solemni Liturgia Episcopi pedum ferebat (*i*). Cum autem medio ævo laici maxima literarum ignorantia laborarent, Clericorum Notariorum ope in privatis, ac

(*a*) *Evodius ep. ad August. inter ejus epist. n.*258.

(*b*) *August. ep.* 110.

(*c*) *Conc. Ephes. II. sive Constant. sub Anatol.*, *Conc. Chalcedon. Act.* XIV.

(*d*) *S. Leon. I. ep.* 10. 15. & 23.

(*e*) *S. Greg. Magn. l. I. ep.* 10., *l.* 2. *ep.* 34.

(*f*) *Id. Dialog. l.* 3. *c.* 10.

(*g*) *Id. l.* 2. *ep.* 22. & *l.* 9. *ep.* 22.

(*h*) *Vide Baron. ad An.* 598.

(*i*) *In Vita B. Cæsar. ap. Surium* 6. *Semptemb. c.* 12.

publicis Actis utebantur, uti illius ætatis chartæ testantur; quare ipsimet clerici, qui inter Notarios referebantur, cum Presbyteratus ordine initiarentur, eo munere haud se abdicare solebant, neque soli Ecclesiæ inserviebant, sed laicorum etiam negotiis; Quod etsi passim a IX. usque saeculo vetuisset Ecclesia (*a*), & postea Romani Pontifices (*b*), Saec. tamen XV. adhuc clerici, atque ipsimet Presbyteri Notarii Imperiales erant (*c*), & Saec. XVI clericorum nonnulli inter Regios, atque Imperiales Notarios adscribebantur, quod munus publice exercebant (*d*).

E Notarium Conlegio quandoque erat Romae Pontificis *Bibliothecarius*, qui a Saec. VI. Subdiaconatus ordine gaudebat (*e*), at cum paullatim munus illud magni haberi cœpisset, Diaconi, Presbyteri, ac IX. & X. Saec. ipsimet Episcopi Bibliothecarii munia Romæ exercere optarunt (*f*): ea sane ætate Bibliothecarius Pontificis Cancellarii item munere fungebatur, ut ex Bullarum X. Saec. subscriptionibus manifeste liquet (*g*). Qua de re Saec. tandem XI. Cancellarii Romanæ Sedis amplissima auctoritate in Romana pollebant Ecclesia (*h*), quorum munia postea merito dispescuit Romana Curia.

§. II.

(*a*) *Conc. Cabilon. II. A.*875. *c.*44.
(*b*) *Decret.l.*III.*tit. L' Ne cler. vel Rom. c. sicut te.*
(*c*) *V. Histor. S. Martini des Champs Sect. I.*
(*d*) *V. Govar. Hist. qui temp. l.* 5.
(*e*) *Anast. Bibl. V. Greg. Pap. I. & Greg. II.*
(*f*) *Id. in Vita Stephani VI. & Formosi.*
(*g*) *Vide Bull. Clem. II. de Translat. Episc. Pestani, Epist. Leon. Pap. IX. ac præsertim ap.* 14.
(*h*) *Vide Barom. ad An.*1061.*n.* 31.

§. II.

De Syncellis, & Primiceriis,

Συνκελλοι appellabantur olim, qui una cum Episcopo commorabantur in eadem scilicet *cella* (*a*): ii sane clerici erant, qui testes vitæ, ac morum Episcopi habebantur tum in Oriente (*b*) tum in Occidente (*c*). Sexto enim saeculo Romæ primo S. Gregorius Magnus, ablegatis a Pontificia Æde laicis, sanctioris vitæ clericos, ac monachos secum habitare jussit (*d*), iique *familiares* jam tum appellati sunt. Hinc etiam edicto Thedorici Italiæ Regis statutum est, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi *concellaneos* haberent (*e*), quod in Hispania (*f*) atque Gallicanis Ecclesiis (*g*) sanxerunt Concilia. Id autem cum nonnullos piguisset Episcopos, acrius a Conciliis illud idem sancitum est saec. IX. (*h*). Suos etiam Syncellos habebant in Oriente Patriarchæ, quorum primus Πρωτοσυγκελλος dicebatur (*i*), qui Conciliis intererat cum Patriarcha, uti in VIII. Synodo Œcumenica Patriarchæ Hierosolymitani Syncellus inter Patres sedit (*k*), atque is quandoque ipsi defuncto Patriarchæ in Cathedra succedebat (*l*); quare eo tandem se extulere Protosyncelli, ut in *sacri*

(*a*) *Conc. Chalced. Act.* 5., *Constant. sub Flaviano Act.* 6
(*b*) *Ex laud. Concil.*
(*c*) *Greg. Magn. l.* 4. *ep.* 24.
(*d*) *Johan. Diac. in ejus Vita l.* 1. *c.* 11. & 12.
(*e*) *Ap. Ennodium, Opusc.* 111. *c.* 7.
(*f*) *Conc. Gerunden. c.* 6., *Tolet. IV. c.* 23. & 24.
(*g*) *Conc. Turon. II. c.* 4. 13. & 19.
(*h*) *Conc. Parif. VI. c.* 20. *A.* 829. & *Papien. c.* 1. *A.* 850.
(*i*) *Epist. Dioscor. inter. Epist. Hormisdæ post.* 70.
(*k*) *Act. I.*
(*l*) *V. Cedren. H. l.* 5. *de Mich. Philos. sæc. X.*

cri officii sessionibus, h. e., Patriarchalibus Conciliis supra ipsos Metropolitas sedere auderent (*a*). Constantinopolitanæ autem Sedis *Protosyncellus* inter secundæ classis dignitates numeratur, cui in Catholicæ fidei dogmatum violatores jus erat (*b*).

Hi quidem *Syncelli Consiliariorum* nomine medio ævo passim veniebant inter Latinos (*c*); Episcopi quippe eos sibi deligebant Syncellos, qui ceteros scientia præstarent, quorum consilio in maximi momenti negotiis utebantur (*d*). Ejusmodi autem *Consiliarii* Romæ *Deliciosi* appellabantur (*e*); cumque ipsimet Reges passim Presbyteros a Consiliis etiam adhiberent (*f*) in generalibus potissimum *Comitiis Regni* (*g*) (quæ olim *Placita*, sub tertia vero Regum Francorum stirpe *Parlamenta* nuncupari cœpere); quibus Regum Consiliariis etiam *Deliciosi* nomen ea ætate fuit (*h*).

Primicerius appellabatur, is qui primo loco in aliquo catalogo descriptus erat, cum in tabula cera illita nomina describerentur. Hinc Constantinopoli cum nomen Magni Καρτοφυλακος, uti dictum est, qui simul Archidiaconus erat, primum locum in Ecclesiæ catalogo obtineret, is Primicerius nuncupabatur (*i*). Hinc in Galliis *Primicerius Scholæ Lecto-*

(*a*) *Ex Curopal. ap. Bar. ad An.* 1030.

(*b*) *Sym. Thessal. de sacr. ordin. c.* 15.

(*c*) *Beda Hist. Angl. l.* 2. *c.* 29.

(*d*) *Id. ib. l.* 5. *c.* 20., *V. Acta Conc. Nicæ. II. ap. Baron. An.* 685., *ac Baluz. in Not. ad Lup. Ferrar.*

(*e*) *Iohan. Pap. VIII. ep.* 69. 19. & 101.

(*f*) *Steph. Pap. ep.* 3. *ad Pipin. Ital. Reg.*

(*g*) *Hincmar. Opusc. de ordin. Palat. t.* 2.

(*h*) *Anast. Bibl. in vita Hadr. I.*

(*i*) *Conc. Constant. sub Menna Act.* 5.

ctorum (*a*). In Rom. Ecclesia *Primicerius Notariorum* (*b*). Hi sane omnes primo erant loco in albo eorum ordinis, sive conlegii. Ex quibus merito colligimus, nihil certi statuendum esse de hoc nomine, cum illud in medii ævi chartis legitur; nil enim suapte natura indicat, deque eo ex adjunctis potius dijudicandum erit.

In Hispaniis vero erat *Primiclerus*, in cujus potestate erant minores clerici (*c*), eique pariter suberant laici quidam *Basilicani dicti*, quibus Hispanæ utebantur Ecclesiæ ad incensum, Chrismatis materiam, lumina, vela Baptisterii, aliaque id genus comparanda (*d*). Hi in Italia *Æditui* (*e*), Romæ dicebantur *Mansionarii*, quorum opera cum in minusculis, atque vilioribus Ecclesiæ negotiis Romani uterentur clerici, illis *collibertorum* nomen factum est (*f*). Græci medio ævo eos παραμοναριους nuncuparunt (*g*), qui tamen alii erant a Presbyteris *mansionariis*, quos προσμωνοιν appellarunt.

C A P. VIII.

De Clero Palatino.

IN Imperatorum, Regumque Palatiis Domestica fuisse Oratoria a IV. Saec. nos docet Historia. Con-

(*a*) *Remig. Archiep. Remen ep. ad Falcon. Episc. Conc. Gallic. t.* 2.

(*b*) *Greg. Magn. l.* 2. *ep.* 22.

(*c*) *Conc. Emerit. c.* 10. & 14.

(*d*) *Isidor. Hisp. ep. ad Braulien.*, & *de Eccles. Offic. l.* 2. *c.* 5.

(*e*) *Paulin. Nolan. ep.* 6.

(*f*) *V. Conc. Chalc. Act.* 5. *ex vers. Diony. Exig.*

Constantinus enim Christianorum Imperatorum primus domesticum habuisse Oratorium testatur Eusebius (*a*) ; in eo sane oratorio sacrum peragebant Presbyteri clericorum ministerio (*b*). Hinc Presbyteri, qui Imperatoris Oratorio inserviebant, *Presbyteri Palatii* appellati sunt, cujusmodi appellatur a Palladio (*c*) eorum unus, qui cum Chrysostomo Catholicam tuebatur fidem : clerici vero dicebantur *Clerici Regii Sacelli*, eorumque Præfectus, quem Latini, ut inferius dicemus *Archicappellanum* nuncuparunt, παππας τοῦ παλατιοῦ; vel τοῦ παλατιου πριμικηριος appellabatur (*d*).

In Occidente Regium Oratorium *Capellæ* nomen in Galliis obtinuit, vel ex *Cappa* S. Martini Turonensis Episcopi, quæ eo servabatur, vel ex theca, in qua *Cappa* illa erat, cum forte a *Cappa*, *capsella*, inde *capella* factum sit. Hujus autem *Capellæ* omnium primus meminit Marculphus (*e*) Saec. VII., qui testatur super eam capsam Sacramenta præstari in dirimendis etiam litibus, eamque Galliæ Reges secum ferre in expeditionibus (*f*).

Huic itaque Regio Oratorio a Clodovei ætate Saec. scilicet V. Presbyteri ministrabant, qui *Cappellani* dicebantur, neque adhuc munus illud Episcoporum proprium erat (*g*). Sexto autem, & VII. saec. *Cappellanorum* numerus crevit, quorum unus ceteris præerat titulo *Abbatis Regii Oratorii* sub Clotario scilicet II.,

(*a*) *In vita Constantini*.
(*b*) *Id. Ib. & Socrat. & Sozom. l.* 1. *c.* 8.
(*c*) *In vita S. Joh. Chrisost.*
(*d*) *In Synod. Constant. IV. Act.* 3.
(*e*) *Formular. Antiquar. l.*1. *c.* 38.
(*f*) *Id. ibid. l.* 1. *c.* 5.
(*g*) *V. Bignon. in Not. ad Maeculph. l.*1.*c.*25.

II., & ejus filio Dagoberto (*a*). Verum jam ad finem VII. saec. Regii Oratorii præfectura Episcopi munus erat, cum sub Theodorico III. Clodovei II. filio Regii Oratorii Præfectus *Episcoporum Princeps* appellatus sit (*b*). Id quod merito factum videtur, cum VIII. Saec. sub Pipino Rege in Regio Palatio schola Clericorum jam esset, qui Sacris officiis in Regis Oratorio vacabant, ex quibus plerumque eminentiores Regni Episcopos delectos legimus (*c*). Verum ad hanc usque ætatem Episcopus, qui Regio praeficiebatur Oratorio haud tenebatur sedem in Regio Palatio habere, sed dumtaxat *tempore competenti Palatium*, h. e. Palatii Oratorium, ac ibi degentem clericorum familiam visitabat (*d*).

Verum IX. saec. *Archicappellanus*, vel *Summus Regis Cappellanus* (ita ea ætate Regiæ Cappellæ præfectus appellatur (*e*)) in ipsomet Palatio fixam sedem habuisse vel ex ejus muniis liquet, cum Ecclesiarum totius Regni negotia pertractaret, ac de Episcoporum omnium caussis cum Principe conferret (*f*), *assensus* in Ecclesiasticis negotiis a Principe impetraret (*g*). Eidem præterea clerum omne Palatii suberat, caussas Ecclesiasticas suprema sententia definiebat, a consiliis Regis erat, neque ad Regis *audien-*

(*a*) *Vide La Cointe Ann. Ecclés. Franc. ad An.* 617. *n.* 7. *&* 19.

(*b*) *V. Concess. Archicapell. ap. Eumd. La Coint. ibid.*

(*c*) *Steph. Leodien. in vita S. Modoaldi ap. Surium. die* 12. *Maj.*

(*d*) *Hincm. Rhem. Opusc.* VIII. *t.* 2.

(*e*) *Conc. Aquisgran. I., Rescript. Lothar. An.* 861. *&c. Spicileg. t.* 12.

(*f*) *V. Epist. Frotarii ad Hilduin. ap. Du-Chesne t.* 1.

(*g*) *Flodoard. l.* 3. *c.* 24.

dientiam quisque admittebatur ejus injussu, ac tandem ii omnes, quibus *Regalis Palatii familia* constabat, sub ejus erant spirituali jurisdictione (*a*). His inquam juribus, atque privilegiis post Carolum Magnum cumulatus est Episcopus Regiæ Cappellæ præfectus, quapropter merito ille velut *prima persona post Regem*, *& Regiam prolem* tunc haberi cœpit (*b*), variisque nominibus pro multiplici ejus munere appellatus, uti *Primicerius Palatii* (*c*); *Ecclesiasticorum Magister* (*d*), *Præsul Archipalatinus* (*e*). *Et Custos Palatii* (*f*). Qua itaque de re ipsi Regum filii munus illud haud dedignati sunt, uti fuit Drogo ille Metensis Episcopus Caroli Magni filius, qui Archicappellanus, & Apocrisarius Romanæ sedis simul erat (*g*). Ac ipsimet Rom. Pontifices Archicappellanos *Pallio* sub Carolo M. donarunt (*h*), quare Archicappellanus in Conc. Moguntino *sacri Palatii Archicappellanus* appellatur (*i*).

Tandem IX. saec. *Eleemosinarii* nomine Archicappellanus donatus est (*k*), quo nomine passim ea ætate appellabantur Executores testamenti Regis (*l*), quare cum Reges illos suorum decernerent testamentorum executores in distribuendis eleemosinis post eorum obitum

(*a*) *Hinc. Rhem. ib.*, *Epist. Capituli Senon. & vit. S. Anscharii ap. Du-Chesne t.* 1. *&* 3., *Adelard. de ordine Palat.*

(*b*) *Hincm. Opusc. I. t.* 2. (*c*) *Alcuin. epist.* 42.

(*d*) *Lupi Abbat.ep.* 97. (*e*) *Spicileg. t.* 7.

(*f*) *Adelard. ibid.*

(*g*) *Ex Epist.Car.Calvi ad Nic.Pap.ap.Du.Chesne t.* 1.

(*h*) *Flodoard. l.* 2. *c.* 17., *Vide Codic. Carol. ep. Pauli I. R. P. ad Pipin. n.*26.

(*i*) *Conc. Mogunt. An.* 813.

(*k*) *Capitul. Car. Calvi A.* 877.

(*l*) *Vide Baluz. in Not. ad Capit.* 16. *t.* 2.

bitum, ea de re Archicappellanus *Eleemosinarius* dicebatur. Eo itaque nomine passim appellatur post x. saec., cum tamen saec. xv. *magni* epithetum obtinuisse videtur (*a*), ex quo *Magnus Eleemosinarius* nuncupari cœpit. Ea autem tempestate cum adhuc in Palatio Regio Magnus Eleemosinarius degeret, ac antiquis juribus, de quibus locuti sumus, cum nova accessissent, ac præsertim jurisdictio in omnia *Regiæ fundationis* Monasteria, & Ecclesias, is cum eligebatur, Regi jurabat se *nullam* expostulaturum *gratiam* (*b*). *Magnus Eleemosinarius Imperatoris* ejus quoque Chartularius erat, quare vulgo *Chartularius Romani Imperatoris* dicebatur (*c*). Demum animadvertendum medio ævo Archicappellanos a Concilio Nationali eligi, Papa Concilii electione confirmante (*d*); post ix. vero saeculum eorum electionem Regii juris fuisse.

Clerus autem Regiæ Capellæ ex minoribus Clericis, ex Presbyteris, atque ex Monacis (qui vulgo *Vassi* Dominici medio ævo dicebantur (*e*)) constabat, qui omnes proprium habebant in ipso Regis Palatio Domicilium, uti diximus. Clerici autem, atque Presbyteri ix. Saec. non adhuc ordinabantur ab Archicappellano, sed a propriis Episcopis, cujus erant Diœcesis; quapropter neque Clerici, neque Presbyteri Aulico Clero cooptabantur sine proprii Episcopi licentia (*f*). Quin imo in ipsa de-

(*a*) *Galliæ Christ. t.* 2. *sub Carolo VII.*
(*b*) *V. Tilletium Tabul. Reg. Chartar. Franc. c.* 10.
(*c*) *Vide Chron. Cassin. l.* 4. *De Petr. Diac. c.* 114.
(*d*) *Conc. Francofor. An.* 794. *c.* 15.
(*e*) *Walfrid. Strab. de Reb. Ecclesiast. c.* 31.
(*f*) *Conc. Aquisgr. An.* 836. *c.* 23., *Conc. Meldens. An.* 845. *c.* 58.

tuerunt; itidem ne sine Episcopi licentia, vel Archidiaconi id munus susciperent (*a*), eosque ad præstandum in *omnibus* tum Episcopo, tum Parocho *obedientiam* adegerunt (*b*). Quibus statutis aliquo saltem modo antiquis illorum moribus obviam ire conati sunt Episcopi, etsi parum eos ea in re profecisse saec. XVI. senserint Synodi Coloniensis Patres (*c*), ac nos hodie dum eorum quandoque pudeat ministeria.

C A P. IX.

De Episcopis.

Ἐπίσκοπος, latinæ *inspector*, *speculator* a græca voce Ἐπισκοπέω *prospicio*, inter Athenienses dicebatur Magistratus, qui Attica oppida quotannis peragrabat, ut eorum visitationi vacaret, in eisque jus diceret (*d*). Quare hoc officii nomine eos donavit Ecclesia, qui in Christianorum Republica ceteris præsunt, eorumque mores, ac vitæ rationem inspiciunt (*e*). Primus itaque is erat in Ecclesiastica Hierarchia, eique tum *laici*, tum *Diaconi*, tum *Presbyteri subditi erant*, cum *ipse Christo* subesset (*f*).

§. I.

De Episcoporum nominibus.

Episcopi olim etiam τοῦ πρεσβυτέρου nomine appellati sunt ratione ætatis, cum annis etiam seniores in cle-

---

(*a*) *Conc. Clarom. A.* 1095. *c.* 18.
(*b*) *Conc. Moguntin. c.*59.
(*c*) *Syn. Colon. A.* 1536. *Part.* 2. *cap.*27.
(*d*) *Aristoph. in Avib. ap. Svidam in h. voce.*
(*e*) *S. Ignat. ep. ad Smyrnen.* (*f*) *Id. ib.*

clero plerumque essent (*a*), etsi iis, qui πρεσβυτέρων nomine, atque ordine gaudebant, ipso ordine, ac caractere præstarent (*b*). *Antistites* πρεστοι *Præpositi*, *Pontifices* vulgo etiam appellati, quo nomine olim apud Romanos Sacerdotum primus veniebat, qui velut arbitrer humanarum, Divinarumque rerum habebatur (*c*).

Papæ nomen ipsis quandoque Episcopis tribuebatur, uti Episcopo Carthaginensi (*d*), Episcopis nonnullis Galliarum (*e*), Patriarchis etiam Orientalibus, præsertim Alexandrino (*f*), Episcopo Hierosolymitano (*g*) aliisque. At a Saec. VI. *Papæ* nomen unius Romani Pontificis proprium ubique fere locorum fuisse videtur (*h*). Episcopi *Apostoli* quoque denominati fuere (*i*), uti & *Apostolici* (*k*), veluti Apostolorum successores (*l*). Iis itaque nominibus passim nuncupantur Episcopi in Ecclesiasticæ historiæ monumentis. Cum autem ipsi Epistolas scriberent, *servi servorum Dei* titulo utebantur, quod ad Saec. us-

(*a*) *Œcum. in c. 20. Actor., Maxim. in cap. 1. de Cœlesti Hierarch., Theodoret. in cap. 1. v. 7. Epist. ad Titum.*

(*b*) *V. Ignat. laud. epist.*

(*c*) *V. Fest. Pomp. in voce* Ordo *de verb. signif.*

(*d*) Codic. Can. Eccl. *Afric.*

(*e*) *Fortun. Pictav, l. 3. Poemat., Greg. Turon. de Vit. S. Mart. l. 9. c. 42.*

(*f*) *Epiphan. Hær. 69.* (*g*) *Avit. Vienn. epist. 23.*

(*h*) *V. Libell. Liberati c. 18. 21. & 22., Synod. VI. Act.* XVIII., & *Epistolas Synodales ibid.*

(*i*) *Vide Idali epist. ad Arch. Tolet. Specileg. t. 1.*

(*k*) *V. Epist. 32. Bonifac. & ep. Desider. Spicileg. t. 1.*

(*l*) *Optat. Milev. de schism. Donat. l. 1., Epist.* 84. *Leon. I.*

publicis Actis utebantur, uti illius ætatis chartæ testantur; quare ipsimet clerici, qui inter Notarios referebantur, cum Presbyteratus ordine initiarentur, eo munere haud se abdicare solebant, neque soli Ecclesiæ inserviebant, sed laicorum etiam negotiis; Quod etsi passim a IX. usque saeculo vetuisset Ecclesia (a), & postea Romani Pontifices (b), Saec. tamen XV. adhuc clerici, atque ipsimet Presbyteri Notarii Imperiales erant (c), & Saec. XVI clericorum nonnulli inter Regios, atque Imperiales Notarios adscribebantur, quod munus publice exercebant (d).

E Notarium Conlegio quandoque erat Romae Pontificis *Bibliothecarius*, qui a Saec. VI. Subdiaconatus ordine gaudebat (e), at cum paullatim munus illud magni haberi cœpisset, Diaconi, Presbyteri, ac IX. & X. Saec. ipsimet Episcopi Bibliothecarii munia Romæ exercere optarunt (f): ea sane ætate Bibliothecarius Pontificis Cancellarii item munere fungebatur, ut ex Bullarum X. Saec. subscriptionibus manifeste liquet (g). Qua de re Saec. tandem XI. Cancellarii Romanæ Sedis amplissima auctoritate in Romana pollebant Ecclesia (h), quorum munia postea merito dispescuit Romana Curia.

§. II.

(a) *Conc. Cabilon. II. A.* 875. *c.* 44.
(b) *Decret. l.* III. *tit. L' Ne cler. vel Rom. c. sicut te.*
(c) *V. Histor. S. Martini des Champs Sect. I.*
(d) *V. Govar. Hist. qui temp. l.* 5.
(e) *Anast. Bibl. V. Greg. Pap. I. & Greg. II.*
(f) *Id. in Vita Stephani VI. & Formosi.*
(g) *Vide Bull. Clem. II. de Translat. Episc. Pestani, Epist. Leon. Pap. IX. ac præsertim ap.* 14.
(h) *Vide Barom. ad An.* 1061. *n.* 31.

§. II.

De Syncellis, & Primiceriis,

Σύγκελλοι appellabantur olim, qui una cum Episcopo commorabantur in eadem scilicet *cella* (*a*): ii sane clerici erant, qui testes vitae, ac morum Episcopi habebantur tum in Oriente (*b*) tum in Occidente (*c*). Sexto enim saeculo Romae primo S. Gregorius Magnus, ablegatis a Pontificia Æde laicis, sanctioris vitae clericos, ac monachos secum habitare jussit (*d*), iique *familiares* jam tum appellati sunt. Hinc etiam edicto Theodorici Italiae Regis statutum est, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi *concellaneos* haberent (*e*), quod in Hispania (*f*) atque Gallicanis Ecclesiis (*g*) sanxerunt Concilia. Id autem cum nonnullos piguisset Episcopos, acrius a Conciliis illud idem sancitum est saec. IX. (*h*). Suos etiam Syncellos habebant in Oriente Patriarchae, quorum primus Πρωτοσύγκελλος dicebatur (*i*), qui Conciliis intererat cum Patriarcha, uti in VIII. Synodo Œcumenica Patriarchae Hierosolymitani Syncellus inter Patres sedit (*k*), atque is quandoque ipsi defuncto Patriarchae in Cathedra succedebat (*l*); quare eo tandem se extulere Protosyncelli, ut in *sa-*

 cri

(*a*) *Conc. Chalced. Act.* 5., *Constant. sub Flaviano Act.* 6
(*b*) *Ex laud. Concil.*
(*c*) *Greg. Magn. l.* 4. *ep.* 24.
(*d*) *Johan. Diac. in ejus Vita l.* 1. *c.* 11. & 12.
(*e*) *Ap. Ennodium, Opusc.* 111. *c.* 7.
(*f*) *Conc. Gerunden. c.* 6., *Tolet. IV. c.* 23. & 24.
(*g*) *Conc. Turon. II. c.* 4. 13. & 19.
(*h*) *Conc. Paris. VI. c.* 20. *A.* 829. & *Papien. c.* 1. *A.* 850.
(*i*) *Epist. Dioscor. inter. Epist. Hormisdae post.* 70.
(*k*) *Act. I.*
(*l*) *V. Cedren. H. l.* 5. *de Mich. Philos. saec. X.*

cri officii sessionibus, h. e., Patriarchalibus Conciliis supra ipsos Metropolitas sedere auderent (*a*). Constantinopolitanæ autem Sedis *Protosyncellus* inter secundæ classis dignitates numeratur, cui in Catholicæ fidei dogmatum violatores jus erat (*b*).

Hi quidem *Syncelli Consiliariorum* nomine medio ævo passim veniebant inter Latinos (*c*); Episcopi quippe eos sibi deligebant Syncellos, qui ceteros scientia præstarent, quorum consilio in maximi momenti negotiis utebantur (*d*). Ejusmodi autem *Consiliarii* Romæ *Deliciosi* appellabantur (*e*); cumque ipsimet Reges passim Presbyteros a Consiliis etiam adhiberent (*f*) in generalibus potissimum *Comitiis Regni* (*g*) (quæ olim *Placita*, sub tertia vero Regum Francorum stirpe *Parlamenta* nuncupari cœpere); quibus Regum Consiliariis etiam *Deliciosi* nomen ea ætate fuit (*h*).

Primicerius appellabatur, is qui primo loco in aliquo catalogo descriptus erat, cum in tabula cera illita nomina describerentur. Hinc Constantinopoli cum nomen Magni Καρτοφυλακος, uti dictum est, qui simul Archidiaconus erat, primum locum in Ecclesiæ catalogo obtineret, is Primicerius nuncupabatur (*i*). Hinc in Galliis *Primicerius Scholæ Lecto-*

(*a*) *Ex Curopal. ap. Bar. ad An.* 1030.
(*b*) *Sym. Thessal. de sacr. ordin. c.* 15.
(*c*) *Beda Hist. Angl. l.* 2. *c.* 29.
(*d*) *Id. ib. l.* 5. *c.* 20., *V. Acta Conc. Nicæ. II. ap. Baron. An.* 685., *ac Baluz. in Not. ad Lup. Ferrar.*
(*e*) *Iohan. Pap. VIII. ep.* 69. 19. *&* 101.
(*f*) *Steph. Pap. ep.* 3. *ad Pipin. Ital. Reg.*
(*g*) *Hincmar. Opusc. de ordin. Palat. t.* 2.
(*h*) *Anast. Bibl. in vita Hadr. I.*
(*i*) *Conc. Constant. sub Menna Act.* 5.

ctorum (*a*). In Rom. Ecclesia *Primicerius Notariorum* (*b*). Hi sane omnes primo erant loco in albo eorum ordinis, sive conlegii. Ex quibus merito colligimus, nihil certi statuendum esse de hoc nomine, cum illud in medii ævi chartis legitur; nil enim suapte natura indicat, deque eo ex adjunctis potius dijudicandum erit.

In Hispaniis vero erat *Primiclerus*, in cujus potestate erant minores clerici (*c*), eique pariter suberant laici quidam *Basilicani dicti*, quibus Hispanæ utebantur Ecclesiæ ad incensum, Chrismatis materiam, lumina, vela Baptisterii, aliaque id genus comparanda (*d*). Hi in Italia *Æditui* (*e*), Romæ dicebantur *Mansionarii*, quorum opera cum in minusculis, atque vilioribus Ecclesiæ negotiis Romani uterentur clerici, illis *collibertorum* nomen factum est (*f*). Græci medio ævo eos *παραμοναρίους* nuncuparunt (*g*), qui tamen alii erant a Presbyteris *mansionariis*, quos *προσμονοιυς* appellarunt.

C A P. VIII.

De Clero Palatino.

IN Imperatorum, Regumque Palatiis Domestica fuisse Oratoria a IV. Saec. nos docet Historia. Con-

(*a*) *Remig. Archiep. Remen ep. ad Falcon. Episc. Conc. Gallic. t.* 2.
(*b*) *Greg. Magn. l.* 2. *ep.* 22.
(*c*) *Conc. Emerit. c.* 16. & 14.
(*d*) *Isidor. Hisp. ep. ad Braulien.*, & *de Eccles. Offic. l.* 2. *c.* 5.
(*e*) *Paulin. Nolan. ep.* 6.
(*f*) *V. Conc. Chalc. Act.* 5. *ex vers. Diony. Exig.*

Constantinus enim Christianorum Imperatorum primus domesticum habuisse Oratorium testatur Eusebius (*a*) ; in eo sane oratorio sacrum peragebant Presbyteri clericorum ministerio (*b*). Hinc Presbyteri, qui Imperatoris Oratorio inserviebant, *Presbyteri Palatii* appellati sunt, cujusmodi appellatur a Palladio (*c*) eorum unus, qui cum Chrysostomo Catholicam tuebatur fidem : clerici vero dicebantur *Clerici Regii Sacelli*, eorumque Præfectus, quem Latini, ut inferius dicemus *Archicappellanum* nuncuparunt, παππας του παλατιου, vel του παλατιου πριμικηριος appellabatur (*d*).

In Occidente Regium Oratorium *Capellæ* nomen in Galliis obtinuit, vel ex *Cappa* S. Martini Turonensis Episcopi, quæ eo servabatur, vel ex theca, in qua *Cappa* illa erat, cum forte a *Cappa*, *capsella*, inde *capella* factum sit. Hujus autem *Capellæ* omnium primus meminit Marculphus (*e*) Saec. VII., qui testatur super eam capsam Sacramenta præstari in dirimendis etiam litibus, eamque Galliæ Reges secum ferre in expeditionibus (*f*).

Huic itaque Regio Oratorio a Clodovei ætate Saec. scilicet V. Presbyteri ministrabant, qui *Cappellani* dicebantur, neque adhuc munus illud Episcoporum proprium erat (*g*). Sexto autem, & VII. saec. *Cappellanorum* numerus crevit, quorum unus ceteris præerat titulo *Abbatis Regii Oratorii* sub Clotario scilicet II.,

(*a*) *In vita Constantini*.
(*b*) *Id. Ib. & Socrat. & Sozom. l. 1. c. 8.*
(*c*) *In vita S. Joh. Chrisost.*
(*d*) *In Synod. Constant. IV. Act. 3.*
(*e*) *Formular. Antiquar. l. 1. c. 38.*
(*f*) *Id. ibid. l. 1. c. 5.*
(*g*) *V. Bignon. in Not. ad Maeculph. l. 1. c. 25.*

II., & ejus filio Dagoberto (*a*). Verum jam ad finem VII. saec. Regii Oratorii præfectura Episcopi munus erat, cum sub Theodorico III. Clodovei II. filio Regii Oratorii Præfectus *Episcoporum Princeps* appellatus sit (*b*). Id quod merito factum videtur, cum VIII. Saec. sub Pipino Rege in Regio Palatio schola Clericorum jam esset, qui Sacris officiis in Regis Oratorio vacabant, ex quibus plerumque eminentiores Regni Episcopos delectos legimus (*c*). Verum ad hanc usque ætatem Episcopus, qui Regio praeficiebatur Oratorio haud tenebatur sedem in Regio Palatio habere, sed dumtaxat *tempore competenti Palatium*, h. e. Palatii Oratorium, ac ibi degentem clericorum familiam visitabat (*d*).

Verum IX. saec. *Archicappellanus*, vel *Summus Regis Cappellanus* (ita ea ætate Regiæ Cappellæ præfectus appellatur (*e*)) in ipsomet Palatio fixam sedem habuisse vel ex ejus muniis liquet, cum Ecclesiarum totius Regni negotia pertractaret, ac de Episcoporum omnium caussis cum Principe conferret (*f*), *assensus* in Ecclesiasticis negotiis a Principe impetraret (*g*). Eidem præterea clerum omne Palatii suberat, caussas Ecclesiasticas suprema sententia definiebat, a consiliis Regis erat, neque ad Regis *audien-*

(*a*) *Vide La Cointe Ann. Eccles. Franc. ad An.* 617. *n.* 7. & 19.

(*b*) *V. Concess. Archicapell. ap. Eumd. La Coint. ibid.*

(*c*) *Steph. Leodien. in vita S. Modoaldi ap. Surium. die* 12. *Maj.*

(*d*) *Hincm. Rhem. Opusc.* VIII. *t.* 2.

(*e*) *Conc. Aquisgran. I., Rescript. Lothar. An.* 861. &c. *Spicileg. t.* 12.

(*f*) *V. Epist. Frotarii ad Hilduin. ap. Du-Chesne t.* 1.

(*g*) *Flodoard. l.* 3. *c.* 24.

dientiam quisque admittebatur ejus injussu, ac tandem ii omnes, quibus *Regalis Palatii familia* constabat, sub ejus erant spirituali jurisdictione (*a*). His inquam juribus, atque privilegiis post Carolum Magnum cumulatus est Episcopus Regiæ Cappellæ præfectus, quapropter merito ille velut *prima persona post Regem, & Regiam prolem* tunc haberi cœpit (*b*), variisque nominibus pro multiplici ejus munere appellatus, uti *Primicerius Palatii* (*c*); *Ecclesiasticorum Magister* (*d*), *Præsul Archipalatinus* (*e*). *Et Custos Palatii* (*f*). Qua itaque de re ipsi Regum filii munus illud haud dedignati sunt, uti fuit Drogo ille Metensis Episcopus Caroli Magni filius, qui Archicappellanus, & Apocrisarius Romanæ sedis simul erat (*g*). Ac ipsimet Rom. Pontifices Archicappellanos *Pallio* sub Carolo M. donarunt (*h*), quare Archicappellanus in Conc. Moguntino *sacri Palatii Archicappellanus* appellatur (*i*).

Tandem IX. saec. *Eleemosinarii* nomine Archicappellanus donatus est (*k*), quo nomine passim ea ætate appellabantur Executores testamenti Regis (*l*), quare cum Reges illos suorum decernerent testamentorum executores in distribuendis eleemosinis post eorum obitum

(*a*) *Hinc. Rhem. ib.*, *Epist. Capituli Senon. & vit. S. Anscharii ap. Du-Chesne t.* 1. & 3., *Adelard. de ordine Palat.*

(*b*) *Hincm. Opusc. I. t.* 2. (*c*) *Alcuin. epist.* 42.

(*d*) *Lupi Abbat. ep.* 97. (*e*) *Spicileg. t.* 7.

(*f*) *Adelard. ibid.*

(*g*) *Ex Epist. Car. Calvi ad Nic. Pap. ap. Du-Chesne t.* 1.

(*h*) *Flodoard. l.* 2. *c.* 17., *Vide Codic. Carol. ep. Pauli I. R. P. ad Pipin. n.*26.

(*i*) *Conc. Mogunt. An.* 813.

(*k*) *Capitul. Car. Calvi A.* 877.

(*l*) *Vide Baluz. in Not. ad Capit.* 16. *t.* 2.

bitum, ea de re Archicappellanus *Eleemosinarius* dicebatur. Eo itaque nomine passim appellatur post x. saec., cum tamen saec. xv. *magni* epithetum obtinuisse videtur (*a*), ex quo *Magnus Eleemosinarius* nuncupari cœpit. Ea autem tempestate cum adhuc in Palatio Regio Magnus Eleemosinarius degeret, ac antiquis juribus, de quibus locuti sumus, cum nova accessissent, ac præsertim jurisdictio in omnia *Regiæ fundationis* Monasteria, & Ecclesias, is cum eligebatur, Regi jurabat se *nullam* expostulaturum *gratiam* (*b*): *Magnus Eleemosinarius Imperatoris* ejus quoque Chartularius erat, quare vulgo *Chartularius Romani Imperatoris* dicebatur (*c*). Demum animadvertendum medio ævo Archicappellanos a Concilio Nationali eligi, Papa Concilii electione confirmante (*d*); post IX. vero saeculum eorum electionem Regii juris fuisse.

Clerus autem Regiæ Capellæ ex minoribus Clericis, ex Presbyteris, atque ex Monacis (qui vulgo *Vassi* Dominici medio ævo dicebantur (*e*)) constabat, qui omnes proprium habebant in ipso Regis Palatio Domicilium, uti diximus. Clerici autem, atque Presbyteri IX. Saec. non adhuc ordinabantur ab Archicappellano, sed a propriis Episcopis, cujus erant Diecœsis; quapropter neque Clerici, neque Presbyteri Aulico Clero cooptabantur sine proprii Episcopi licentia (*f*). Quin imo in ipsa de-

(*a*) *Galliæ Christ. t.* 2. *sub Carolo VII.*
(*b*) *V. Tilletium Tabul. Reg. Chartar. Franc. c.* 10.
(*c*) *Vide Chron. Cassin. l.* 4. *De Petr. Diac. c.* 114.
(*d*) *Conc. Francofor. An.* 794. *c.* 15.
(*e*) *Walfrid. Strab. de Reb. Ecclesiast. c.* 31.
(*f*) *Conc. Aquisgr. An.* 836. *c.* 23., *Conc. Melden. An.* 845. *c.* 58.

degentes *Aula* quoad *Ordinationem* potissimum proprio suberant Episcopo (*a*). Etiam Monachi medio aevo in Clerium Regium referebantur (*b*), ea de re *Monachi Palatini* dicti (*c*). Hi sane omnes canonicam in communi vitam agebant, quod ad XII. Saec. finem factum legimus a Clericis etiam Palatii Imperatoris sub Henrico Imper. hujus nom. V. (*d*); quare ab XI. maxime saeculo vulgo *Canonici Regiae Capellae* appellati sunt (*e*), ex quibus tum in Oriente (*f*) tum in Occidente fere omnes Regni Episcopi eligi solebant (*g*).

In Oriente olim Regii Oratorii Clerici extra Palatii munia degebant, cum ad Regium venirent Palatium sacris persuncturi officiis. Verum Saec. ineunte IX. cum, uti fert Cedrenus (*h*), inter Clericos, qui tertia noctis vigilia Psalmodicam Liturgiam persecuturi ad Regium veniebant Oratorium, ii se se permiscuissent, qui Imper. Leonem Armenum obtruncarunt, tum Clericis, eorumque Praefecto Aedes proprias Imperatores in ipso Palatio adsignarunt, qui etiam in bello Imperatorem sectabantur, lignum S. Crucis gestantes, ac custodientes, supra quod milites Sacramentum praestabant. Nunc autem unum mihi restaret, ut de Capella nimirum, & Clero Aulico Regis Sicillarum aliqua huic adderem capiti, verum cum

(*a*) *Hincmar. Rem. ep. ad Cleric. Capel. Reg. t. 2.*
(*b*) *V. ep. Lupi Abbat. 27. ap. Du-Chesn. t. 2.*
(*c*) *Geberti ep. 22. Spicileg. t. 3.*
(*d*) *V. Spondan. ad An. 1297.*
(*e*) *Vide vitam. S. Bennon. Episc. c. 11. Saec. XI. die 16. Jun. ap. Surium.*
(*f*) *V. Niceph. Hist. passim in l. 5. & 6.*
(*g*) *Flodoard. l. 3. c. 24. Hincmar. ib.*
(*h*) *Inter Script. Rer. Constantinop. t. 5. p. 418., 469. 612. & 642.*

cum nonnulla in ejusmodi re mihi expendenda videantur, quæ propositi mei brevitas non patitur, singulari Mantissa de iis copiose dicam tertio tomo adhujus operis calcem.

Appendix de Cappellanis Optimatum.

Cappellanorum, qui sacris fungebantur in Optimatum privatis Oratoriis, mentionem faciunt Scriptores Saec. IX., qui quidem, non ea ratione, ut nos inter obtinet, ad tempus nimirum, & pro eorum lubitu sacro munere fungebantur in Optimatis alicujus Oratorio, sed ipsa ordinatione *incardinati* erant Oratorii illius servitio (*a*). Ea itaque tempestate, cum optimates perpetuis divexarentur bellis, in castellis proprii dominatus Oratoria condere curarunt, proindeque Cappellanis egebant pro Oratorii servitio. Hinc e *pagensium* servorum filiis, quos *Clericiones* appellabant, aliquem eligebant, quem Episcopo ad proprii Oratorii *titulum* ordinandum *præsentabant* (*b*): Eos autem jam tum ad viliora adhibebant munia, *mensis enim ministrabant*, *canes ducebant*, *caballos regebant*, *ac agellos providebant* (*c*), Optimatum filios *educabant*, eorumque erant Pedagogi (*d*). At contra hosce abusus plura tandem decreta sanxerunt Concilia, & Rom. Pontifices; Presbyteros enim optimatum Cappellanos *sæcularibus negotiis* se minime immisceri, atque decentius propriis fungi muneribus (*e*) statue-

(*a*) *Ex Guiberto Abb. L.* 3. *de Vita sua c. ult.*

(*b*) *Vide Agobard. Archiep. Lugdun. Epist. de privil. & jurib. Sacerd.*

(*c*) *Conc. Ticinen. An.* 850. *c.* 18.

(*d*) *Ex Guiberto ibid.*

(*e*) *V. Epist. Nicol. V. ad Consult. Saxon.*

tuerunt; itidem ne sine Episcopi licentia, vel Archidiaconi id munus susciperent (*a*), eosque ad præstandum in *omnibus* tum Episcopo, tum Parocho *obedientiam* adegerunt (*b*). Quibus statutis aliquo saltem modo antiquis illorum moribus obviam ire conati sunt Episcopi, etsi parum eos ea in re profecisse saec. XVI. senserint Synodi Coloniensis Patres (*c*), ac nos hodie dum eorum quandoque pudeat ministeria.

C A P. IX.

De Episcopis.

Επισκοπος, latinæ *inspector*, *speculator* a greca voce Επισκοπεω *prospicio*, inter Athenienses dicebatur Magistratus, qui Attica oppida quotannis peragrabat, ut eorum visitationi vacaret, in eisque jus diceret (*d*). Quare hoc officii nomine eos donavit Ecclesia, qui in Christianorum Republica ceteris præsunt, eorumque mores, ac vitæ rationem inspiciunt (*e*). Primus itaque is erat in Ecclesiastica Hierarchia, eique tum *laici*, tum *Diaconi*, tum *Presbyteri subditi erant*, cum *ipse Christo* subesset (*f*).

§. I.

De Episcoporum nominibus.

Episcopi olim etiam τυ πρεσβυτερυ nomine appellati sunt ratione ætatis, cum annis etiam seniores in cle-

(*a*) *Conc. Clarom. A.* 1095. *c.* 18.
(*b*) *Conc. Moguntin. c.*59.
(*c*) *Syn. Colon. A.* 1536. *Part.* 2. *cap.*27.
(*d*) *Aristoph. in Avib. ap. Svidam in h. voce.*
(*e*) *S. Ignat. ep. ad Smyrnen.* (*f*) *Id. ib.*

clero plerumque essent (*a*), etsi iis, qui πρεσβυτερων nomine, atque ordine gaudebant, ipso ordine, ac caractere præstarent (*b*). *Antistites* πρεισοι *Præpositi*, *Pontifices* vulgo etiam appellati, quo nomine olim apud Romanos Sacerdotum primus veniebat, qui velut arbitrer humanarum, Divinarumque rerum habebatur (*c*).

Papæ nomen ipsis quandoque Episcopis tribuebatur, uti Episcopo Carthaginensi (*d*), Episcopis nonnullis Galliarum (*e*), Patriarchis etiam Orientalibus, præsertim Alexandrino (*f*), Episcopo Hierosolymitano (*g*) aliisque. At a Saec. VI. *Papæ* nomen unius Romani Pontificis proprium ubique fere locorum fuisse videtur (*h*). Episcopi *Apostoli* quoque denominati fuere (*i*), uti & *Apostolici* (*k*), veluti Apostolorum successores (*l*). Iis itaque nominibus passim nuncupantur Episcopi in Ecclesiasticæ historiæ monumentis. Cum autem ipsi Epistolas scriberent, *servi servorum Dei* titulo utebantur, quod ad Saec. us-

---

(*a*) *Œcum. in c.* 20. *Actor.*, *Maxim. in cap.* 1. *de Cœlesti Hierarch.*, *Theodoret. in cap.* 1. *v.* 7. *Epist. ad Titum.*

(*b*) *V. Ignat. laud. epist.*

(*c*) *V. Fest. Pomp. in voce* Ordo *de verb. signif.*

(*d*) Codic. Can. Eccl. *Afric.*

(*e*) *Fortun. Pictav*, *l.* 3. *Poemat.*, *Greg. Turon. de Vit. S. Mart. l.* 9. *c.* 42.

(*f*) *Epiphan. Hær.* 69. (*g*) *Avit. Vienn. epist.* 23.

(*h*) *V. Libell. Liberati c.* 18. 21. & 22., *Synod. VI. Act.* XVIII., & *Epistolas Synodales ibid.*

(*i*) *Vide Idali epist. ad Arch. Tolet. Specileg. t.* 1.

(*k*) *V. Epist.* 32. *Bonifac.* & *ep. Desider. Spicileg. t.* 1.

(*l*) *Optat. Milev. de schism. Donat. l.* 1., *Epist.* 84. *Leon. I.*

que VII. in Occidente fecerunt (*a*). Ita in epistolarum suarum titulo serius, post XII, nimirum Saec., eam phrasim usurparunt: *Dei & Apostolicæ sedis gratia &c.* Primus enim, qui ea usus est, Insulæ Cypri episcopus fuisse fertur, postquam Apostolicæ sedis gratia in Armenos. & Maronitas jurisdictionem adeptus est (*b*), eumque plane secuti sunt nonnulli Orientis, ac post XIII. Saec. totius plane Occidentis Episcopi (*c*).

§. II.

De Episcopi Electione.

Episcopi electio *universa Ecclesia convocata* fiebat, Apostolorum exemplo (*d*), cum *ipsa* Christiana plebs *maxime potestatem* haberet *vel eligendi dignos, vel indignos recusandi* (*e*). Cum igitur vita defunctus esset alicujus Ecclesiae Episcopus, clerus per epistolam de Episcopi morte certiores faciebat tum comprovinciales Episcopos, tum Metropolitanum, qui ad Ecclesiam Pastore viduatam conveniebant (*f*). Usque dum autem hi convenirent statim ab episcopi morte olim vicinioris Ecclesiæ Episcopus eo veniebat, tum ad Ecclesiam quodammodo regendam, tum ut præposteræ electioni obviam iret, isque *Intercessor* (*g*), vel *Visitator* diceba-

(*a*) *V. Desiderii Episc. Carducensis Epist.* 10. & 11. *Biblioth. Patr. t.* 9.

(*b*) *Vide Constitut. Archiep. Nicosien. Edit. An.* 1351.

(*c*) *Conc. Ravennat. An.* 1310. 1314. 1317. *Concilior. t.* 11., *Conc. Narbon. A.* 1351. *Concilior. t.* 12.

(*d*) *Actor. c.* 1. (*e*) *Cyprian. l.* 1. *epist.* 4.

(*f*) *Greg. Nanz. orat.* 18. & *Epist.* 22. *ad Cler, Cæsaraens.* (*g*) *Conc. Carth. III. c.* 8.

batur (*a*) ; cum ultra tres menses isthæc electio differri non posset in Oriente (*b*), vel ultra annum in Occidente (*c*). Postquam itaque comprovinciales Episcopi convenerant, ternario non minores numero (*d*), trium dierum jejunio indicto (*e*), tertia tandem die Clerum, Optimates Civitatis, Monasteriorum Primi, ac plebs una convocabantur, quibus illi dignum aliquem nomine proponebant, ut inde eorum suffragia inirent (*f*), ne exceptis quidem pagorum plebe, ac ruralibus Presbyteris (*g*). Quare ipsa electio Χειροτονία in Oriente dicebatur, quasi manuum extensio, porrectis enim, ac extensis manibus consensus significabatur. Omnium itaque votis atque suffragiis perquisitis Decretum Electionis fiebat (*h*), quod communi omnium *Cleri*, atque *Honoratorum*, hoc est Optimatum subscriptione roboratum, primo ab *Ambone* a Diacono legebatur, & postquam populus acclamaverat, formula ἄξιος in Oriente, *bene meritus*, *bene dignus* in Occidente (*i*), ad Metropolitanum mittebatur, ut electionem confirmaret (*k*), atque

(*a*) *Conc. Carth. V. c.* 8.

(*b*) *Conc. Chalcedonens. c.* 35.

(*c*) *Conc. Carth. V. ib.*, *Greg. Magn. l.6. ep.* 14. & 39., *Conc. Vernen. c.* 17.

(*d*) *Isid. Hisp. de Eccles. Offic. c. 6. l.* 2.

(*e*) *V. Acta Basil. Episc. Laudun. ap. Bolland.* XIX. *Januar.*, *Act. S. Corn. Episc. Constantien. ap. Sur.* XXVI. *Novembr.*

(*f*) *S. Cornel. Pap. Epist.* 41. & 42.

(*g*) *Sever. Supplic. vit. S. Martin. c.* 7.

(*h*) *Conc. Chalced. Act.* 16.

(*i*) *Vide Philostorg. l.* 9. *c.* 10., *Vales. in Not. ad l.6. c.* 29. *Hist. Eccles. Euseb.*

(*k*) *Conc. Nicæn. I. c.* 4. & 6.

que Electum consecraret. Ante consecrationem coram populo morum, perinde ac scientiæ Electi periclitationem faciebant Episcopi (*a*), cumque is Episcopali muneri idoneus videretur, Metropolitano Fidei professionem tradebat, in qua catholicæ Fidei dogmata, & canonum observantiam illi profitebatur (*b*). Ea fuit hujus electionis ratio a IV. Saec. ad Saec. usque VI. Verum cum a IV. inde Saeculo in Electionibus populus quandoque tumultuose, ac factiose se gereret (*c*), cui aliquando in Occidente paullatim accesserunt optimatum conatus, qui plebis tumultum fovebant, VI. tandem Saec. Regum paullatim auctoritas in Electionibus accessit, quorum consensus maxime intererat electionis *validitatem*. Hic autem consensus deinde non ipsam plerumque sequutus est jam factam electionem, sed eam omnino præcedebat, in Galliis maxime: Inter enim Marculphi antiquas formulas (*d*) unam habes, qua continetur Epistola, quam Rex Metropolitano scribere soleret in Episcopi alicujus electione, in eaque Rex *eligendum* Metropolitano *proponit*, quem jam a se *cum Episcoporum consilio electum* dicit, atque illum *Ordinandum juxta regulas* Metropolitano præcipit. Ordinatio autem, quæ *juxta regulas* dicitur, consensum populi e medio non aufert, qui ad IX. usque, ac X. etiam Saec. omnino ad electionis *validitatem* requisitus est (*e*). Hinc sub Merovingicis Galliæ Re-

(*a*) *Vide Tractat. de Errorib. Origen. ap. Labbe. Concilior. t.* 5.

(*b*) *Canon.* 1. *Conc. Carth.* IV. *ap. Isidor. de Eccl. offic. l.* 2. *c.* 10. *&* *in ord. Roman. ap. Albin. Flac. de Div. Offic. part.* 1. *&* 2.

(*c*) *Conc. Nicæn. I. c.* 4. (*d*) *L.* 1. *c.* 5.

(*e*) *Capit. Reg. Franc. l.* 1. *cap.* 48., *Hincmar. Rem. ep. ad Hedenulph.*

Regibus ipsi Majores Palatii quandoque *consensum in Episcoporum electionibus vice Regia* praestiterunt (*a*); quod passim factum legimus sub secundae, ac tertiae Dinastiae Reges (*b*). In Hispania Reges Episcopos etiam eligebant Saec. VII. (*c*). In Anglia ab XI. Saec. jus illud Regi fuit (*d*). Quod equidem jus quandoque ab ipsis Regibus Cathedralis Ecclesiae Capitulis traditum fuit, praesertim circa XII. & XIII. Saec. in Galliis (*e*), quod & in aliis deinde obtinuit Ecclesiis (*f*). Tandem cum vel Metropolitani jure electionis abuterentur, vel propter lites, quae in electione inter *capitulares* oriebantur, in dies quamplures electionum caussae Romae deferrentur, paullatim nonnullorum Episcopatuum tum electio, tum confirmatio ipsimet Rom. Pontifici reliqua fuit; eo ut tandem Saec. XIV. per cancellariae Regulas sub nomine Iohan. Papae XXII. electi Episcopi confirmatio Papae omnino reliqua fuerit.

Quaedam tandem addenda de aetate, qua quis ad Episcopale munus eligendus erat. Post IV. Saec., quando canones condi coeperunt, in Oriente quinquagesimo aetatis anno ad Episcopalem cathedram Presbyter eve-

(*a*) *Bonifac. Pap. ep.* 92., *Conc. Liptin. c.* 1., *&* *Suessionen. c.* 2. *ap. Franc. Florent. in Comm. ad tit.* VI. *l.* 1. *Decret. Greg. IX.*

(*b*) *Vide Floren. ibid.*

(*c*) *Conc. Toletan. XII. cap.* 6.

(*d*) *Vide Eadmer. Cantuar. in Histor. Praefat. ap. Florent. ibid.*, *&* *Johan. Sarisberien. epist.* 292. 295. 297. *&c.*

(*e*) *Vide Pragm Sanction. A.* 1268., *Pithaeum de Lib. Gallic. t.* 1. *c.* 15.

(*f*) *Vide Decret. Alex. III. c.* 4. *&* 5. *in Collect. Decret. Greg. IX.*

evehebatur (*a*), verum non ubique locorum: aliquibus enim in locis modo trigesimo anno major esset (*b*). Quod universe obtinuit Justiniano Imperatore (*c*), etsi aliquis viginti aut viginti duobus annis natus Episcopali charactere quandoque insignitus fuerit, quod nonnisi ex justa caussa factum docet Historia (*d*). A VI. pariter Saec. in Occidente ante XXX. annum nemo ad Episcopatum eligendum sanxerunt Concilia (*e*), at ab universali hac lege discessit quandoque Ecclesia, cum *necessitas id exposceret*, uti in S. Remigio factum est, qui Episcopus creatus est anno ætatis suæ vigesimo secundo (*f*). Verum generatim sarta tecta permansit antiqua hæc disciplina ad nostram usque ætatem, cum Ecclesia quovis Saeculo antiquos canones in Conciliis ea de re instaurarit (*g*).

§. III.

De Episcopi Consecratione.

Episcopus antequam consecraretur, a IX. Saec. in Galliis sacramento Regi fidelitatem, atque obe-

(*a*) *Ex Canon. Apost. l.* 2. *c.* 1.
(*b*) *Greg. Nanz. Orat.* 40.
(*c*) *Nov.* 35. *c.* 1. *ap. Phot.*, & *Balsam. in Collect. Const. Eccl. l.* 3.
(*d*) *Niceph. Callixt. Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 39.
(*e*) *Conc. Arelat.* III. *c.* 6., & *IV. c.* 1. 3., *V. Isid. Hisp. de Offic. Eccles. l.* 2. *c.* 7.
(*f*) *Ex Hincmar. in ejus Vita c.* 6.
(*g*) *Conc. Franceford. A.* 794. *c.* 12., *Turon. An.* 813. *c.* 50., *Tolosan. An.* 1056. *c.* 2., *Later. An.* 1177. *c.* 13., *Viennen. An.* 1311., *Colonien. An.* 1538. *Trident.* 1545.

obedientiam conceptis verbis spondebat (*a*). Obedientiam ab eadem ætate Metropolitano professus est (*b*), verum absque *juramento* (*c*). Ab VIII. tandem Saec. Consecrandus Episcopus (*d*) eamdem profiteri cœpit *obedientiam* Romano Pontifici. Quam fluxisse consuetudinem a juramento Gregorio II. præstito a Bonifacio Episcopo eodem hoc sæculo nonnulli putant (*e*); etsi aliis posterior mos iste videatur, ex decreto nimirum Conc. Anni 1079. quod S. Gregorius Papa VII. Romæ habuit. Hujus vero *obedientiae* conceptam formulam, quæ hodiedum obtinet, præscripsit tandem Clemens Papa VIII. (*f*).

Consecratio autem a Metropolitano celebrari debet ex antiquis Conciliorum statutis (*g*), vel ex ejus mandato, si per se consecrationem peragere nequeat, a *Comprovincialibus* omnibus episcopis, quorum saltem tres adesse consecrationi statuit antiquissima Ecclesiæ Disciplina, advocatis quandoque finitimæ etiam Provinciæ Episcopis (*h*); eo ut si tres ad summum non essent Provinciales Episcopi, finitimi πλησιόχωροι omnino appellandi erant (*i*). A Metropolitano itaque una cum

 Epi-

(*a*) *Agobard. Tract. de discr. utriusq. regimin.*; *V. Mabill. Ann.Ord.S.Bened.Sæc.VI.part.2.*

(*b*) *Capit.Reg.Franc.l.7.c.466. in App. Conc. Labb.t.8.*

(*c*) *Conc. Cabilon. II.A.*813.*c.* 13.

(*d*) *V.Binnium Conc.t.3.p.2.*; *& Baron.A.*723.

(*e*) *Petr. de Marc. Concord. l.6.c.7. n.6.*, *Jul. Lavor. de Elect. t. 4. c. 22. Baron. ibid. aliique.*

(*f*) *V. Wan-Esp.t.1.p.1. tit.xv. Edit.Neapol.*

(*g*) *V. Conc. Nicæn. I. & Laodicæn. ubi supra.*

(*h*) *Conc. Nicæn. I. c.* 4. *&* 6.

(*i*) *Conc. Sardic. c.* 5., *Antioch.* 19., *Carthag. IV. vulgo II. c.*12.

Episcopis consecrabatur Electus olim, ut ab Ecclesiæ initio factum est, manuum impositione, & invocatione Spiritus Sancti (*a*). At circa IV. Saec. paullatim auctior fieri cœpit hujus consecrationis ritus: sane in Oriente codex Evangeliorum ordinandi capiti, atque humeris imponebatur (*b*), quod alicubi in Occidente obtinuit, in Africanis nimirum Ecclesiis (*c*), ex quibus forte ritus ille ad alias Occiduas deinde pertransiit Ecclesias. Id autem conjcere licet a recepto quodam more in Galliis, atque Anglicanis potissimum Ecclesiis Saec. XI., ibi enim Auctor. vitæ S. Eritberti (*d*), & Matthæus Parisius (*e*) narrant, ex primis verbis, quæ legentibus se offerrent, cum Metropolitanus librum Evangeliorum in Electi consecratione aperiret, populum augurari solere, num ordinandus in bonum, vel in malum evaderet Episcopum. Cur enim Evangeliorum Librum aperiret Metropolitanus, nisi ut illum Capiti, humerisque ordinandi apertum, de more, imponeret?

Post V. Saec. *Unctio* adhiberi cœpit in Episcopi consecratione, primo in Galliis (*f*), Saec. VI. Romæ circa ætatem S. Gregorii Magni (*g*). Hinc sicuti

(*a*) *Actor. XIII.*, *Epist. I. ad Timot. c.* 5., *V. Morin. de sacr. ordin. part.* I.

(*b*) *Constit Apostol. l.* 8. *c.*4., *Pallad. in Dial. de vita Chrisost c.* 12.

(*c*) *Conc. Carthag. IV. c.* I.

(*d*) *Ap. Bolland. die* XI. *Martii*.

(*e*) *Hist. Anglic. Sæc.* XI.

(*f*) *V. Morin. de Sacr. ordin. Exerc.* VI. *c.*2.

(*g*) *Greg. Magn. comm. in l. Reg. c.* 10.

cuti procul dubio *Unctio* isthæc nemini v. Saeculo antiquior viderur, ita omnes latet quando nam uuiverse in ceteris obtinuit Latinis Ecclesiis, cum post xiii. Saec. generatim adhibita sit. Uncto Episcopo Metropolitanus annulum, & baculum Pastorale tradere cœpit a ix. maxime Saec. (*a*). Unum tandem animadvertendum, formulam illam, quæ in Romano Pontificali in Episcopi consecratione habetur: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. vetustiorem xiv. Saec. non esse, quod passim testantur antiqui ordines, qui ea carent, apud Morinum, & Martene. Consecratione absoluta, Metropolitanus novo Episcopo literas *testimoniales* ordinationis (*b*), & quædam institutionis capita circa optimum Ecclesiæ regimen, ac suscepti muneris officia tradebat, cujus specimen habes in Pontific. Romano.

Novus Episcopus suæ igitur consecrationis ceteros Episcopos certiores faciebat per epistolas *secundum Ecclesiæ morem* (*c*), in quibus plerumque Fidei catholice professionem quandam exarabat (*d*), iisque aliorum Episcoporum *communioni* se jungebat. De multiplici Orientalium ritu in Episcopi consecratione hic dicendum mihi esset; Verum cum præter recensitos ritus, reliqui novi omnino sint, ac nobis forte scitu minime necessarii, lectores, quibus eos legere volupe erit, ad illorum Euchologium mittam.

Postquam novus Episcopus consecratus erat, medio ævo in nonnullis Latinorum Ecclesiis a Comprovincialibus Episcopis in sella deaurata ad cathedram Episcopalem gestaba-

(*a*) *Vide Martene de Antiq. Eccl. Disc. t.* 1. *l.* 2.
(*b*) *Conc. Milevit. c.* 14.
(*c*) *S. Leo. I. Pap. ep.* 118.
(*d*) *Greg. Magn. l.* 7. *ep.* 54., *Conc. Nicæn. II. Act.* 3.

batur, cum interea clerus Psalmos modularetur (*a*): cujus moris vestigia quædam Sæc. x. reliqua erant in Galliis, quo Episcopi humeris optimatum solemni die Consecrationis ad Ecclesiam usque gestabantur (*b*). Hinc ab antiquissimis temporibus in unaquaque Orientis, atque Occidentis Ecclesia dies anniversarius consecrationis Episcopi ab ipso clebrabatur (*c*), Romæ equidem solemni apparatu, cum eo *confluerent ex totius Italiæ Civitatibus episcopi* (*d*). In Oriente propria, ac peculiari Liturgia anniversarius hic dies colebatur, quam videsis in Græcorum Euchologiis.

§. IV.

De Episcopatuum nova creatione. Deque missione novi Episcopi ad exteras gentes.

Cum Apostoli *postquam fidei fundamenta remotis regionibus jecerant, novos pastores*, ut alio properarent, *in illis costituere* solerent (*e*), Episcopi, qui in primis hisce Ecclesiis illis successerunt, eodem jure potiti sunt, ita ut pro re nata novos conderent Episcopatus, vel Episcopos mitterent ad eas regiones, quæ Christianam fidem nuper amplexæ erant (*f*). Ita Athanasius Alexandrinus Antistes in India novum con-

(*a*) *Ex vita S. Wilfridi Episcopi Eboracen. c.* 12.
(*b*) *V. Histor. Sebastiani Rovillard.*
(*c*) *S. Paulin. Nolan. ep.* 16., *S. August. Hom. de Temp.* 24. 25. *& ep.* 60.
(*d*) *Hilar. Pap. ep. ad Ascan. & ceter. Episc. Tarracon.*
(*e*) *Euseb. Pamph. Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 37.
(*f*) *Vide Socrat. Hist. Eccl. l.* 1. *c.* 15., *l.* 4. *c.* 29., *Hincmar. t.* 1. *Opusc.* 4.

condidit Episcopatum, misso ibi Frumentario. Chrisostomus ad Gottos Willam, Juvenalis Hierosolymitanus Antistes ad Saracenos Episcopum miserunt. Pontifex Romanus ad Schottos, atque Hibernos (*a*). Quod sane juris ipsis tandem tribuere Metropolitanis Concilia (*b*). Verum a VI. Saec. in Novorum Episcopatuum creatione non unus satis erat Metropolitani consensus, nisi accederet Synodi Provincialis decretum, Regis (quod medio maxime ævo obtinuit (*c*)) & in Occidente potissimum Romani Pontificis consensus (*d*). At quamvis a VI. etiam Saec. quandoque Roman. Pontifex per se novos institueret Episcopatus, VIII. tamen Saec. jus illud sibimet omnino vindicare cœpit, eo ut illud ipsis aliquando Legatis concedere soleret, quare Stephanus Hungariæ Rex novum condidit episcopatum non expectato Rom. Pontificis consensu, cum is perpetua Romanæ Sedis legatione fungeretur(*e*). Itidem ad VI. usque Sæc. translatio Episcopi de una ad aliam Ecclesiam ex cognita canonica caussa a Synodo Pronciali decernebatur. At medio ævo in Oriente Imperatoris consensus in translatione expectandus erat (*f*). Quod etiam in Occidente obtinuit (*g*), quo insuper Pontificis Rom.

(*a*) *Vide S. Prosperum adv. Collat.*, *Photi. Cod.* 48.

(*b*) *Conc. Ephesin. in Libello suppl. in Append. Conc. Chalced. Act.* 10.

(*c*) *V. Zonar. in c.* 38. *Conc. Trull.*, *&* *Balsam. in c.* 16. *&* 60. *Conc. Carth. IV.*

(*d*) *Vide Epist. Leon. P. ad Childebert. Reg. A.* 537. *Conc. Galliae t. I.*, *Greg. Turon. Hist. l.* 7. *c.* 17., *&* *Acta S. Medardi ap. Surium die* 8. *Iunii*, *Ivon. Carnut. ep. ad Pasch. II. n.* 240.

(*e*) *Ex ejus Vita ap. Sur. die* 20. *Aug. c.* 8.

(*f*) *Vide Zonar. & Balsam. ibid.*

(*g*) *Ex vita Lanfran. Ep. Cantuar.*

Rom. consensu opus erat, vel Legatorum Apostolicæ Sedis (*a*).

§. V.

De Insignibus Episcoporum.

Inter Episcoporum Insignia primo loco venit *Mitra*, quo nomine olim apud Romanos appellatum mulibre capitis tegmen (*b*), cum virginis illud *mitella*, h. e., parva mitra appellaretur (*c*) etiam apud Christianos (*d*). Ornamentum capitis, quo Indorum Reges utebantur, mitra etiam appellabatur (*e*), cujusmodi capitis integumentum forte Hebræorum mitra fuit (*g*). Ea itaque nil aliud erat primis Ecclesiæ Saeculis, nisi *linea* quædam *vitta* capiti circumligata (*h*), eo ut quamdam galeri formam præseferret. Quare *στεφανος corona* (*i*) vel *κιδαρις diadema* (*k*) ab antiquis dicitur. Ad VI. usque Saec. simplicem fuisse mitram vetusta testantur monumenta; tum enim Johannes Cappadox Episcopus Constantinopolitanus primo *τιαραν* mitram ornare cœpit auro, ac sacris iconibus depictis (*l*), quem usurparunt deinde morem medio ævi ipsi quoque Latini, ut videre licet in illius

(*a*) *Ex vita S. Anscharii ap. Sur.* 11. *Octobr.*, & *Epist. Johan. Pap. XIII. ap. Baron. A.* 965.
(*b*) *V. Servium in Not. ad* 4. & 6. *Aeneid.*
(*c*) *Apule. de Ass. Aur. l.* 7.
(*d*) *Optat. l.* 6. *adv. Parmen.* (*e*) *Strabo l.* 15.
(*f*) *Philostr. de vita Apollon. l.* 2. *c.* 11.
(*g*) *V. Maimon. in Kele hammikdash. c.* 8. §. 19. &c.
(*h*) *V. Histor. Methodii part.* 4., & *Glycam ibid.*
(*i*) *Euseb. Hist. Ecclesiast. l.* 10. *c.* 4.
(*k*) *Greg. Nanz. Orat.* 31., & *Oratione* 5.
(*l*) *V. Cantacuzen. l.* 3. *c.* 36.

ius ætatis mitris, quæ supersunt, ac in musivis operibus. *Mitra* autem adeo proprium Episcoporum insigne erat, ut Episcopi per illam jurarent (*a*), & *Corona* (quo nomine vulgo mitra inter Episcopos veniebat) pro ipso Episcopatu sæpe usurparetur, quare *Socius Coronæ* dicebatur Episcopi socius (*b*).

Sandalia quoque habet Episcopus, quibus hodie in Liturgia utitur, ea quippe constant solea inferius, ac corio perforato desuper ad dimidium fere pedem. Eamdem ferme figuram, idemque nomen habebant apud Graecorum antiquissimos muliebria calceamenta (*c*). *Sandalia* autem inter episcoporum insignia primi retulisse videntur scriptores Saec. IX. (*d*), antiquiores enim de iis plane silent, si unum excipias Saec. VI. Scriptorem, nimirum S. Gregorium Pap. I., qui forte de Episcoporum Sandaliis loquitur, cum horum calceamentorum usum Diaconis prohibet (*e*). *Chyrotecharum* item, quibus Episcopus utitur in Liturgia, Saec. XII. meninit Innocentius Papa III. (*f*).

Annulo pariter ornantur Episcopi, quod ab illis gestari solet in indice dexteræ manus, id quod Hebræorum potius antiquum sapere morem videtur (*g*). Episcopalis annuli meminit Optatus Milevitanus (*h*). Saec.

(*a*) *August. ep.* 147., *Hieron. ep.* 26. *ad August.*
(*b*) *Alipius epist.* 35. *ad Paulin. inter Augu. Epist.*
(*c*) *V. Turneb. Adversar. l.* 29. *c.* 8.
(*d*) *Vide Auctor. Collectan. sub Beda nomine, quod tribuitur Floro Diac. c. de septem ordinib., & Vulgat. Alcuin. de Div. Offic. c.* 20., *Amalar. Fort. de Eccles. Offic. l.* 2. *c.* 25.
(*e*) *L.* 7. *ep.* 28. *can. venit. Dist.* 93. *ap. Grat.*
(*f*) *L.* 2. *de Myster. Miss. c.* 41.
(*g*) *Vide Wansbelium Schediasm. I. in c.* 22. *Jeremiæ.*
(*h*) *L.* 1. *de Schism. Donat.*

Saec. IV. Isidorus etiam Hispalensis (a), & aliqua Gallicana Concilia (b). In Oriente vero eo caruisse ornamento Episcopos scripsit Balsamonius (c).

Baculo item, sive pastorali pedo Episcopus utitur, cujus Saec. VI. meminit Gregorius Turonensis Antistites (d). Illud sane videtur insigne quoddam Primatus in Ecclesiæ Hierarchia, Sceptrum quippe, quo Reges utebantur, aureum erat baculum, ut de Caroli Magni Sceptro scribit Eginhardus (e). Illud itaque recurvi pedi figuram præsefert, quod mirari non subit si antiquam spectemus pastoralis pedi figuram: *Pedum* enim, ait Paullus Jurisconsultus, *est pastoralis baculus incurvus dictus, quia illo oves pedibus comprehenduntur*. In ipsa autem consecratione a Metropolitano Episcopus annulum, & Baculum rerecipiebat (f); neque olim ex prætioso conficiebatur metallo, sed e ligno erat (g) plerumque *sambuceo* (h). Baculum recurvum Patriarchæ proprium esse inter Orientales docet Balsamonius ibid.

Crucem demum collo suspensam ferunt Episcopi, quam Græci τὸ τιμαλια appellarunt (i). Mos ille forte ex eo defluxit, quod olim ἐγκόλπιον ferre solebant, thecam nimirum, in qua vel Ss. ossa, vel medio ævo S. Crucis lignum erat (k), cum itaque techa plerumque cru-

(a) *De Offic. Eccl. l.* 1. *c.* 5.
(b) *Conc. Tricass. A.* 857. & *Nemausen. An.* 885. *Conc. Gall. t.* 3. (c) *Jur. Orient. t.* 1.
(d) *De Mirac. S. Mart. l.* 1. *c.* 4. (e) *L.* 1. *c.* 19.
(f) *Isidor. ibid. l.* 2. *c.* 5. *Conc. Tricass.* & *Nemausien.* (g) *Vide Greg. Turonen ibid.*
(h) *V. vitam S. Bruchardi l.* 2. *c.* 1. *ap. Sur.* 19. *Octobr.*
(i) *V. Possin. Not. ad Mich. Paleol.*
(k) *Anast. Biblioth. Not. ad Synod. CPolitan. IV. Sess.* 6.

crucis formam haberet, inde forte crucis gestandi morem ipsis effluxit. Atque satis de Episcoporum insignibus, plura de pallio, aliisque inferius dicturi.

C A P. X.

De Episcopis Titularibus.

EPiscopos Titulares dicimus eos, quorum Diœcesis Principum imperio subest, qui a Christiano abhorrent nomine, eo ut illis non liceat in propria permanere Ecclesia, atque illius negotia moderari. Quamvis enim olim nemo beneficio Ecclesiastico gauderet, quin officio Ecclesiæ fungeretur, quod tum de clericis, tum de ipsis statutum erat Episcopis; tamen a IV. etiam Saec. Concilia Episcopis, qui pro virili conati essent, etsi frustra, proprias moderari Ecclesias, honoribus Episcopalibus frui indulxerunt (*a*). Cum itaque Arabes, Saraceni, aliique Barbari Orientale Imperium invadere cœperunt, primo hisce *titularibus Episcopis* occasionem dederunt. Ad Saeculum sane XII. omnium primus Imper. Alexius Comnenus edicto jussit, ut iis Episcopis, *qui ad eas Ecclesias* in partibus Orientis sitas *electi fuerant, quæ inopes erant, nec adiri ab eis omnino poterant*, Ecclesiastici beneficii titulum relinqueretur (*b*). *Inopes* nimirum dicuntur Ecclesiæ, quia a Barbaris depopulatæ. Verum subdit Imperator in eo statu res ita permanere, donec a barbarica potestate vindicatæ forent Ecclesiæ, *quæ nunc ab eis adiri propterea nequeunt, quod ab hostibus infensissimis detineantur* (*c*), cu-

(*a*) *Conc. Sardicen. c.* 21., & *Antioch. c.* 18.
(*b*) *Balsamon. in c.* 37. *Conc. Trullani.*
(*c*) *Idem ibid.*

cujusmodi tum erant Patriarchatus Hirosolymitanus, & Antiochenus, aliaeque quamplures, tum Episcopales, tum Metropolinæ Ecclesiæ. Ne autem Titulares Antistites iis deficerent, *quæ ad victus sufficientiam* necesse erant, ea e fisco illis suppeditari jussit (*a*). Itaque primum Titulares Episcopi fuere ii, quorum Ecclesiæ in Barbarorum manus devenerant, qui ea de re propriæ Ecclesiæ regimini nullatenus vacare poterant; at deinde defunctis hisce Episcopis, alii successerunt, in eorum titulis, sive Ecclesiis ordinati, spe illas quamprimum recuperandi. Sic Titulares Episcopos Hispania habuit, cum a Mauris quamplures illius Regni Provinciæ detinerentur (*b*).

At Saec. XIII. inter Latinos Orientalium Patriarchatuum tituli suboriri cœperunt; Cum enim Anno 1261. iterum Graeci Constantinopoli potiti sint, exturbatis inde Latinis, qui 60. annorum spatio eo imperaverant, e Constantinopolitana sede Latinus Patriarcha dejectus est. At Latini, spe CPolim recuperandi, Latinos Patriarchas crearunt titolo illius Ecclesiæ, eisque, cum e vivis exciderent, novos suffecerunt. Quod jus cum magnis contentionibus Venetos inter, & Gallos occasionem dedisset, in Romano tandem Pontifice potestas omnis Titulares Patriarchas creandi sita est (*c*), eo ut tandem ad Saec. XIII. finem omnium quatuor Orientis Patriarchatuum creationem juris esse Romanæ sedis statuit Bonifacius Papa VIII. (*d*). Verum cum interea Græci suos etiam creassent iis-

(*a*) *Id. ibid.*, & *in c.* 6. *Conc. Sardicen.*
(*b*) *V. Roderic. de Reb. Hispan. l.*4.*c.* 18.
(*c*) *V. Rainald. An.* 1031. *n.* 24.
(*d*) *Extrav. Com. l.*1. *c.*3.

iisdem in titulis Patriarchas, Saec. tandem xv. in Concilio Florentino Græcos inter, & Latinos ea lex sancita est, ut ne duo simul essent ejusdem Sedis Patriarchalis, Antistites, ei, qui primo vel e Graecis, vel e Latinis obiret, alter, qui superstes esset, succederet; quare sub Nicolao Papa V. Latino CPolis Patriarchæ defuncto Græcus superites successit (*a*): Ceterum in posterum Græcis potestas facta est proprios creandi Patriarchas. At pacta eodem Saeculo violare cœperunt Græci, potissimum postquam uni ex Græcorum Patriarchis Romæ defuncto Latinum suffecit Pius II., quod nimirum Pontifex ob Cancellariæ Regulas fecit (*b*), quas alioquin ignorabant Græci.

Hinc post XIV. Saec. a Rom. Pontifice Episcopi Titulares Orientalium Ecclesiarum creati sunt (*c*), cumque eorum nonnulli necessarii victus egestate premerentur, ac peregrinam, & vagam agerent vitam (*d*); maturo consilio statutum est, quod præter Patriarchas, nonnisi ii Titulares crearentur in posterum Episcopi, qui ab aliis Episcopis in societatem *proprii ministerii* advocarentur: (*e*) Quamobrem mos ille obtinuit, ut Vicarii generales Episcoporum Episcopatu Titulari insigniti forent; quod primo in Germania factum est Saec. XVI. ineunte (*f*), & passim in aliis obtinuit Ecclesiis (*g*) ac nostra etiam ætate in more positum est.

(*a*) *Ap. Rain. An.* 1459. *n.* 84.
(*b*) *Regula de Morientib. in curia.*
(*c*) *Conc. Viennen. in Clementin. c.* in plerisque.
(*d*) *Conc. Ravenn. An.* 1211. *c.* 4. *&* 1314. *c.* 4.
(*e*) *Conc. Colonien. A.* 1322., *Comitia Lutetiæ habita sub Carolo VI. A.* 1394.
(*f*) *Ex Edict. Cardin. Campegii Legati Apost. An.* 1524. *c.* 19.
(*g*) *Conc. Colon. A.* 1536. *& Augustan. A.* 1048. *Act.* 2.

C A P. XI.

De Corepiscopis.

CUm tertio Ecclesiæ Saeculo sensim patere in ipsis etiam ruribus Episcoporum Diecœses cœpissent, rurales quosdam Vicarios crearunt Episcopi, qui in Pagis vicariam exercerent jurisdictionem, eosque Χωρεπισκοπες, των χωρων *villarum Episcopos, vel* περιοδευτας *curatores, qui Ecclesias lustrabant* (*a*) Græci, *Corepiscopos* Latini, eadem voce retenta, appellarunt (*b*). Quamobrem cum post Constantinum Magnum magis magisque in dies Diecœseon fines ampliarentur, plures hujusmodi *Corepiscopos* in una etiam atque eadem Diecœsi fuisse legimus (*c*). Hi sane in Oriente vicaria, qua fungebantur, Episcopi potestate Confirmationis Sacramentum ministrabant, Ecclesias consecrabant, Virgines Sacro donabant velamine, clericorum loci illius, in quo præerant, vitam, moresque expendebant, ut de illis Episcopum certiorem facerent in illorum ordinatione (*d*), coram Episcopo, at ejus jussu, Diaconos, atque Sacerdotes ordinabant (*e*), uti & Lectores, aliosque minores clericos, etiam absente Episcopo (*f*), etsi ea plane omnia ex Episcopi *conscientia*, hoc est, ejus consensu facerent (*g*); Conciliis intererant, in quibus cum Episcopis sedebant, & Acta

(*a*) *Conc. Laodic. c.* 57.
(*b*) *Conc. Neocæs.*, & *Nicæn. I.*
(*c*) *V. vitam S. Basil. Cæsar. a S. Gregor. Nanz. metrice scriptam*, & *eumd. Basil. ep.*418.
(*d*) *Id. ep.* 181.
(*e*) *Conc. Antioch. c.* 10.
(*f*) *Ibid.* & *Conc. Ancyr. c.* 13.
(*g*) *Conc. Laodic. c.* 57.

cta subscribebant (*a*). Cum autem inter haec, quae descripsimus, officia, nonnulla Epicopalis omnino characteris propria videantur, merito de illorum ordine lis inter eruditos canonici juris interpretes suborta est, quam ipsis discutiendam relinquimus.

Sane in Occidente a v. maxime Saec. obtinuisse videntur (*b*), quibus cum Episcopi omnem fere eorum delegassent potestatem (*c*), hi sensim propria illorum privilegia, atque jura usurpari coeperunt. Hinc frequentes obortae eos inter, atque Episcopos lites (*d*), eo ut tandem Conciliorum edictis a VII. Saec. Corepiscoporum jura arctari coepere (*e*), & VIII. Saec. a Rom. Pontifice S. Leone III. (*f*) illis vetitum fuit, Sacerdotes, Virgines, Ecclesias, atque Chrisma consecrare; quod passim eodem, & sequenti Saeculo sanxerunt Concilia (*g*). Hinc IX. Saec. Corepiscoporum jurisdictio nullius pene momenti fuit, cum in solos extenderetur inferioris ordinis ministros (*h*). Ita ut tandem X. Saec. Episcopi tum in Occidente, tum in Oriente paullatim Corepiscopos antiquis juribus abdicarunt, eaque tum in Archipresbyteros, tum in Vicarios generales transtulerunt; quare sensim ipsamet Corepiscopi dignitas, ac munus eodem evanuit Saeculo.

(*a*) *In Conc. Neocaes., Nicano I., Chalced. Act. 1., Vide S. Athan. Apolog. 2.*

(*b*) *Conc. Rejen. An.* 439.

(*c*) *V. Isid. Hisp. de offic. Eccl. l. 2. c. 6.*

(*d*) *V. Capitul. Reg. Franc. L. 6. c. 19.*

(*e*) *Conc. Hispalen. II. c. 7.*

(*f*) *In Resp. ad Episc. Gall. & Germ.*

(*g*) *Conc. Ratisb. A. 800. & Melden. A. 845.*

(*h*) *Ex statut. Ebbon. Arch. Remens. ap. Flodoa. in Append. ad Hist. Eccl. Rem.*

CAP. XII.

De Vicariis Episcoporum.

EPiscoporum *Vicarii* olim ipsimet Corepiscopi, ut dictum est erant; hinc Isidorus (*a*): *Vicarii Episcoporum*, ait, *quos Græci Corepiscopos dicunt*. Latini itaque frequentius *Vicarios* appellarunt illos, quos Græci Corepiscopos nuncuparunt. *Vicarius* itaque *Presbyter Civitatis* in Africanis præsertim dicebatur Ecclesiis (*b*), cum munia Parochi in Cathedrali Ecclesia parvis potissimum in Civitatibus obiret. Vicarii autem officia singillatim enumerat Sidonius (*c*), Vicarium sane ait esse: *Episcopi Consiliarium in judiciis*, *Vicarium in Ecclesiis*, *Procuratorem in negotiis*, *villicum in prædiis*, *tabularium in tributis*, *in lectionibus comitem*, *in expositionibus contubernalem*. Ex quibus duo consequuntur. Primum: In uno Vicario collecta simul esse Consiliarii, Œconomi, Vicedomini, Notarii, Thesaurarii, Theologi, atque Syncelli munia. Alterum: In parvis Occidentis Civitatibus unum satis fuisse Episcopo ministrum, qui vicaria ejus potestate præditus, iis omnibus fungi posset muneribus. Ejusmodi enim munia ad Saec. usque XIV. partim in magnis Ecclesiis Œconomorum, Notariorum, Syncellorum, aliorumque, de quibus locuti sumus, propria erant; partim, & quidem potissima Archidiaconorum, ut dictum est.

At ad Saec. XIII. finem, ac Saec. XIV. ineunte, tum cum Episcopi Archidiaconorum nimia jura minuere conati sunt, in magnis etiam Ecclesiis Vicarii

(*a*) *In c. 4. Conc. Ancyr.*
(*b*) *V. Posidon. in Vita S. Aug. c. 5.*
(*c*) *L. 4. epist. 11.*

rii Generales obtinuere (*a*), quibus omnia pene Archidiaconorum munia detulerunt Episcopi, uti praesertim *caussarum cognitionem*, Pœnitentiarii jura, atque officia (*b*), jus pœnas a Clericis repetendi, *Dimissoriales epistolas* ordinandis Clericis conferendi absente etiam Episcopo (*c*), aliaque jura, quæ tandem certis definivit terminis Innocentius Papa IV. in Concilio Lugdunensi (*d*).

C A P. XIII.

De Clericis Canonicis.

QUatuor primis Ecclesiæ Saeculis Clerici *in multiplici hominum genere* vivebant (*e*), cum quisque domi cum suis vitam ageret. Omnium primus Saec. IV. Augustinus Hypponensis Ecclesiæ Episcopus propriæ Ecclesiæ clericos ad communem redegit vitam *constituto intra Ecclesiam monasterio* (*f*), quam vitæ rationem, eos, qui sequi renuerent, a Sacris arcebat Ordinibus (*g*). Hos autem clericos, qui ad *canonum* normam in commune exigebant vitam, *Clericos Canonicos* appellarunt. Hanc autem instituti rationem alii passim Episcopi amplexi sunt, tum in ceteris Africanis Ecclesiis (*h*), tum Saec. VI. in Hispaniis (*i*), quo una simul communem agebant vi-

(*a*) *V. tit. de offic. Vicar. in sexto.* (*b*) *Ibid.*
(*c*) *Conc. Ravennat. A.* 1314.
(*d*) *V. C. Roman. in sexto. De offic. ordin.*
(*e*) *August. de morib. Eccl. l.* 1. *c.* 31.
(*f*) *Possidon. in ejus vita c.* 3.
(*g*) *Id. ib. c.* 25., *August. Serm.* 49. *de divers.*
(*h*) *V. August. epistolas ad Sever. Novat. & Evodium.*
(*i*) *Conc. Toletan. II. c.* 1.

vitam Episcopus, Presbyteri, atque Clerici (a). In Galliis (b), ubi Episcopus, ejusque Clerus communi vivebant vita, eamdem habebant mensam, quam *canonicorum mensam* appellat Gregorius Turonen. (c). In Anglia eadem ætate canonicum hunc intulit morem Augustinus monachus eo a S.Gregorio M. missus (d): Romæ enim jam illud idem statutum erat ab ipsomet S. Gregorio (e). Hæc autem domus, in qua simul Clerici degebant, *Schola* vulgo medio ævo appellari consuevit (f), quare ipsimet clerici *Scholastici* dicebantur (g). Id forte nominis illis ex eo factum, quod ibi simul scientiis, sacrisque Lectionibus vacarent sub Episcopi regimine, qui *eorum vitam regebat, sicut Abbas Monachorum* (h). *Cleri* autem Domicilium ad *Claustri* instar erat *Ecclesiæ proximum* (i). Itaque ad IX. usque Saec. fere omnes Occidentis Episcopi in hisce Claustris communem cum Clericis agebant vitam. At ab illo sensim recesserunt more, ita ut Saec. XI. hujus canonicæ vitæ institutum satiscere cœperit; quod tandem restituit optimo jure Tridentinum Concilium, quod saltem pro virili Episcopos jussit antiquum, atque canonicum clericorum communis vitæ institutum restaurare (k), idque in omnibus fere exinde obtinuit, hodieque obtinet Ecclesiis.

SE-

(a) *Conc. Toletan. IV. c.* 21. & 23.

(b) *Conc. Turon. II. c.* 12. (c) *Hist. l.* 10.

(d) *Beda Hist. Angl. l.* 1. *c.* 27., & *in Vit. S. Cuthbert. c.* 16.

(e) *Johan. Diac. in eius vit. l.* 2. *c.* 11.

(f) *Capitul. Car. Magn. in Addict. l.* 2. *c.* 5.

(g) *Conc. Paris. VI. A.* 829. *cap.* 30.

(h) *Conc. Aquisg. A.* 879. *c.* 73.

(i) *Conc. Pontigonen. A.* 876. *c.* 8.

(k) *Session. de Refor.* 23. *c.* 6. & 18.

SECTIO III.

De Monachis, & Monialibus.

POstquam de Ecclesiæ Christianæ ministris locuti sumus, de Monachis dicendum nobis est. *Monachi* Μοναχοι a Græco vocabulo *μονος solus*, ii appellati sunt, qui a societatum vinculis soluti, solitariam, atque omni vacuam strepitu agebant vitam. Cum itaque hoc hominum genus quemdam peculiarem ordinem in Christiana Republica constituat, apposite hic de illis edisserendum erit.

CAP. I.

De Monachis, sive Cœnobitis.

§. I.

De Monachorum origine.

TRibus primis Æræ Christianæ Saeculis Ecclesiæ conditio Monachorum instituto haud congruit; nullimode equidem hæ hominum societates, quæ maxima suapte natura pace egent, inter persecutionum tumultus stare poterant. At IV. Saec. tum cum Ecclesia publica frui cœpit pace, omnium primus quidam Antonius nomine in extremis Thebaidis partibus plures collegit Christianos, quos communem, atque severiorem agere vitam edoctus est (*a*). Hujus exemplum secuti sunt Eugenius vel *Hones* in nonnullis etiam Mesopotamiæ locis, Pachomius, atque Hilarius, vulgo Hilarion in Palestina, Amatha, & Macharius

 An-

(*a*) *V. Acta SS. Bolland. Januar. tom. 2. die* 17.

Antonii discipuli in aliis Ægypti, ac Syriæ desertis locis (*a*). Ex Oriente inter Occidentales Monachorum institutum eodem IV. Saeculo intulere S. Athanasius, ejusque Socii, qui Anno CCCXLI. *persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, Romam confugerant* (*b*). Quod etsi Muratorius, ac Fontaninus in dubium vertere conati sint, in eo tamen omnes conveniunt, in Italia primo Monachorum ordinem obtinuisse IV. Saec.; unde illum in Galliis transtulit eodem Saeculo S. Martinus Turonensis Episcopus (*c*), uti in Africa S. Augustinus (*d*), cujus ævo per totum Orbem Monachos fuisse ipsemet testatur (*e*). Hi igitur *Monachi*, vel Κοινοβιῶται *Cœnobitæ communem ducentes* nimirum *vitam* appellati sunt.

§. II.

De Monasteriis.

A prima Monachorum institutione in immensum crevit in Oriente illorum numerus, eo ut Antonio parerent quinque millia (*f*), Serapioni decemmillia Monachorum (*g*), atque Orientis abditissima loca ipsis magnis urbibus frequentiora viderentur. Monachi itaque propria condiderunt domicilia, quæ pro eorum ratione diversa erant. Sane V. Saec. Monacho-

(*a*) *Id. in vit. S. Hilarion.*, *V. Asseman. Biblioth. Orient. Clem. Vat. t.* 3. *p.* 2.
(*b*) *Id. in Epitaph. Marcell.*
(*c*) *Sever. Sulpit. in ejus vita c.* 4. & 5.
(*d*) *Possidon in ejus vita c. ulti.*
(*e*) *L. de morib. Eccl. Cath. c.* 31.
(*f*) *Rufin. de vit. Patr.* 1. *c.* 3.
(*g*) *Id. ib. c.* 18.

chorum alii impervia, ac deserta inhabitabant loca, in quibus eorum domicilium ita constructum erat, ut in meditullio magna Ædificii pars esset, & circum illam sejunctæ cellulæ. Id genus Monasterii *Cœnobium* dictum, ac Monachi inde *Cœnobitæ* appellati. In Ædificii medio simul omnes degebant, dum sanctioris vitæ, qui eos inter erant, quinque hebdomadæ diebus in cellulis illis (vulgo λαυραις dictis) orationi vacabant, pane, aqua, ac dactylis contenti (*a*). Angustiori alii utebantur habitaculo, qui *Remobothi* a S. Hieronymo (*b*), *Sarabaitæ* a Cassiano (*c*) appellantur. Hi quippe ad duo vel saltem tres simul, nullius *Abbatis Imperio subditi* (*d*), *in Urbibus*, atque *Castellis* eorum habitacula construxerant (*e*). At alterum hoc monasticæ vitæ institutum a v. Saec. Scriptoribus damnatum est; ac Monachorum nomine soli dumtaxat Cœnobitæ venerunt. Monasteria itaque tunc in ipsis posita erant desertis locis: at parum diu ibi constitere cum IV. jam exeunte Saeculo a desertis illis prorepsere Monachi, & ab Urbibus ipsis haud longe abesse maluerunt. Hinc Monasteria primo extra Urbis mœnia condita sunt (*f*), ac tandem post v. Saeculum intra ipsas Urbes propria habere domicila Cœnobitæ olim solitudinum habitatores veriti non sunt:

§.III.

(*a*) *V. Antiq. Script. vitæ S. Euthym. c.* 57. *ap. Sur.* 30. *Januar*, *August. de Mor. Eccl. l.*2.*c.*31.

(*b*) *Epist. ad Eustoch. de Virg. serv.*

(*c*) *Collat. XVIII. c.* 7.

(*d*) *Id. ib.* (*e*) *Hierony. ib.*

(*f*) *August. Retract. l.* 1. *c.*21., *& Conc. Chalcedon.*

§. III.

De Monachorum Disciplina.

Monachorum vivendi ratio olim durioris erat instituti: viliori enim vestitu, cilicium propterea dictum, utebantur, *nudo pede* ambulabant (*a*), vino, & carnium esu abstinebant (*b*), pane, aqua, atque passis fructibus cunctis hebdomadæ diebus vescebantur, præter Dominicam, in qua *coctis* utebantur leguminibus (*c*); quæ omnia proprio comparabant labore, ne aliis oneri essent; quare *callosas manus* illos gestare ajebat Hieronymus (*d*). Integra itaque hebdomada operibus manuum, perinde ac orationi vacabant, die vero Dominica Ecclesiam adibant, in qua proprio quodam manebant loco, Psalmos recitabant cum ceteris fidelibus, quibuscum sacra vescebantur Eucharistia; ac tandem Liturgia absoluta, propria repetebant cœnobia (*e*). In illis autem si pauciores, gubernati ab uno erant Præposito (*f*), si plures vel per centurias, vel saltem per decurias divisi, unicuique decuriæ, vel centuriæ eorum unus præerat, cum interea omnes uni obedirent Abbati, qui Cœnobii Pater erat (*g*). Ea est Monasticæ Disciplinæ indoles, quæ inter primos obtinuit Cœnobitas. At ne elapso quidem IV., in quo Monachi orti sunt, Saeculo, hujus vitæ ratio laxari cœpit tum in Oriente (*h*) tum in Occiden-

(*a*) *Hier. l.* 1. *&* 2. *adv. Jovin.*
(*b*) *Aug. de morib. Eccl. ibid.*
(*c*) *Cassian. ib., vita S. Euthym. ib.* (*d*) *Ibid.*
(*e*) *V. Altas. Ascetic. l.* 1. *&* 2.
(*f*) *Hierony. ep. ad Rustic.*
(*g*) *Id. ep. ad Eustoch. de virg. servan.*
(*h*) *V. Chrisost. de Sacerd. l.* 6.

dente (*a*). Id autem vel ex eo factum mihi videtur, quod Monachi clericalia munia expetere, eaque obire cœperunt. IV. enim Saeculo in Occidente inter clericos monachi sensim relati sunt (*b*), vel Abbate illud expostulante, vel flagitante populo (*c*). In Oriente cum initio clericorum defectu aliquando Monachis uteretur Episcopus clericalibus officiis in re Liturgica obeundis (*d*), paullatim Saec. V. illorum Abbates, vulgo *Archimandritæ*, Presbyteratu, & Monachi clericatu initiari cœpere (*e*). Hinc Monachi exinde passim clericis præstare studuerunt, eo ut V. Saeculo Monachi post Presbyteros ante Diaconos venirent (*f*); Quorum Archimandritæ Conciliis etiam intererant (*g*), & ad ipsum Episcopale munus quandoque electi erant (*h*). Verum etsi generatim Saec. V. Monachorum potior pars Sacris adhuc careret ordinibus, Saec. tamen VI. Monachorum institutum clericatui æquavit S. Gregorius Magnus, qui Monachos quamquam minoribus ordinibus non adhuc initiatos, ad Sacros statim promovit ordines (*i*), id quod confirmavit Bonifacius IV. Rom. Pont. initio Saec. VII. (*k*). Ex quo inquam factum est, ut circa hæc tempora Monachi *clerici* vulgo appellarentur (*l*).

At

(*a*) *Vide Cassian. Inst. Mon. l.* II. *c.* 14.
(*b*) *Siric. Pap. ep.* 1. *c.* 3. (*c*) *Hier. ib.*
(*d*) *Sozom. Hist. Eccles. l.* 8. *c.* 17.
(*e*) *Conc. Constan. sub. Flav. Act.* IV. *&* V.
(*f*) *Epiph. Hær.* 68.
(*g*) *Conc. CPolit. I., Ephesin. ex Conc. Chalced. Act.* I. *& sess.* IV.
(*h*) *V. Sulp. Sever. de vit. S. Mart. c.* 10. *& Dial.* 1. *c.* 21.
(*i*) *L.* 9. *ep.* 13.
(*k*) *In Syn. Romana ap. Holsten. in collect. &c.*
(*l*) *V. Mabil. Præf. ad Sæc.* II. *Act. SS. Ordin. Bened.*

At cum a v. Saec. potissimum in Occidente Monachi a primevæ vitæ ratione nimium descivissent (*a*), vi. tandem Saec. S. Benedictus antiquum quodammodo eorum vitæ institutum restauravit, ac nonnulla adjecit, quæ illud idem stabilius tuerentur (*b*). Hinc ejus Regulæ brevi temporis spatio totum pervasere Occidentem, eo ut ablegatis, quibus prius moderabantur, Regulis, Occidentales Monachi S. Benedicti illas amplexi sunt, & pene unus exinde inter Latinos ejus obtinuit Ordo, maxime post viii. Saec. (*c*). A ix. itaque Saec., in quo Monachi omnes Benedictina uti cœperunt disciplina, nonnulla immutata sunt de veteri instituto; Abbates scilicet Presbyteratu initiari oportere (*d*); Monachos vero minoribus ordinibus initiari ab ipsomet Abbate (*e*), eosque beneficia cum animarum cura sucipere posse ex Episcopi mandato, statutum est (*f*). At ultro res processit Saec. x., in quo Cathedralium Ecclesiarum *Capitula* plerumque e monachis constabant (*g*), vel duo erant *Capitula*, clericorum unum Monachorum alterum, quæ vicissim Canonicis horis operam dabant (*h*). Huic autem rei occasionem præbuit effrænis clericorum licentia a temporibus usque Caroli Magni (*i*). Hinc ple-

(*a*) *V. Sulp. Sev. Dial. I. c.* 8.
(*b*) *V. Mabill. Sac. I.*, & *Annal. t.* 1.
(*c*) *V. Id. Præf. ad Sac.* iv.
(*d*) *Conc. Roman. c.* 26. *An.* 827.
(*e*) *Conc. Aquisgr. c.*60.*An.* 817.
(*f*) *Conc. Mogunt. An.* 847.
(*g*) *Epist. Alexandr. Pap.II.*39.*ad Lanfr.*
(*h*) *V. Ital. Sacr. t.* 4. *de Eccl. Medio. p.*1091., & *Suri. die* 2. *Junii c.*22.*vit.S.Minuerci.*
(*i*) *Conc. Meten. Conc. Gall. t.* 3., *Flodoard. l.* 2. *c.* 17., *Vit. S. Dunstani ap. Sur.* 19. *Maj.*

orta sunt pleraque Monachorum jura, quibus illos injura potiri nonnullis nostra hac tempestate, quibus medii aevi historia latet, videtur. Verum cum Saec. XI. propria jura laesa quererentur Clerici, a Parochiarum regimine monachos amandarunt Concilia (*a*). Quamobrem Saec. XII. sancitum est: *Monachos* neque *poenitentias dare*, neque *infirmos visitare*, neque *unctiones facere*, neque *Missas publicas cantare* (*b*). Ea quippe aetate in solis Parochialibus Ecclesiis Missa decantabatur diebus festis, cui aderant Parochiae fideles, ut in II. Libro. Sect. II. dicemus. At tandem Saec. XIII. Innocentius Papa III. Parochialia jura Monachis restituit, illosque idoneos declaravit ad animarum curam suscipiendam in iis Ecclesiis, quo nullum habent Monachi domicilium, modo Presbyterum in Parochia socium adhiberent (*c*); in iis enim Ecclesiis, quas *pleno jure* Monachi possidebant, nonnisi Presbyterum Parochi munere fungi posse, statuerat Urbanus Papa III. praecedenti Saeculo (*d*). Quae lex novissima aetate nequidem stetit, cum in ipsis proprii Monasterii Ecclesiis Parochum gerere Monachis plane licitum fuerit, si Episcopo *obedirent* in iis, quae animarum curam intererat (*e*).

Monachorum Praepositus *Abbatis*, h. e. *Patris* titulo initio gaudebat, sive *Archimandritae*, scilicet *Principis Monasterii*. Verum Saec. VI. Archimandritae nomine appellabatur is, qui cunctis alicujus Provinciae Abbatibus praeerat (*f*), cum

(*a*) *Wintonien. c. 6. An.* 1078., *Rothomagen. c.* 5. *A.* 1074., *Pictavien. An.* 1100.
(*b*) *Conc. Lateran. I. A.* 1122.
(*c*) C. *Monachi*. *De statu Monachorum*.
(*d*) C. *in Ecclesiis*. *De Capellis Monachor.*
(*e*) *V. Prosp. Fagn. Comm. in c.* super eo *de Regular.*
(*f*) *V. Columban. vit. c.* 7.

cum non adhuc ea ætate Abbatum generalium nomen & munus in Occidente foret. Contra ea vero eodem VI. Saec. in Oriente omnium Monachorum generalis quidam Præpositus erat, Καθολικος *Catholicus*, *generalis* dictus (*a*), qui *Exarchus*, vel *Primas* quoque a Græcis nuncupatur (*b*) vel Παντοκρατορευος apud Balsamonem (*c*). Ab Orientalibus tandem, multiplicatis in Occidente Monachorum Ordinibus, Generalium normam desumpsere Latinorum Monachi. Cassinensis enim Abbas IX. Saec. supra omnes erat Abbates, & quamdam in illis jurisdictionem quodammodo habebat (*d*). At Saec. X. primus suorum Monachorum Generalis Abbas fuit S. Odo Cluniacensis Ordinis instaurator (*e*), ex quo deinde paullatim alii Monastici Ordines *Generales* habere cœperunt. Abbas itaque Monasterium gubernabat, eique uni *Domni* titulus erat (*f*) in Occidente. Abbati jus pariter erat Monasterii Ministros (vulgo *Officiales* medio ævo) creandi, qui *Decani*, *Nonni* appellabantur, cum plerumque Monachorum Seniores forent (*g*), quorum primus *Præpositus* olim dictus, vel *Prior* (*h*); alter *Decanus*, sive *magnus Decanus* (*i*), ac tertius *Cellarius*, sive *Cellurarius* (*k*).

Ab-

(*a*) *Vide vit. Eutychii Patriarch. CPolit. c.* 15. *CPolis Christ. t.* 9.

(*b*) *Vide Du-Chang. ib. v.* Εξαρχ.

(*c*) *Nomoc. c.* 20. *t.* 1.

(*d*) *V. Chron. Cassin. L.* 6. *c.* 12., *l.* 8. *c.* 54.

(*e*) *V.* Biblioth. *Cluniac' Sect.* 2., *& Mabil. Præf. ad Sæc. v. Annal. Bened.*

(*f*) *V. Reg. S. Benedicti c.* 63.

(*g*) *Ib. c.* 54. (*h*) *S. Greg. Magni l.* 6. *ep.* 10.

(*i*) *Conc. Mogunt. c.* 11. *An.* 813.

(*k*) *Reg. S. Bened. c.* 31.

Abbatem creabat olim Episcopus (*a*). Monasteria sane, ac Monachi ab initio Episcopis, in quorum erant diecœsi, patebant, id quod passim Ecclesiastica testatur Historia. Saec. autem v. Episcopi Abbatibus credere cœperunt *temporale* jus in propriis Monasteriis (*b*)cum spiritualem dumtaxat jurisdictionem in Monachos retinuissent (*c*). Quamobrem Episcopi Abbatem creabant (*d*), monasteria canonice visitabant (*e*), Abbates proprio Episcopo quotannis Monachorum, atque regiminis monasterii rationem reddebant (*f*); quæ jura etiam in Oriente sarta, tecta manebant (*g*): quo pacto ab Episcopi jurisdictione pendebant Monachi ad Saec. usque XI. finem (*h*). Ad hæc quippe tempora Romani Pontifices cum quædam Monasteria in suam recipere tutelam cœpissent (*i*)(fortasse Orientalium Patriarcharum exempla imitati, qui eadem ætate propriæ fecerunt jurisdictionis nonnulla Monasteria aliis antea Episcopis obnoxia, eaque πατριαρχικα appellarunt (*k*)) sensim Monachi Episcoporum jurisdictioni se se subtraxere. Hinc Saec. XII. insignium quorumdam Monasteriorum Abbates a Romano Pontifice creati erant (*l*); & in magni alicujus momenti ne-

(*a*) *Greg. Magn. ibid.*
(*b*) *Conc. Arelat. III. An.* 554.
(*c*) *Conc. Vernen. An.* 755.
(*d*) *Conc. Francof. c.* 17. (*e*) *Conc. Mogunt. c.* 40.
(*f*) *Capit. Car. Magn. l. 6. c.* 136.
(*g*) *Conc. Nicæn. II. c.* 16. *An.* 787.
(*h*) *V. Conc. Coyacen. An.* 1050., *Legionen. An.* 1012. *Turonen. An.* 1060.
(*i*) *V. Epist.* 26. *Callixti II. Rom. P.*
(*k*) *Balsam. in c.* 31. *Apost.*, *& in c.* 19. *Conc. Nicæ. II.*
(*l*) *Conc. Roman. An.* 1122., *Remen. II. An.* 1119., *Lateran. An.* 1122.

ti negotiis Monasteria ab ipso Romano Pontifice pendebant, posthabito sæpe Episcopo (*a*); ita ut tandem ab Episcoporum jurisdictione Saec. XIII. plane exemta fuerint cujuſvis ordinis monasteria. Quæ *exemptiones* eo devenerunt, ut tandem Saec. XVI. modum illis imponere Conc. Tridentini Patres studuerint (*b*). Verum postquam brevi, de more, hæc, quæ ad exemptionis monasticæ historiam pertinent, complexus sum, unum heic dissimulare nequeam, ne vera prætetire videar. Non ex una nimirum libertatis cupidine Monachorum *exemptiones* profectas esse. Primo sane illis occasionem præbuerunt Episcoporum medii ævi incuria, atque avaritia; cum enim illi sæcularibus hærerent quam maxime negotiis, monasteria parum curæ illis esse cœperunt (*c*), ac quod potissimum est, ea bonis spoliare tum in Monachorum ordinatione, tum in canonica visitatione (*d*), conati sunt; qua de re cum apud Pontifices, atque Reges in dies quererentur Monachi, tandem merito Monasteria ab Episcopi jurisdictione *exemta* declararunt tum Principes, tum Concilia, tum Romani Pontifices jam usque a VI. Saec. in Italia (*e*) Gallia (*f*) atque Hispania (*g*).

§.IV.

(*a*) *V. S. Bernard. de consid: ad Euge. l. 3.*

(*b*) *Sess. IV. V. VI. & VII.*

(*c*) *Greg. Turon. l. 1. c. 10.*

(*d*) *V. Antiqua Exemt. Privil. ap. Martène in Thesaur. mon. t. 4. & 6.*

(*e*) *Greg. Magn. l. 7. ep. 115., l. 11. ep. 9. & Conc. Roman. An. 601.*

(*f*) *Id. l. 11. ep. 8. & Greg. Turon. ib. ac Helyot. Hist. des ordres t. 6.*

(*g*) *Conc. Ilerden. c. 13. An. 524., Tolet. IV. An. 631. c. 51.*

§. IV.

De Monachorum Regulis.

Vetustissimi illi Cœnobitæ nullam literis exaratam, vel capitibus digestam habebant *regulam*. Orali sane traditione Patrum documenta juniores docebant, cum interea eorum *Regula* unum esset Evangelium (*a*). Primus itaque, qui in Oriente scriptas Regulas Monachis tradidit, is fuit S. Basilius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Saec. IV., quibus omnes Orientales Monachi uti cœpere, ac hodie dum utuntur, paucis vel demtis, vel additis pro temporum, ac locorum adjunctis (*b*). Ex Oriente Occidentem pervasit Regula Basilii circa VI. Saec.: Ad eam enim usque ætatem in Galliis, atque Hispaniis certis regulis adhuc carebant Monachi, cum opusculis quibusdam asceticis earum vice uterentur. Hæc autem opuscula vel olim S. Cæsarii Arelatensis Episcopi (*c*) erant, vel tandem Cassiani, aut S. Martini Turonensis Episcopi. Hinc Saec. VI. S. Columbanus primo in Galliis modis omnibus perfectam Monachis regulam tradidit (*d*); dum eodem Saeculo aliam omnibus etiam numeris absolutam pro Monachis Hispanis regulam exaravit S. Isidorus Hispalensis Episcopus, qua illi usi sunt ad Saec. usque VIII. (*e*).

Verum cum in Occidente VI. Saec. novam tradi-

(*a*) *V. Coteler. in Comm. ad Veter. Part. Apophteg. Sect.* 4.

(*b*) *V. M. Collier. Voyag. d'Orient. t.* 2. *l.* 2. *c.* 18.

(*c*) *V. ejus vit. ap. Sur. c.* 15. *die* 26. *Augu.*

(*d*) *V. Jonam. in c.* 6. *Vit. S. Eustat.*

(*e*) *V. Mariana Hist. Hisp. l.* 1. *c.* 7. *& l.* 5. *c.* 11.

disset Regulam S. Benedictus, eam in Italia primum amplexi sunt Monachi, ac tandem post VIII. Saec. in Galliis (*a*), atque in Germania paucis mutatis recepta est (*b*). In Hispania circa finem IX. Saeculi (*c*). In Anglia vero Saec. VI. jam illa obtinuerat (*d*). Quo factum est, ut tandem huic Regulæ tum Basilii illa (quæ in illis præcipue Italiæ locis obtinuit, quæ Græci incolebant) tum aliæ Columbani, atque Isidori locum cederent, cum Saec. X. in toto pene Occidente una invaluisset monachos inter S. Benedicti Regula (*e*).

CAP. II.

De Fratribus.

SAeculo XIII., quo Ecclesia hæreticorum commentis maxime divexabatur, cum antiqui Monachi, tum ob licentiorem vitam, tum ob turpem, qua laborabant, ignorantiam, fidei tuendæ haud idonei forent; novi quidam ordines in Ecclesia excitari cœperunt, qui moribus, atque doctrina hæreticorum impudentiæ obviam irent. Hi autem ordines *Fratrum Mendicantium* nomen ex eo tulerunt, quod, præter Monachorum institutum, in dies viverent, ac victum, aliaque ad vitam necessaria, neque redditibus, neque operibus manuum compararent, sed ostiatim a fidelibus emendicarent.

In

(*a*) *V. Mabill. in Præf. in* III. *Sac. Ann. Ord. S. Bened.*

(*b*) *Conc. Mogunt. c.* 11. *A.* 813., *Capit. Reg. Franc. l.* 1. *in Addict.*

(*c*) *Mabil. ib. Præfat. ad Sac.* IV.

(*d*) *Johan. Diac. in vit. S. Greg. Magn. l.* 4. *c.* 80.

(*e*) *V. Mabil. ib.*

In immensum fere hi ordines initio excreuere; sed tandem a Gregorio x. Rom. Pont. ad quatuor redacti sunt in Concilio Œcumenico Lugdunensi; cujusmodi fuere *Dominicani*, *Franciscani*, *Carmelitani*, & *Eremitæ S. Augustini* (*a*).

Dominicani ordinis institutor nobilis quidam vir fuit, gente Hispanus, *Dominicus* nomine, qui cum primo Uxensis Ecclesiæ Canonicus Regularis fuisset, Galliam adiit, ut hæreticorum vim retunderet, quod cum omni fecisset, neque irrito conatu tum ibi, tum in Italia, tandem Romani Pontifices Innocentius III., & Honorius III. potestatem ei fecerunt novum instituendi ordinem, cujus membra eadem laborarent vi, eodemque consilio in Christiana Republica. Is autem cum Fratribus sui ordinis Regulam Canonicorum S. Augustini observandam tradidisset, nonnullis adjunctis asperioris instituti præceptis, initio quemdam Canonicorum ordinem instauraverat; verum paucos post annos in Generali Capitulo, quod Bononiæ habuit, bonorum possessionem suis interdixit, superaddito *paupertatis voto* (*b*). Hi autem *Prædicatores* initio, deinde *Dominicani*, ab illorum Auctoris nomine, denominati sunt, qui brevi omnem Europam pervaserunt, eorumque laboribus hæresi quam maxime obstiterunt; quamobrem Pontificum Rom., Principum, ac populorum benevolentiam sibimet conciliarunt, atque innumeris privilegiis donati fuerunt.

Dominicani Ordinis decus eodem Saeculo æquare studuerunt *Franciscani*, ita dicti ab Italo viro, nomine *Franciscus*, Assisiis in Umbria natus. Is enim sub Innocentio III. prima hujus Ordinis fundamenta jecit, ejusque institutum tandem probavit Anno MCCXXIII. Honorius III. Instituti vero ra-

(*a*) *An.* 1247. *c.* 23.
(*b*) *V. vit. S. Dom. Nic. Jansenii.*

ratio eo omnis revolvebatur, ut *paupertatis voto* fratres obstringerentur, stipem quotidianam fidelium pietate compararent, atque singulari morum exemplo Religionem tuerentur; qui ex eorum Auctoris præcepto *Fratres minores* appellati sunt (*a*). Hi Dominicanos æmulati, Pontificum, Regum, ac Populorum animos in duas quandoque diviserunt factiones. Cum autem de more paullatim primum in horum Fratrum animis deferbuerit studium, in dies nonnulli eos inter antiquam Auctoris disciplinam instaurare studuerunt, ex quo *Franciscanorum* ordo in quamplures classes divisus est.

Carmelitarum Ordo in Syria circa XII. Saec. obtinuisse fertur, exinde in Europeas regiones translatus est Saec. XIII.; quare antiquam illorum regulam, aliquibus pro loci natura immutatis, probavit Honorius III., ac deinde Innocentius IV. quamplura in illa castigare fecit, quæ ad Orientalem vivendi rationem pertinebant. Demum Honorius IV. eorum vestes, donato illis albo, quo utuntur, pallio, immutavit (*b*). In duas autem classes Ordo iste discerptus est Saec. XVI. cujusdam inlustris mulieris opera, *Teresia* nomine, ejusque comitis Johannis *de Santa Crusa*. Hinc novus Carmelitarum *Discalceatorum* Ordo prodiit (*c*).

Eremitæ S. Augustini Saec. etiam XIII. ab Alexandro IV. instituti sunt. Is enim quinque Eremitarum ordines, qui jam extabant, in unum redegit corpus, cui S. Augustini Regulam observandam tradidit, ac Lanfrancum Septalanum præfecit. Qui quidem Ordo magni habitus est in Ecclesia Saec. potissimum XIV. (*d*).

CA-

(*a*) *V. Lucam Wadding. Annal. Min. t.* 1.

(*b*) *V. Spondan. ad An.* 1285., *& Castill. Hist. prima part. l.* 3. *c.* 25. (*c*) *V. Helyot. Hist. des Ordr. t.* 1. *c.* 47.

(*d*) *V. Phil. Signin. Episcop. in Chron. Aug. ad A.* 1319.

CAP. III.

De Sanctimonialibus,

§. I.

De Sacris Ecclesiæ Virginibus.

INter ordines illos, quibus Christiana coalescit Resp., enumeranda etiam merito videtur Virginum classis, quas magni fecit ab initio Ecclesia (*a*), cum III. Saec. velut *illustrior portio gregis Christi* habitæ sint (*b*). Hæ autem Virgines ea Ecclesiæ tempestate postquam ab Episcopo canonicæ classi cooptatæ erant, nullimode e *proposito regredi* poterant (*c*): domi manebant, etsi a virorum consortio sejunctæ (*d*), easque ipsamet alebat Ecclesia ex diurnis fidelium oblationibus, cum Ecclesiæ κανονι inscriptæ essent (*e*), IV. Saeculo, quo Ecclesiæ civili fruebatur libertate. Virginum numerus in immensum crevit, eo ut in Constantinopolitana dumtaxat Ecclesia millia earum numerarentur (*f*), ac eodem uterentur contubernio in Oriente. In Occidente eadem methodo illas usas, testatur Hieronymus: domi scilicet simul commorasse, manibus operasse, jejuniis, atque orationi-

 bus

(*a*) *Lib. de Resurrect. Carn.*
(*b*) *Cypr. De Hab. Virg.*
(*c*) *Id. l.* I. *ep.* II., & *Conc. Illiber. c.* 13.
(*d*) *Cypr. ibid.*
(*e*) *Socrat*, & *Sozom. Hist. l.* 5. *c.* 4., *Cornel. Pap. epist. ap. Euseb. Hist. Eccl. l.* 6. *c.* 43.
(*f*) *Chrysost. Hom.* 67. *in Matth.*

bus operam dedisse (*a*). Vestitu quoque honestiori utebantur, veste scilicet pulla, ac *fusciore* (*b*), *pallio furvo*, & *laneo cingulo* (*c*). *Vestis rugas circapectus pariles*, ut de more mulierum tum erat, haud *intendebant*, *ac calceis in acumine desinentibus abstinebant* (*d*). Ea ætate infantulis duodecimo anno, quo jure Romano nubiles erant, se se virginitati devovere fas erat (*e*).

Huic autem classi, ut dictum est, virginum neminem accensebat Episcopus, nisi illius vita, morisque plane expensis (*f*); eam vero, quam idoneam virginali ministerio judicabat, *flammeo virginali* donabat (*g*). Quod equidem *flammeum* ab Episcopo in Templo conceptis benedictionibus *consecrabatur* (*h*), ipsa plerumque Paschatis die, quo Virgines ipsæ consecrari solebant (*i*). *Flammeum* e purpurei coloris lana erat, neque illud, ut nostris moris est Sanctimonialibus, gestabant, sed circa caput obvoluebant, *mitra*, vel *mitella* ea de re appellatum (*k*). Flammeum itaque virginum, quæ Ecclesiæ ministerio se addixerant, insigne erat, illudque ab Episcopo, ut diximus, vel quandoque etiam a Presbytero, Episcopo permittente, recipiebant (*l*). Hæ autem virgines domi cano-

(*a*) *Ep. ad Marc. de Laud. Asellæ.*, & *ep. ad Eustoch de virg. serv.*
(*b*) *Id. ep. ad Gaudent.* (*c*) *Id. ep. ad Marcel.*
(*d*) *Id. ad Gaudent.*
(*e*) *Chrysost. Hom.* 8. *in ep. I. ad Timoth.*
(*f*) *Id. De Sacerdot. l.* 6. *c.* 15.
(*g*) *Hier. ad Demetr.* (*h*) *Id. ib.*
(*i*) *Ambros. Exortat. ad virg. lapf. c.* 3.
(*k*) *Optat. Milev. De Sch. Donat. l.* 2. *c.* 7.
(*l*) *Conc. Carth. IV. c.* 91.

nonicis horis psalmos modulabant (a), festis vero diebus ad Ecclesiam veniebant, ac in propria statione Sacris aderant: in Ecclesiis sane quidam erat peculiaris locus, hinc *tabulis* a communi ceterarum mulierum illo *separatus*, inde pariete clausus, in quo pleraque ad tuendam virginitatem precepta, descripta erant (b). Harum Virginum cœtus tum in Occidente, tum in Oriente Diaconissis suberat, quæ de his Episcopo rationem rendebant (c).

§. II.

De Sanctimonialium origine, atque Disciplina.

In Oriente a IV. Saec., quo virorum Monasteria excitari cœperunt, & Virginum illa condita sunt, ut quæ domi vivebant sejunctim, simul in posterum vitæ Sanctimoniæ securiorem darent operam. Hinc Antonius Puellarum Monasterium in Ægypto extruxit, cui propriam præfecit Sororem (d), & Pachomius Virginum Cœnobium in Palestina condidit, cujus administrationem sorori itidem dedit (e). Basilius plura illarum Cœnobia in Cappadocia & Ponto condidit (f), quæ postea in toto fere Oriente inducta videntur, ita ut V. ineunte Saec. bifcentum, & quinquaginta virgines in uno recensentur Cœnobio (g). In Occidente IV.

 Saec.

(a) *Hierony. l. 1. adver. Pelag., & in Epitaph. Paulæ, Gregor. Nyss. in vit. S. Macrinæ.*
(b) *Ambr. ibid. c. 6.*
(c) *Greg. Nyss. ibid., & Epiph. in Expos. Fidei.*
(d) *V. Athanas. in vit. S. Antonii c. 29.*
(e) *V. vitam ejus inter vit. Patr. c. 28.*
(f) *Nanziaz. Orat. de Laudib. Basil.*
(g) *Theodoret. Hist. Relig. c. 20.*

Saec. Sanctimonialium monasteria jam obtinuisse testantur illius ævi Scriptores, Romæ nimirum (*a*), Mediolani (*b*). In Africa, ubi ea Augustinus excitavit (*c*). In Galliis, quo v. Saec. initio jam extabant (*d*).

Illarum autem disciplina ea erat, quam precedenti paragrafo descripsimus. In Oriente sane vitam agebant *communem*, *uno cibo vescentes*, *super floreis foliis* dormientes (ex herbarum enim caulis stragulum sibimet parabant), lanificio operam dantes (*e*), mane, vespere, ac nocte *psallentes* (*f*). Eas inter una erat, quæ ceteris præerat, eique omnes parebant, *Amma* a Syraica voce *Am mater* appellata (*g*), quæ statis temporibus capillos illis detondebat (*h*). Earum Cœnobii sæcularia negotia seniori cuidam Presbytero, vel Diacono curæ erant ex Episcopi mandato, cui nihilominus neque vesci, neque cohabitare, neque conversari cum illis fas erat (*i*).

In Occidente vero ab infantia in Monasteriis puellas educabant (*k*) eadem pene, qua Orientales, methodo, cum in iis tantum differrent, quod hæ capillos non detonderent (*l*). Ceterum communione bonorum utebantur, quare earum cœnobia *convicta*, appellat Augustinus (*m*). Eis vetula quædam præerat Virgo, quæ

(*a*) *Hieron. in Epitaph. Marcellæ.*
(*b*) *Ambros. Exort. ad Virg. lapss. c. 7.*
(*c*) *Possid. in ejus vit. c. ult.*
(*d*) *Sever. Sulpit. Dial. 2. de vit. S. Mart.*
(*e*) *Theodoret. ib.*
(*f*) *Id. ib. & Gregor. Nyss. ib.*
(*g*) *Pallad. Hist. Lausiac. c. 42.* (*h*) *Id. ib. c. 41.*
(*i*) *V. Codic. Justini. De Episc. & Cleric. l. 1. leg. 43.*
(*k*) *Hieron. ep. ad Læt.*
(*l*) *Optat. Mil. ib. l. 6., August. ep. 109.*
(*m*) *Ibid.*

quæ jam tum *Mater* dicebatur (*a*); cum præter *Matrem* Episcopus quandoque Presbyterum etiam Monasteriis præficeret (*b*).

At a VI. Saec. tum Pontifices Romani, tum Concilia earum vitæ rationem rectius instituere studuerunt. Quamobrem illis minime licere e monasterio egredi post quartum a *probatione* annum sanxerunt (*c*), easque, si clam monasterio elapsas, Episcopum etiam vi in monasterium retrudere debere (*d*): Ne extra Monasteria vagarent sæcularibus negotiis obeundis, qua de re uni ex clericis Episcopus earum litteras procuratorias donabat (*e*). Sexto enim Saeculo ne Liturgiæ quidem caussa Monasterio egredi eas opus erat, cum jam publicas haberent Ecclesias, in quibus quotannis Episcopus veniebat solemni apparatu sacrum peracturus (*f*). In Hispania vero plerumque Abbates *in spirituali* Sanctimonialibus præerant, iique Monachum eligebant *sæcularibus* illarum negotiis obeundis (*g*), quamquam primarie in Episcopi jurisdictione manerent (*h*). Id autem ex Hispania penes alias exinde gentes obtinuit, quod Episcopi ultro passi sunt, tum quia Sanctimoniales plerumque necessaria compararent alimenta textura vextium Monachorum (*i*), tum quia Sanctimoniales ejusdem sæpe *ordinis*, atque regulæ cum Monachis erant. Verum Episcopo in omnibus eas subjectas esse vel ex eo liquet, quod ab illo

(*a*) *Hier. ep. ad Marcel. de obitu Læt.*
(*b*) *Aug. ib.* (*c*) *Conc. Aurelian. V. c. 19.*
(*d*) *Greg. Magn. l. 7. ep. 9. & 10.*
(*e*) *Id. l. 3. ep. 9.*
(*f*) *Id. ibid., & l. 6. ep. 13.*
(*g*) *Conc. Hisp. II. c. 11. An. 619.*
(*h*) *Conc. Tolet. IV. c. 16.*
(*i*) *Isid. Hisp. de Div. Offic. l. 2. c. 15.*

illo tum *Abbatissa*, postquam a Monialibus electa erat, *consecrabatur* (*a*), tum ceteræ *velabantur* Moniales (*b*). Quo animadvertendum est, quod cum ea ætate Episcopi in Abbatissæ consecratione ritu ordinationis Diaconissarum (quibus ut dictum est VIII. Saec. jam carebant Latini) uti cœperint, Abbatissæ eam ob rem *Diaconissarum* nomen usurpasse videntur (*c*).

Post x. Saec. *publica* orta est *Professio* inter Sanctimoniales, cum olim virginis dumtaxat proposito, ac voluntate professio constaret. Exinde enim *ut humanæ provideretur instabilitati Professio* a virginibus fiebat coram testibus, quæ scripto exarata servabatur (*d*). Tirocinium vero *laicali veste* agebant virgines (*e*), qua propter eodem ævo nullimode licebat ei, quæ etiam sine solemni professione *monasticum* induerat *habitum*, eumque anno gestaverat, e monasterio egredi, cum *habitus susceptio* velut apertum voluntatis argumentum haberetur (*f*). Quæ omnia novo tandem jure aliquibus in rebus immutata fuerunt.

Postremo animadvertentum Græcas Moniales *Regulas* S. Basilii usas esse. Iner Latinas vero ad IX. usque Saec. varias obtinuisse *Regulas*, cum deinceps universæ Regulam S. Benedicti professæ sint.

§. III.

(*a*) *Greg. Tur. Hist. Franc. l. 9. c.* 42., *Conc. Vernen. c. 16. An.* 755.

(*b*) *Conc. Paris. VI. c.* 14. *An.* 829., *Capit. Car. Magn. l. 7. c.* 127.

(*c*) *V. S. Nili Abb. vit. c.* 14. *ap. Sur. die* 26. *Septemb.*, *Atton. Vercell. Ep. epist. spic. t.* 8.

(*d*) *V. Ivon. Carnot: epist.* 25. *ad Goffrid.*

(*e*) *V. Sanctim. Regular. Codic. ap. Menard. in Cod. Regul.*

(*f*) *C. ex parte tua. de Regularib.*

§. III.

De Ritibus Consecrationis Sanctimonialium.

Olim Episcopus, ut innuimus, Sanctimonialium classi virgines conscribere solebat in *Albis Paschalibus*, Paschali nimirum hebdomada, vel die *Epiphaniorum*, vel *in Apostolorum natalitiis* (*a*). Quod juris Episcopis plane fuit ad Saec. usque IX., in quo illorum negligentia paullatim aliquibus in locis eo carere cœperunt, cum ipsæ Abbatissæ jus proprias moniales velandi usurpare cœpissent (*b*). Verum Saec. XIII. Romanus Pontifex (*c*), & XV. Saec. Concilia illis antiquum jus restituerunt (*d*).

Ritus omnis antiquitus velaminis (*flaminis*) sola traditione continebatur. Virgines humiliori vestitu se Episcopo offerebant, velum suscepturæ; eis enim *cum ad se consecrandum accederent*, sericis vestibus, auro, gemmisque ornari vetitum erat (*e*). Saec. tandem XI. usus capillos præcidendi, easque annulo, & corona donandi invaluit inter Latinos (*f*). At Saec. XII. duplex velum inter Sanctimoniales obtinuit, quorum unum albam crucem in medio habebat acu depictam, alterum ea carebat, primo utebantur illæ, quæ ab Episcopo consecratæ erant, altero, quæ *velatæ* erant ab Abbatissa (*g*). Orationes vero, aliæque ceremoniæ

(*a*) *Gelas. Pap. ep.* 9.
(*b*) *Conc. Paris. VI. cap.* 33. *An.*829.
(*c*) *V. Rainald. ad An.*1244. *n.* 57.
(*d*) *Conc. Turon. c.* 12. *An.* 1583., *Mediolan. IV. &c.*
(*e*) *Synod. Trullan. c.* 45.
(*f*) *V. vit. S. Hildegundæ. ap. Bolland. t.* 1. *Januar.*, & *Baron. ad An.*1025. *n.* 1.
(*g*) *V. Petri Abaelardi epist.*8.

niæ, quæ in Pontificali habentur, Saeculo xv. antiquiores non sunt.

Quo autem ætatis anno velum recipere possent virgines variarunt, Ecclesiæ decreta. In Oriente enim ex S. Basilii regula, quæ omnium plane fuit Orientis Sanctimonialium, post xvi. vel xvii. ætatis annum *consecrari* poterant (*a*). Ætatem vero contraxit Synodus Trullana (*b*) ad x. annum, quod decretum Orientalis Ecclesia nonnullibi sartum tectum habuit ad Saec. usque xii. (*c*).

In Occidente serius virgines consecratæ erant. Sic in Africanis Ecclesiis anno ætatis xxv. (*d*). In Galliis anno xl. (*e*), quod Romæ in moribus erat (*f*). Verum huic legi quandoque remittebant Episcopi, si virgo morum maturitate præstaret (*g*). In Germania tandem eadem pene erat disciplina ea in re, at si quæ post xii. annum *velamen* aliqua ratione cœpisset, integrum ei non erat Monasterio egredi (*h*). Hinc jure Decretalium cum puella xii. absolverat annum, *valide professionem emittere* poterat (*i*). Ea sane fuit in ejusmodi re Ecclesiæ disciplina ad ætatem usque Tridentini Concilii, a quo sancitum est ante xvi. ætatis annum Puellas consecrari non posse.

CA-

(*a*) *Reg. S. Basil. c.* 18. (*b*) *C.* 40.
(*c*) *Balsam. in c.* 27. *Conc. Carth. III.*
(*d*) *Conc. Carth. III. c.* 4.
(*e*) *Conc. Agath. c.* 19.
(*f*) *V. Anast. Biblioth. in Leone I. Pap.*
(*g*) *Ambr. De virgin. l.* 3.
(*h*) *Capit. Car. Magn. l.* 1. *c.* 107.
(*i*) *Decret. Greg. IX. l.* 3. *tit.* 31. *c.* 8. 11.

C A P. IV.

De Canonichissis, deque Abbatissis medii avi.

§. I.

De Canonichissis.

C*Anonichissarum* ordinis auctor fertur in Galliis Saec. IX. Ludovicus Pius, qui illis regulas constitui curavit a Concilio Aquisgran. Anno DCCCXVII. (*a*). Num vero Concilium Amalario Metensi Presbytero qui Regulæ canonicarum Auctor fuit, Regulam Canonichissarum scribendam tradiderit, non convenit inter Historicos (*b*). Hæ sane in eo potissimum a Sanctimonialibus Cœnobitis differebant, quod de suo vivebant, castitati perpetuæ, ac ceteris Monasticis votis minime se se obstringebant, eo ut pro lubitu ad nuptias transire illis integrum jus maneret (*c*); hinc *Canonichæ Saeculares* appellatæ (*d*). Earum sane disciplina Saec. XIII. ab antiquo instituto plurimum discesserat, in Choro enim publice cum canonicis Psalmodiæ vacare, ac *Processionibus* interesse audebant (*e*); Optimatum dumtaxat, atque supremi ordinis militum filias in Monasterio recipiebant; a *Monachæ*, ac *Matris* nominibus aborrebant (*f*), cum *Domicellæ* appel-

(*a*) *V. Mabill. Ann. Ord. S. Ben. to.* 2.

(*b*) *V. Thomasin. de N. & V. Disci. l.* 3. *c.* 1., *c.* 42. & 43., *Murator. Antiq. Ital. Med. æv. to.* 5. *p.* 185. & 496.

(*c*) *V. Iacob. de Vitriaco Hist. Occid. c.* 21.

(*d*) *Conc. Colon. An.* 1536.

(*e*) *Conc. Later. An.* 1139. *c.* 72.

(*f*) *V. Statut. Eccle. Cantuar. An.* 1279. *in Append. ad Conc. Gallic.*

pellari vellent (*a*). Quos abusus Concilia tandem emendarunt (*b*). Canonichissarum autem Ordo, qui nostra adhuc perstat ætate, ab illo potius repetendus videtur, qui S. Augustini Regulas profitebatur, cujus meminit Concilium Remense Anni MCXLVIII.(*c*).

§. II.

De Abbatissis.

Medio ævo Abbatissarum munus maximi fuit momenti in Occidente, ac potissimum in Germania, Brabantia, Pannonia, aliisque locis; præsertim postquam Sanctimonialium Monasteriis feuda donarunt Imperatores,& Abbatissæ inter Regni Optimates referri cœperunt, ac *vassallos* habere. Eo sane factum est, ut Abbatissæ paullatim efferrentur, ac non una dumtaxat civili, sed & Ecclesiastica etiam jurisdictione in subditos præditas esse putarent, potissimum in Clericos, ac Monachos earum Dominatus, qui Monasterii *servitio* addicebantur *in spirituali* (*d*). Hinc aliquando Sanctimonialibus simul, & Monachis præerant, uti in Navarræ Regno, Saec. XI. factitarunt (*e*). Synodis etiam Provincialibus intererant, tum ut Regni Optimates, tum Abbatiæ titulo. Ita Saec. VIII. Abbatissa Ordinis S. Benedicti, interfuit Synodo Nidnensi Anno DCCV. (*f*), & in Germania Sæc. X. ejusdem Ordinis alia Synodo Triburiensi Anno

(*a*) *Jac. de Vitr. ib.*
(*b*) *V. Concil. sup. laudata.* (*c*) C. 4.
(*d*) *Capit. Lud. Pii ap. Mabill. Ann. ord. S. Ben. t.* 1. *& de Anglia ex Beda Hist. l.* 4. *c.* 23.
(*e*) *V. Mabill. Sæc.* VII. *Ann. Ord. S. Bened. t.* 4.
(*f*) *Ap. Mabill. ib. t.* 2.

no DCCCCLXXXV. (*a*). Hinc propria oblitæ conditione ipsa Abbatum jura æmulatæ sunt. Vassallos enim minoribus ordinibus initiare ausæ sunt (*b*). Confessiones Sanctimonialium excipiebant, eisque pœnitentiam imponebant (*c*). Publicas habebant conciones in proprii Monasterii Ecclesiis (*d*). At pravis hisce consuetudinibus, quibus ansam præbuerat Episcoporum incuria, & clericorum ignorantia, obstitit tandem Ecclesia, ac illarum jura intra proprios fines redegit.

Pro coronide tandem prætereundum non erit, tum in Hispania, tum in Galliis *Generales* totius Regni Abbatissas fuisse, cujusmodi erat in Galliis Abbatissa Monasterii Cisterciensis Ordinis in Ducatu Burgundiæ; & in Hispania ejusdem ordinis alia in Monasterio Brugensis Civitatis. Hæ inquam Generales Abbatissæ quotannis in earum Monasterio *generale Capitulum* omnium Regni Abbatissarum convocandi jure gaudebant. Duo ejusmodi Capitula, unum Hispanæ Abbatissæ Anni MCLXXXIX., aliud Gallicanæ Ann. MC. habes in Cistерciensium Annalibus (*e*).

CAP. V.

De Fratriis.

FRatrias appellamus Presbyterorum, vel laicorum sodalitia, quæ ad pia quædam Religionis opera exe-

(*a*) *V. Trithem. Hist. Hirpeug. l.34.n.33.*
(*b*) *Capit. Reg. Franc. l.* 1. *c.* 76.
(*c*) *V. Mabill. ib. Præfat. ad Sæc.2. & infra c.* 8. *Reg. Anoni.*
(*d*) C. *Nova. Extrav. x. De Pœn. & Remis.*
(*e*) *T.* 1. *pag.* 225. *&c.*

exercenda instituta sunt. Cum autem potissimum illarum institutum eo vertatur, ut *Confratres* mortuis humandis operam dent, eorumque animas mutuis suffragiis adjuvent; heic de hujusmodi sodalitiis edisserere locus non est, cum apposite de illis dicturus sim in libri VI. ultima sectione, in qua de re Christianorum funebri agam. Pauca itaque in præsentiarum dicam de earum Confratriarum origine, quæ nos inter obtinent.

Fratriarum medio ævo meminit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, easque appellat *Confratrias*, vel, ut vulgo dicebantur, *Gildonias* (*a*). Illas autem quædam sodalitia fidelium fuisse, qui simul conveniebant festis potissimum diebus datis symbolis ad oblationem Ecclesiæ offerendam, ex ejus statutis constat (*b*), sed ex Laicis ut videtur, coalescebant. At Romæ primum sodalitia Presbyterorum cœpere Sæc. X. Eo enim in Diaconia SS. Cosmæ, & Damiani factum est Sacerdotum sodalitium, qui ante *Dominicum Altare* Sacramento se se obstrinserunt, mutuis suffragiis mortuos Confratres juvare, ac marmoream tabulam, qua pacta contenta erant, in monumentam posuerunt (*c*). Ii sane communi veste induti propositis pietatis muneribus olim fungebantur; cum nonnisi XIV. Sæc. videantur cappas albas, quibus nunc utuntur, adhibuisse (*d*). Post XVI. Sæculum ultra fidem, ut ita dicam, illorum crevit numerus, & ut invicem discriminarentur lineis cappis quædam peculiaria addiderunt insignia.

SE-

(*a*) *In Capit. ad Presby. Paroch. suæ. Oper. t.* 1.
(*b*) *Id. ib.*
(*c*) *V. Baron. ad An.* 984.
(*d*) *Ex. Auctore Anon. Chronici Patav. inter Script. Italic. t.* 12.

SECTIO IV.

De Ecclesiæ Proceribus.

CUm de Reipublicæ Christianæ plebe, primi, secundique Ordinis Ministris, ac Magistratibus locuti simus, operæ prætium erit tandem de iis edisserere, qui principem in ea locum tenent. Ejusmodi sunt Summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ejusque Legati, Cardinales, Patriarchæ, Exarchi, Primates, Archiepiscopi, sive Metropolitæ, de quibus singillatim dicemus.

CAP. I.

De Ecclesiæ divisione per Provincias.

IN Ecclesia Christiana quamdam fuisse Provinciarum divisionem ex historicis monumentis plane liquet: at quanam methodo isthæc instituta fuerit divisio, sub judice lis est. Alii sane frequentioribus Civitatibus primum tribuisse locum Apostolos, eorumque successores putant; alii illos Romanæ Politiæ vestigiis omnino institisse docent. At cum Apostoli frequentioribus Civitatibus prima fidei fundamenta jacere studuerint (*a*), cumque Metropoles Romanæ politiæ ceteris civitatibus ea in re præstarent, vel ex eo Apostoli, Apostolicique viri Imperii politiam secuti videntur. Quare sicut Magistratibus Metropolis ceteri quodammodo suberant aliarum Civitatum, quæ Metropolitano carebant jure, Magistratus, eisque primus honos habebatur; ita ab antiquo Episcopis illarum Ci-

(*a*) *Epiph. Haer. 68. 69.*

Civitatum, quæ Metropoles Romano jure erant, primas Ecclesia detulit. Hinc primi habiti sunt Episcopi Nicomediæ in Bithynia, Cæsareæ in Cappadociæ, Amaseæ in Ponto, Ephesi in Asia, Corinti in Achaja, cum hæ Civitates Metropoleων jure gauderent in Romana Imperii divisione. Præter Romanæ Politiæ rationem, jus ipsum, atque indolem civilis politiæ secuta est Ecclesia. Μητροπολεις sane Antiqui appellarunt eas urbes, *quæ colonias miserunt*, *quarum sunt* veluti *antiquæ matres* (*a*). Pari igitur modo metropolitico quodam jure potitæ sunt civitates illæ, in quibus primo vel ab Apostolis, vel ab illorum discipulis fides Christiana prædicata est, ex quibus deinde illa aliis manavit. Harum itaque urbium Episcopi, velut præstantiores Apostolicæ traditionis sequestres, quorum Ecclesiæ quodammodo fuerant *Fidei Matres*, ab ejusdem Provinciæ Episcopis merito primi habiti sunt.

Vide itaque quonam pacto jus illud *primatus* inter ejusdem characteris, atque Ordinis Episcopos induxerit Ecclesia. Hinc mirari non subit jura, & privilegia, quibus decorantur tres illæ Urbes Romani Imperii, eorumque Episcopi; Roma totius orbis Caput, Alexandria in Ægypto, & Antiochia in Oriente facile principes, quarum insignia jura universæ Ecclesiæ suffragiis confirmata sunt (*b*). Qua ratione paullatim Metropoliticis Ecclesiis pro antiquitate, vel populorum frequentia jura data sunt, eo ut in eodem *primatu* gradus quosdam tandem invexerit canonum disciplina, ut infra dicendum erit. Hinc exorta *Patriarcharum Primatum*, *Exarchorum*, *Archiepiscoporum*, nomina, quibus olim etsi fere indiscriminatim primarum Urbium Episco-

(*a*) *Suid. Lexic. in h. v.*
(*b*) *Conc. Nicæn. I. c. 6.*

piscopi donati fuere, quosdam vero dignitatis gradus postera ætate indicarunt. Qui plura hac de re legere desiderat, adeat Librum II. Petri de Marca *de Concordia Sacerd.* &c. neque disertissimas Fimiani notas prætereat.

C A P. II.

De Romano Pontifice.

ROmanæ Ecclesiæ Episcopus Petri successor est, qui *Romæ viginti quinque annis Episcopus perseveravit* (*a*); ac *perseverat*, & *vivit in successoribus suis* (*b*), qui *administrationis Petri in omnibus hæredes sunt* (*c*). Hinc sicuti Petrus, *cui claves Regni cœlestis commissæ* fuerunt, *cum ceteris discipulis prælatus fuerit* (*d*), *omnium Ecclesiarum Dei jussu Ecclesiam pascens... ubique principatum obtinuit* (*e*), ita Romanus Pontifex tamquam illius successor, is est (*f*), *cujus Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum* nemo nisi injuria dubitare auferit (*g*). Quamobrem a primis Saeculis *cuncta, quæ aliquam dubitationem recipere poterant*, *ad illum tanquam ad Caput, ut semper fuit consuetudo*, *deferre non desinerunt* (*h*) totius Or-

(*a*) *Euseb. in Chron. An. Chr.* 44.
(*b*) *Petr. Ravennæ epist. ad Eutych.*
(*c*) *Siric. R. P. epist. ad Himer. Episcop. Tarraeon.*
(*d*) *Basil. Orat. de Judic. Dei.*
(*e*) *Epist. Adriani in Synod. Œcum. VIII. Act.* 2.
(*f*) *Epiph. in Ancor.*
(*g*) *August. l.* 2. *de Baptismo c.* 1.
(*h*) *S. Damasi R. P. epist. ad omn. Epist. Oriental. ap. Theodor. Hist. l.* 5. *c.* 10.

Orbis Episcopi; cum ad Romanam *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse sit omnem convenire Ecclesiam*, *hoc est*, *eos*, *qui sunt undique fideles* (*a*). Ideoque Romanum Pontificem velut *Apostolicum Praesulem in summitatis arce constitutum*, *omnium Ecclesiarum curam habere* (*b*), antiqui Chistianae Reipub. Patres docuerunt, eumque *unum in Ecclesia ad tempus Sacerdotem*, *& ad tempus judicem cogitarunt* (*c*). Ex his merito colligimus Romanum Pontificem *Primatum omnium Ecclesiarum* habuisse (*d*), Episcopos aliarum Ecclesiarum constituisse (*e*), Leges tulisse, iisque dispensasse (*f*). Ad illum ab omnibus appellatum fuisse, suspenso judicio usque dum *caussa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata* (*g*), cum interea *ab ipso nusquam prorsus appellari debere* (*h*) sancitum sit (*i*).

Merito itaque Romanus Pontifex insignioribus titulis a primis usque Saeculis donatur, uti *Beatissimi Domini*, *S. Patris Patrum* (*k*), *Pontificis Christianorum* (*l*), *om-*

(*a*) *Irenae. l.* 3. *c.* 3.
(*b*) *Athanas. Apolog.* 2.
(*c*) *Cyprian. l.* 1. *Epist.* 3. *ad Cornel.*
(*d*) *Epist.* 1. *Julii I. Rom. P.*
(*e*) *V. Conc. Chalced. Act.* 1. *&* 7., *S. Leo I. R.P. epist.* 54. *ad Martian.*, *&* 84. *ad Anastas.*, *S. Greg. l. l.* 4. *ep.* 34. *ad Constant. August.*, *Cyprian. l.* 3. *ep.* 13. *ad Steph.*, *Gelasius epist. ad Episcop. Dardaniae*, *Theodoret. Hist. l.* 5. *c.* 23. *de Flaviano.*
(*f*) *Gelas. Pap. ep.* 1., *S. Greg. l. l.* 12. *ep.* 31.
(*g*) *Conc. Sardic. c.* 4.
(*h*) *Gelas. R. P. ep. ad Faust.*, *& ad Epist. Dard.*
(*i*) *Conc. Sardic. c.* 4. *&* 7.
(*k*) *V. inter canon. Afric. epist. Stepha. Archiep. Carthag. ad Damas. R. P.*
(*l*) *Euseb. in Chron. ad An.* 44.

Omnium Præsulum Pontificis (*a*) per antonomasiam *Ecclesiæ Rectoris* (*b*), *Archiepiscopi & Patriarchæ Universalis* (*c*). Ex quibus vide quæ fuerit veterum nostræ Relligionis Patrum mens de Romanæ Sedis Pontifice, quidque de summa illius potestate senserint tum Orientales, tum Occidentales Ecclesiæ non inquam heri, aut nudius tertius, sed a primis usque temporibus.

§. UNICUS.

De Romani Pontificis electione.

Romanæ Ecclesiæ Pontifex eodem ferme pacto, quo ceteri Episcopi, ut dictum est, olim eligebatur, a clero scilicet, & populo (*d*). Quod a IV. Saec. (*e*) ad Saec. usque XI. factum est (*f*).

Sæculo sane XII. cum Populus Romanæ Civitatis Innocentium Rom. Pontif. hujus nominis II. e cathedra exturbasset, eumque persecutus esset; merito ab illo Christiana communione privatus est. Hinc defuncto Innocentio II., populo, atque clero, qui excommunicatione præpediti erant, ab electione jure abstinendum fuit, ac soli Cardinales Pontificem elegerunt Cœlestinum II. (*h*). Hac igitur ratione a

 Pon-

(*a*) *Id. Stephan. Carth. ibid.*

(*b*) *Ambr. ep. 81. ad Siric. R. P.*

(*c*) *Conc. Chalced. Act. 3.*

(*d*) *V. Cyprian. l. 1. ep. 53.*

(*e*) *Athanas. Apolog. 2.*

(*f*) *V. Librum Diurn. Rom. Pont. ... a Garnerio, & Dissert. Papebroch. XVI. in Act. S. Gregor. II.*

(*h*) *V. Panvin. in Not. ad vitam. Innoc. II., Clement. III., & Alexand. III.*

Pontificiis comitiis exclufo clero, & populo Romano, electio in folos Cardinales translata eit, quibus in posterum conftitit. Nam electionis hujus jus uni Cardinalium conlegio inesse fanxit ad Sæculi XII. finem Alexander III. in Synodo Lateranenfi (*a*), quam habuit Anno MCLXXIX. Is autem primo decrevit *Cardinales tantum* Pontificem eligere, & eum legitime in Pontificem electum haberi, quem duæ partes Cardinalium elegerint (*b*). Huic fane edicto occafionem præbuit fchifma illud, quod adverfus eumdem Alexandrum obortum eft, quem *a viginti tribus Cardinalibus* legitime electum, nihilominus octodecim annorum fpatio tres Antipapæ a duobus, vel tribus Cardinalibus creati, divexarunt (*c*). Alexandri III. Decretum confirmavit Gregorius X. in generali Synodo Lugdunenfi, in cujus I. canone *Conclavis* regulæ, atque accurata electionis præcepta tradita funt.

Conclave itaque appellatur Cardinalium cœtus, quem habent in Pontificis electione, eodemque nomine venit locus ille, quo Cardinales electores conveniunt. Hi itaque decima die a Pontificis obitu conclave ingrediuntur ex Pii IV. Conftitutione.

Triplici autem methodo Cardinales utuntur in eligendo Pontifice, cum triplex fit electionis ratio. I. *Per fcrutinium*. II. *Per Compromiffum*. III. *Per infpirationem*. Prima fit cum de collegio *tres fide digni* eliguntur, qui *fecrete* vota fingulorum inquirant, eaque *in fcri ptis* redigant, ac ftatim *publicent*, quæ in jure dicitur *Publicatio confenfuum* (*d*), poft quam fi duæ

(*a*) C. I. (*b*) *Decret. l.* I. *tit.* 6. *c.* 6.

(*c*) *V. Felic. Conter. Hift. Concord. inter Alexand. III. & Frideric. I.*

(*d*) *Decret. l.* I. *tit. de elect. Poteft. c.* 48. *&* 58.

si duæ partes Cardinalium in unum, eumdemque eligendum consenserint, is Pontifex proclamatur. Secunda adhibetur, ne diutius protrahatur electio: Electores enim singulatim Sacramento spondent, se confirmaturos electionem, quam duo, vel tres alii inter ipsos selecti, facturi erunt, cum interea ipse *Compromissarius* eligi possit (*a*); cujus electionis in Ecclesiastica re luculentum nobis exhibet exemplum inter antiquos Sydonius Apollinaris (*b*). Tertia *per inspirationem* dicitur, cujusmodi ea est electio, quæ a cunctis electoribus, nullo discrepante, fit quasi divini Spiritus afflatu. Quamvis enim Pontificis Summi electio Spiritus S. ope semper fiat, hæc tamen postrema ita appellatur, cum a consueta vel *Scrutinii*, vel *Compromissi* recedat methodo, eaque per *adorationem* quandoque dicitur, cum duæ saltem Electorum partes unanimiter unum, eumdemque Pontificem salutant (*c*). Atque hæc de Pontificis Romani electione.

C A P. III.

De Clero Ecclesiæ Romanæ, sive de Cardinalibus.

§. I.

De Cardinalium origine.

Cardinales olim, ut diximus, appellabantur Presbyteri, & Diaconi, quandoque etiam Subdiaconi, qui alicujus Ecclesiæ Titulo addicti erant ipsa Ordinatione. Hinc in Romana Ecclesia Titulorum moderata

(*a*) *Id. c. 33. & c. 51.* (*b*) *L. 7. epist. 9.*
(*c*) *V. Boeti. Epon. De jure Sacro l. 1. de Regul.*

deratores *Cardinales* dicebantur (*a*), ex quibus Romanum constabat clerum. Ex his autem manifeste patet Romanæ Ecclesiæ *Cardinales* solos olim Diaconos, & Presbyteros fuisse, quorum opera Pontifex in Ecclesiarum Urbis regimine utebatur. Sæc.autem VIII., si Anastasio Bibliothecario (*b*) fides erit, Stephanus Rom.Pontifex hujus nominis IV. omnium primus septem Urbi viciniores Episcopos adhibuit Liturgicis obeundis mysteriis diebus festis in S. Petri Basilica; eosque *Cardinales* appellat laudatus Anastasius. Verum etsi Anastasio in ejusmodi re fides adhibenda sit, fallitur tamen ille dum hujusmodi Episcopos velut Cardinales Romanæ Ecclesiæ habet: Nobis autem probabilior videtur nostra hæc conjectura: Episcopos nimirum illos summopere optasse inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales adscribi, cum ex Cardinalibus de more Romanus Pontifex crearetur, verum præsumptum hoc jus Episcopis illis negavit Eugenius IV. Id autem liquet ex lege, quam Pontifex Eugenius sanxit in Concilio, quod Romæ habuit, qua vetitum fuit anathematis pœna, Episcopos inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales recensiri (*c*). Hinc ad Sæculi usque x. finem soli Presbyteri, & Diaconi Romanæ Ecclesiæ *Cardinales* fuerunt, quos *Proceres* cleri passim appellat idem Anastasius (*d*). Quapropter per ea tempora Cardinales Romanæ Ecclesiæ Episcopis inferiores erant, cum hi ipsos cardinales præcederent in Conciliis, quæ Romæ habita sunt (*e*).

Etsi

(*a*) *Greg. Magn. l.* 5. *ep.* 15. & *Iohan. Diacon in ejus vita l.* 3. *c.* 8. & 10.

(*b*) *In vit. Steph. IV.*

(*c*) *Conc. Roman. An.* 769. *ap. Holsten. in collect. Conc. Roman.* (*d*) *In Vit. Valentin. I.*, & *Serg.II.*

(*e*) *Conc. Rom. An.* 853. & *alio A.*983., *A.* 993., & *A.* 1015.

Etsi vero Episcopi septem illarum Ecclesiarum, quæ viciniores Urbi erant, inter Cardinales numerati non essent; ab VIII. tamen Saec. cum, ut dictum est, Liturgiæ una cum Pontifice operam darent, jam tum *Epicopi Romani* appellari cœperunt (*a*); ac tandem Saec. XI. *Episcopi Cardinales Ecclesiæ Lateranensis*, velut hi, qui in Lateranensi Ecclesia Sacris operam dabant (*b*). Quare Romani Pontifices sensim illis nonnulla privilegia, atque jura, quibus ceteris præirent Episcopis, Primatibus, & Patriarchis, contulerunt (*c*); quorum auctoritati potissimum præbuit incrementum lex Nicolai II. (*d*), qua sancitum est, illis summum jus esse ineundi suffragia in Romani Pontificis electione. Hinc ab XI. Saec. ultro crevit horum Episcoporum Cardinalium auctoritas in Romana Ecclesia, cum tandem ad metam pervenerit Saec. XII., in quo, ut dictum est, remotis populi, & Cleri Romani suffragiis; illis dumtaxat electio Pontificis credita fuit. Quamobrem exinde Pontificis *sacer Senatus* (*e*), & *Mundi Principes*, *ac judices Terræ* (*f*) appellari cœperunt; eosque a consiliis adhibuere Pontifices in rebus Ecclesiæ gerendis (*g*).

Hinc jure merito Cardinales primum post Ro-

(*a*) *Capit. Car. Magn. l.* 5. *c.* 34. *Vide epist. Othon. Imper. ad Johan. XII. Rom P. ap. Holsten. ibid.*

(*b*) *S. Petr. Damian. l.* 2. *ep.* 1. *ad Episc. Cardinal.*

(*c*) *Id. l.* 1. *ep.* 20.

(*d*) *In Conc. Roman. An.* 1059. *ap. Baron. hoc an. n.* 25.

(*e*) *V. Epist. Cardin. ad Innoc. II. ap. Otton. l.* 1. *de gest. Frid. c.* 17.

(*f*) *S. Bernard. epist.* 130.

(*g*) *Id. de consid. ad Eug. l.* 4., *Petr. Blesen. epist.* 165. *ad Hadrian. IV.*

Romanum Pontificem locum tenuere, ac perpetuo *prælationis* jure præ ceteris Episcopis potiti sunt. Quod primo factum est in Conc. Lugdunensi II. Anni MCCLXXIV., in quo ipsos Latinos Patriarchas præiverunt (*a*); ac tandem illud idem confirmavit peculiari *Bulla* Eugenius IV. Rom. Pontifex. Magni itaque in posterum merito habiti sunt Cardinales, velut *Apostolicum Collegium*, ad cujus consilium maxima Ecclesiæ negotia diriguntur (*b*).

§. II.

De Cardinalium, Titulis *& numero*.

Episcopi illi Cardinales, de quibus locuti sumus, olim septem Urbi viciniores Ecclesias, gubernabant, neque ad Sæc.usque XII. Cardinalibus Episcopis aliarum Ecclesiarum Episcopatus crediti sunt. Eo sane Saeculo sub Alexandro III. Romano Pontifice primum Cardinales Episcopi aliarum Ecclesiarum Episcopatus moderare (*c*), & Saec. XV. proprios *titulos* aliquando *permutare* cœperunt (*d*). Ceteri autem Cardinales ad Saec. usque XV. eo gaudebant *titulo*, quod Sacro, quo insigniti erant Ordine, congrueret. At exinde sub Sixto IV. Rom. Pontifice Diaconi Cardinales titulis Presbyterorum, Presbyteri Cardinales Diaconorum titu-

(*a*) *Ap. Rainald. An.* 1274. *n.* 3.

(*b*) *Vide definit. Acad. Pragen. An.* 1413. *Concil. t.* 12. *& Epistol. Frider. Imper. ad Cardinales ap. Matth. Parisium ad An.* 1239.

(*c*) *Vide Baron. ad An.* 1177. *n.*17.

(*d*) *Vide Ciaccon. in vit. Pontif. Romanor. Bonifac. IX., & Alexandr. V.*

tulis, Clerici Cardinales Diaconorum illis potiri cœpe-runt.

Cardinales XIV. Saeculo ne *vigesimum* excederent numerum statutum est in Consistorio Romæ habito sub Urbano VI. Huic equidem decreto occasionem præbuit Schisma, quo tunc laborabat Romana Ecclesia; quapropter merito Cardinalium numerus arctari cœpit, ut Schismatis extenuaretur occasio (*a*). At Saeculi XV. initio ultra jam creverant, quare ne numero majores XXIV. essent statuit Concilium Basileense (*b*). Stetit autem is numerus ad Saeculi XV. finem, & XVI. ineunte, ut patet ex illius ævi *Conclavibus* (*c*): sed antiquis alios septem adjecisse videtur Pontifex Leo X., quare XXXI. fuere. In *Conclavi* vero Anni MDXIV. triginta novem Cardinales numerantur. Tandem Anno MDLV. ad quadraginta illorum numerus crevit (*d*), ac eodem pacto paullatim ad septuagesimum numerum pervenerunt, mysticum Discipulorum Christi numerum imitati.

§. III.

De Cardinalium purpura, & galero.

Saeculo XIII. Cardinales *purpura* veluti proprio insigni exornatos fuisse nemo ambigit. Num vero illa uti cœperint Anno MCCXIII., an, quod probabilius aliquibus videtur, Anno MCCXLIV., quo in Concilio Lugdunensi VI. Cardinales eam adhibuerunt, disputatur inter historicos (*e*). At id unum animadvertendum

(*a*) *Ap. Rain. An.* 1376. *n.* 104.

(*b*) *An.* 1438. *Sess.* 23.

(*c*) *Ap. Rain. ad An.* 1492. *n.* 28., *A.* 1503. *n.* 5.

(*d*) *V. Bullam.* Compacti *An.* 1555.

(*e*) *V. Spondan. ad An.* 1244. *n.* 4. & *Raynald. ad An.* 1213. *n.* 6.

dum ducimus, purpureum pallium olim insigne fuisse Legatorum Romanæ Ecclesiæ; quamobrem cum post XII. Saec. passim legationibus Cardinales fungerentur, primo ea de caussa purpureo pallio uti cœperunt; quod forte velut eorum proprium tandem evasit.

Galero autem *rubro* Cardinales donasse fertur Innocentius IV. Rom. Pontif. Saec. XIV. (*a*). Galerum autem ad instar parvuli pilei erat omni pene orbe carens, eoque usi sunt Cardinales, ut illius ævi picturæ testantur, ad Saec. XV. finem; tunc quippe integro pileo rubro uti illos maluit Nicolaus II. Rom. Pontif., qui eos insignivit *Mithra serica Damasceni operis*, & *Capitia rubra*, quibus etiam tum *soli Romani Pontifices* in sacris peragendis usi erant, eisdem donavit (*b*). Eo autem rubro pileo soli Cardinales e Clero delecti utebantur ad Saeculi XVI. finem, cum Cardinales Monachi tum *habitu*, tum *pileo* illius coloris, quem proprius Ordo adhiberet, uterentur. At Gregorius XIV. tum purpura, tum pileo rubro etiam Cardinales Monachos donavit (*c*). Qui itaque Cardinalis renunciabatur Romæ veniebat, quo a Pontifice pileum rubrum recipiebat; quæ obtinuit politia usque ad Saec. XIV.. Anno quippe MCCCL. Clemens VI. omnium primus per tres Episcopos cuidam Episcopo, quem in Galliis Cardinalem creaverat, pileum misit, idque *contra antiquitatem per dispensationem* factum scripsit (*d*). De pleno autem Cardinalium jure, deque eorum privilegiis consule recentiores Canonistas.

CA-

(*a*) *C. de Antiqua. De Privileg.*
(*b*) *V. Cardin. Papien. comment. l.* 2.
(*c*) *V. Spond. ad. An.* 1591.*n.* 12.
(*d*) *V. Raimad An.* 1330., *& ad An.* 1316.*n.*29.

CAP. IV.

De Patriarchis.

Πατριαρχης *Patriarcha* olim dicebatur *primus alicujus familiæ auctor, unde alii descenderunt* (*a*). Quamobrem in Christiana Republica eo nomine donati sunt Episcopi illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolis institutæ veluti ceterarum matres fuerant. Hujusmodi olim tres erant Ecclesiæ, nimirum Romana, Alexandrina, & Antiochena, quibus mox accessit Hierosolymitana, ac postremo Constantinopolitana. Harum itaque Ecclesiarum Episcopi Πατριαρχαι appellati sunt.

Ad Saec. IV. usque horum jura eadem erant ac Metropolitanorum illa. Verum cum illa ætate lites quamplures obortæ essent, quibus dirimendis cum neque ipsa Provincialia Concilia satis essent, suprema quædam jura vetustissimarum Ecclesiarum Episcopis tradita sunt, quorum potestatis jam tum fuit de Majoribus caussis cognoscere, Metropolitanos ordinare, eorum caussas judicare, eo, quo fruebantur, jure concilia Nationalia convocare. Quibus tandem a Metropolitani sententia appellatum est (*b*).

§. I.

De Patriarcha Romano.

Romanæ Ecclesiæ summus Antistes præter omnium Ecclesiarum *Primatum*, quo Divino jure potitur, Patriar-

(*a*) *Suid. in Lex. in hac v.*

(*b*) *V. Justin. Novell.* 123. *c.* 10. 22., *& Jus Orient. Leunclavii passim.*

triarchæ nomine, & jure ab antiquissimis temporibus insignitus est (*a*). Cum *Romanæ Ecclesiæ totam doctrinam Apostoli cum sanguine profundissent* (*b*), eaque supra ceteras totius Orbis Ecclesias velut αρχαιοτατη Εκκλησια merito haberetur (*c*).

Verum duplici modo Romanus Antistes Patriarcha appellatus videtur, vel ob jura Patriarchalia, quibus fungebatur *ordinaria potestate* in sui Patriarchatus Ecclesiis; vel ob Primatum jurisdictionis, quo utebatur in ceteros etiam Orientis Patriarchas. Saec. IV. Romanus Pontifex in Synodo Nicæna I. habetur ut Patriarcha, & ejus jurisdictionis Ecclesiæ *suburbicariæ* a Rufino appellantur, quæ sane versio maximæ litis occasionem præbuit, eo ut incerti adhuc sint limites, quibus olim Romanus continebatur Patriarchatus. Probabilior tamen iis, qui nullo partium studio pelliciuntur, visa est Jacobi Sirmondi sententia, *Suburbicarias* nimirum Ecclesias decem iis regionibus constare, quæ Vicario Urbis parebant, cujusmodi fuere Picenum suburbicarium, Tuscia, & Umbria, Campania, Apulia, Calabria, Brutii, Lucania, Samnium, Valeria, Sardinia, Sicilia, & Corsica (*d*).

At Patriarchale jus illud, quo Romanus Pontifex præditus est ab Ecclesiæ initio, ad illius pertinuit Primatum. Nam ipsimet Orientales Patriarchæ ei appellarunt in omnibus ferme magni momenti caussis. Ejus enim supremum judicium adiit Saec. III. Patriarha Alexandrinus (*e*). Saec. IV. Athanasius ejusdem

(*a*) *V. cap. de Rom. Pontif.*

(*b*) *Tertull. de Præscr. c.* 35.

(*c*) *Origen. ap. Euseb. Hist. Eccl. l. 6. c.* 44.

(*d*) *V. Sirm. censur. conject. Anon. de Suburb. Region. edit. Paris. in* 8. *An.* 1618.

(*e*) *In Conc. Roman. sub Dionys. Rom. Pontif. A.* 263.

dem Sedis Patriarcha, cujus accusatores Romæ in jus vocavit Pontifex, *Ecclesiæ legem secutus* (*a*). Eodem Saeculo illud idem fecit Chrysostomus CPolitanæ Ecclesiæ Antistes (*b*), qui Romæ appellavit a Patriarchæ Alexandrini judicio (*c*). Ita Romanus Pontifex merito velut Patriarcharum Patriarcha semper, ubique, ab omnibus habitus est.

§. II.

De Patriarcha Antiocheno.

Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus Patriarchæ nomine, juribusque decoratus fuit, tum quia illa *prima Primi Apostoli Sedes fuerit* (*d*), tum etiam cum fuerit totius Orientis Metropolis (*e*). Sub ditione autem Antiocheni Patriarchæ erant quindecim Provinciæ Orientis (*f*), cujus nomine totius Orientis Provinciæ minime designantur, sed quindecim illæ, quibus *Diæcesis Orientis* constabat ex Imperii divisione sub Vespasiano (*g*). Hujusmodi limitibus definitus est Antiochenus Patriarchatus ad Saec. usque x., in quo Saraceni Syria potiti sunt. At cum Saec. XII, a Gallis Antiochia Saraceno liberata fuisset imperio, Latinus Patriarcha in Antiochena sede obtinuit usque ad Saec. XIII., in quo, Anno nimirum MCCLXVIII, Egypti Soldanus An-

(*a*) *Theodoret. Hist. Eccles. l.* 1. *c.* 4., *Socrat. Hist. Eccl. l.* 1. *c.* 11.
(*b*) *Sozom. Hist. Eccles. l.* 8. *c.* 28.
(*c*) *Pallad. in ejus vita*.
(*d*) *Euseb. in Chron. ad An.* 39. *Aer. Christ.*
(*e*) *Id. de vit. Constant. l.* 3. *c.* 50.
(*f*) *Conc. Ephesin. Act.* 1. *ep.* 2.
(*g*) *V. Petr. de Marca de Concord. &c. l.* 1. *c.* 4. *n.* 3.

Antiochenam Urbem demolitus eſt. Noſtra autem ætate duo ſunt Antiocheni Patriarchæ, quorum unus Syris, alter Maronitis præeſt, ille Hierapoli, vulgo *Aleppo*, hic in monaſterio quodam, quod vulgo *Cannubin* dicitur (*a*), commoratur.

§. III.

De Patriarcha Alexandrino.

Alexandrinæ Eccleſiæ conditor Marcus fuit, Petri diſcipulus (*b*), quapropter *Sedes Evangelica* appellatur (*c*). Hujus Eccleſiæ Antiſtes Patriarchica exercuit jura non ſolum in Ægypto, ſed & in Pentapoli, Lybia, atque Armerica regione. A I. ad VII. Saec. Catholici Patriachæ Alexandrinam gubernarunt Eccleſiam. Nam Saec. VII. ineunte, cum Saraceni Ægypto potiti ſunt, Sectæ Jacobitarum Patriarchæ Alexandrinam ſedem uſurparunt, & a Romanæ Eccleſiæ communione diſceſſerunt. Quod etſi Saec. tandem XVI. Alexandrinus Patriarcha Gabriel primatum agnovit Rom. Pontificis, unio attamen iſthæc diuturna minime fuit (*d*). Adhuc itaque e Jacobitis Patriarcha Alexandrinus eſt, & in Cairo ſuam habet ſedem (*e*).

§.IV.

(*a*) *Vid. Relation. du P. Nav mois de Septembre.*
(*b*) *Hierony. de ſcript. Eccleſ. in Marco.*
(*c*) *S. Leo. R. P. I. ep.* 85. *ad Dioſcor.*
(*d*) *V. Bolland. Hiſt. Patriarch. Alex. to. V. Junii.*
(*e*) *Vide Chitreum in Orient. Deſcript.*

§. IV.

De Patriarcha Hierosolymitano.

Inter eas Ecclesias, quæ ab Apostolis fundatæ sunt, merito recensenda etiam est Hierosolymitana, cujus primus Episcopus fuit Jacobus Alphei, cognomine *Justus*; ideo *Apostolica Sedes* appellata (*a*). Ejus Jurisdictionis fuere tres Palestinæ, atque Syria, cum non tantum ob Diœcesis extensionem, sed propter Civitatis, in qua præerat, dignitatem (cum eo præcipua Relligionis mysteria peracta fuerint) inter *Patriarchas* Hierosolymitanus Episcopus relatus sit Saec. IV. a Concilii Nicæni I. Patribus (*b*): qui nihilominus sarta tecta servarunt antiqua jura Metropolitæ Cæsariensi, cui antea subjacebat Hierosolymitanus Antistes. Hierosolymitanorum Patriarcharum series reliqua nobis est ad Saec. usque VII., in quo capta est a Saracenis Hierosolyma. Verum Saec. XI. a Latinis recuperata, Latinos habuit Patriarchas ad Saec. usque XIV. (*c*). Græci Hierosolymitanum adhuc habent Patriarcham, qui Hierosolymis degeт. Is autem etsi in totam Palestinam, Syriam, Arabiam suam patere ditionem confidat, Armeni nihilominus, Syriani, Nestoriani, Abyssini, Georgiani, & Cophti ab illius se subtraxere jurisdictione (*d*).

(*a*) *Euseb. Hist. Eccl. l.* 7. *c. ult.* (*b*) C. 7.
(*c*) *V. Michael. Le Quien. in Oriente Christ. t.* 2. *l.* 3.
(*d*) *V. Davity Hist., e Relat. de l'Asie*.

§. V.

De Patriarcha Constantinopolitano.

Byzantii Episcopus ad IV. usque Saec. Metropolitani Heracleae in Thracia jurisdictioni subjectus fuerat. At postquam Constantinus Christianorum Imperatorum primus Byzantio Imperii fixit sedem, magnis in dies honoribus cumulari cœpit Imperatoriæ hujus Urbis Episcopus, cui Saec. IV. primus locus post Romanum Pontificem detulerunt Concilii Œcumenici CPolitani I. Patres (*a*). Verum V. Saec. illius jurisdictionem ampliarunt Patres Concilii Chalcedonensis (*b*), atque ejus jurisdictioni adjudicarunt Patriarchica jura in Provincias Asiæ, Ponti, & Thraciæ, ita ut sexaginta quinque Metropoles, septigentos Episcopatus ejus jurisdictionis enumerarit Nilus Doxopatres (*c*). Hinc Saec. VI. universe Patriarchæ nomine obtinuit (*d*). Tandem Saec. VII. fastigium operi imposuit Heraclius Imperator, cum Patriarchæ CPolitano supremum jus etiam in civilibus Clericorum, Monachorum, atque Episcoporum caussis tradiderit (*e*). Quamobrem CPolitanus Patriarcha *τυ Οικυμενικυ Generalis* titulum usurpavit, quo *ως τιμης honoris* gratia usi sunt ceteri Patriarchæ usque ad Saec. VI., in quo Johannes Jejunator CPolitanus Patriarcha Œcumenici titulo innixus in alios Orientis Patriarchas jus dicere ausus est; qua de re merito S. Gregorius I. Romanus Pontifex Œcume-

(*a*) C. 3. *A.* 381. (*b*) *Act. I. A.* 451.
(*c*) *Ap. Allat. de Consens. Orient., & Occid. Eccl.*
(*d*) *S. Greg. Magn. l. 1. ep.* 5. 54.
(*e*) *V. Heracl. Novell. Sergio inscript. ap. Justellii veter. Jur. canon. Bibl. t.* 2.

menici titulum improbavit, eumque reprehensus est. At nihilominus eo usi sunt titulo CPolitani Patriarchæ ad Saec. usque VII. (*f*). Constantinopoli autem cum XIII. ineunte Saec. potiti sint Latini, Venetis, ex inito eos inter atque Francos fœdere, CPolitanus Patriarchatus obtigit, ab Anno scilicet MCCIV. ad An. MCCLXI., quo Michael Palæologus Latinos CPoli ejecit, eoque rursus Græcos restituit Patriarchas, qui etiam post captam Saec. XV. a Turcis Constantinopolim ad nostram usque ætatem in eo perseverant Patriarchatu (*b*).

Hinc hodie dum CPoli commoratur Græcus Patriarcha, qui vulgo *Haab* appellatur. Ejus jurisdictio versatur in Asia minore, Insulis Ægei maris, Thracia, Græcia, Valachia, Circassia, atque olim etiam Moscovia, quo proprius tandem obtinuit Patriarcha sub Basilidis ducis regno. Ejus autem electio *simoniaca* omnino est, cum quisque ceterorum Episcoporum vota prætio comparata Imperatori offerat, a quo is, qui ultra ceteros sumptu prodiit, eligitur (*c*).

§. VI.

De Occidentalibus Patriarchis.

Præter Romanum Pontificem, qui tum jure, tum κατ' ἐξοχὴν Occidentis Patriarcha appellatus est, alii medio ævo in Occidente obtinuerunt Patriarchæ, quibus honoris magis, quam jurisdictionis ergo nomen illud fuit: cui sane nomini in Italia occasionem præbuerunt Gotthorum, & Langobardorum Reges, qui in epistolis,

(*a*) *Conc. Roman. sub Martino I. R. P. Act.* 18.
(*b*) *Vide le Quien. ib.*
(*c*) *V. Renaudot. la perp. de la Foi t.* 3.

ftolis, quas Metropolitanis fcribebant, illos *Patriarchas* appellarunt (*a*). Hinc initio unus tantum Patriarchico quodammodo jure potitus eft in Occidente, Aquilejæ nimirum Epifcopus, qui Patriarchali præditus eft dignitate, poftquam everfo Sirmio, Aquileja Illyrici Occidentalis caput evafit; quapropter Aquilejenfis Epifcopus Patriarchæ titulum ufurpavit (*b*). At VI. Sæc. cum Aquilejenfis Epifcopus trium Capitulorum fchifma foveret, alter creatus eft Patriarcha, Gradenfis nimirum Epifcopus, qui Romanæ adhærebat communioni (*c*), cui in ipfa etiam CPolitana, aliifque Orientalibus Ecclefiis quædam elargitus eft jura Rom. Pontifex Eugenius IV. Sæc. XII., ac tandem Sæc. XV. Epifcopo Venetiarum Gradenfis Patriarchatus acceffit (*d*). Verum cum Aquilejenfis Epifcopus fchifma ejuraffet, Sæc. VIII. ineunte a Gregorio II. Rom. Pontifice Patriarchica jura in omnem Langobardorum ditionem ei reftituta funt (*e*). Hic Utino fuam habet fedem; Ille Venetiis. Primi jurifdictio in Forum Julii, Iftriam, aliasque Provincias extenditur. Alterius in Venetarum ditionem, & in Dalmatiam, Candiam aliafque Infulas.

In Germania Byturigenfis Epifcopus Sæc. IX. Patriarchæ nomine, ac jurifdictione donatus eft a Rom. Pontifice Nicolao I., cum Byturiges totius Regni Aquitaniæ Metropolis evafiffet fub Carolo Magno (*f*). Ceterum, ne longus fim, brevi dicam in Galliis (*a*).

(*a*) *V. Epift. Athalici ad Johan. Pap.*
(*b*) *Ex Paulo Diac. Aquil. De Geft. Longobard. l.* 3. *c.* 8.
(*c*) *Id. ib. l.* 4. *c.* 20.
(*d*) *V. Ughell. Ital. facr. t.* 5.
(*e*) *V. Caffiod. Sen. epift.* 18.
(*f*) *V. Epift. Nicol. I. Concilior. Gall. t.* 3.

Patriarchæ nomen honoris gratia Metropolitas medio ævo tulisse (*a*); uti aliqando in Italia Forojuliensis Episcopus (*b*). Nulla enim hi Patriarchica jura habuerunt (*c*).

C A P. V.

De Exarchis & Primatibus.

§. I.

De Exarchis Orientalibus.

Ἔξαρχοι *Præsules* a Græcis, *Primates* a Latinis dicebantur Episcopi, qui etsi Patriarchis inferiores essent, Metropolitis ὑπερτιμίοις præstabant. Horum tres erant in Oriente, nimirum Episcopus Ephesinus, Heracliensis, & Cæsariensis. Illarum etenim Civitatum splendorem secuta, tribus hisce Episcopis Exarchatus honorem Ecclesia tribuit, cum in his tribus Provinciis Sedem habuissent Præfecti Imperatorii. Ephesino itaque Exarchæ Diœcesis Asiæ, Heracleensi Thraciæ, Cæsariensi Ponti parebant. Exarcharum sane jurisdictio in omnes erat Diœcesis Metropolitanos, quos ordinabant (*d*). Illis quoque appellabatur a Metropolitanorum judicio, eorumque sententia definitæ erant, quæ Episcopos inter, & Metropolitanos oriebantur lites (*e*). Quapropter primi in Concili-

 posti

(*a*) *Conc. Matisc. II. A.* 585. *& Greg. Turon Hist. l.* 5. *c.* 20.

(*b*) *V. Walfr. Strab. De Reb. Eccl. c.* 25.

(*c*) *V. Epist. Leon. IX. ap. Rainald. A.* 1246. *n.* 40.

(*d*) *V. Epistolas Siricii, & Damasi ap. Holsten.. Collect. Rom. &c.*

(*e*) *Conc. Chalced. c.* 17.

post Patriarchas sedebant. At parum diu tres hi Exarchi eo potiti sunt jure, nam illud v. Saec. Constantinopolitano cessit Patriarchæ in Conc. Chalcedonensi, iisque Exarchæ nomen honoris gratia reliquum fuit.

Thessalonicensis Episcopus Exarchatus honore, ac jurisdictione insignitus est Damaso Rom. Pontifice. Cum enim Thessalonica Illyrici Orientalis caput esset ex Imperii divisione a Constantino facta, quo præfectus Prætorii Illyrici sedem habebat; merito illius Civitatis Episcopus Exarchatus dignitate decoratus est. Hinc cum olim etiam Orientale Illyricum Occidentali pareret Imperio, Thessalonicensis Exarcha Romano Pontifici, velut Patriarchæ parebat (*a*). Verum sensim arctari cœpit ejus jurisdictio sub Justiniano, ac tandem immutata Imperii divisione sub Leone Isaurico, intra solos Macedoniæ limites illius jurisdictio coercita est. Verum cum XI. Saeculo Constantinopolim, aliasque Orientis Urbes Latini cœpissent, iterum Episcopo Thessalonicensi antiqua jura restituta sunt, quæ tandem una cum Exarchatu evanuere dilapso Orientali Latinorum Imperio (*b*).

Exarchatus honore itidem præditus erat Episcopus Metropolitanus Cypri, qui Patriarchæ Antiocheno obnoxius non erat, cujus jura confirmavit contra illius Patriarchæ conatus Synodus Ephesina Saec. v. (*c*). Hinc Graeci Exarchum Cypri, & Bulgariæ Archiepiscopum, qui a Costantinopolitani Patriarchæ jurisdictione *exemptus erat*, Αυτοκεφαλυς appellarunt (*d*).

§. II.

(*a*) *Inn. I. ep. 9., Bonifac. I. ep. ad Ruf. Episc. Thessal., Leo I. ep. ad Synod. Chaled.*

(*b*) *Innoc. III. ep. 18. Regist. XV.*

(*c*) *Act. V. c. 8.*

(*d*) *Balsam de Privil. Patriarch. ap. Meurs. in Glossar. in h. voce.*

§. II.

De Primatibus Latinis, sive Occidentalibus.

In Africa primum hujus dignitatis nomen invenitur; Eo enim cum olim Carthago veluti totius Provinciæ Metropolis esset (*a*), uni forte illius Urbis Episcopo summum Primatus jus erat (*b*); at postquam a Constantino in sex Provincias Africa divisa est, Carthaginensis Episcopus æque ac ceteri Afri Episcopi principum Civitatum Metropolitano tantum jure potiti sunt. Verum eos inter unus *Primatis* nomine, & jurisdictione gaudebat, non civilis divisionis ratione, sed ætate: Metropolitarum quippe senior *Primas* erat, ac supra ceteros Metropolitanos propriam exercebat jurisdictionem (*c*).

Primates etiam in Hispania, atque Galliis appellati sunt Episcopi, qui Pontificis Romani legatione fungebantur (*d*). Hinc eam ob caussam Episcopi Hispalensis, & Tarraconensis in Hispania, Arelatensis, & Viennensis in Gallia *Primatum* nomen usurparunt (*e*).

Moguntinus Episcopus in Germania *Primatus* nomine donavit Saec. VIII. Zacharias Rom. Pontifex (*f*). Londinensis Episcopus, & Cantuariensis *Primates* in Anglia fuerunt (*g*).

 Tan-

(*a*) *Cypri. ep. ad Quirin.*
(*b*) *V. Conc. Carth. An.346., & Cypr. ep. 54.*
(*c*) *V. Petri de Marta Dissert. de Primat.*
(*d*) *Isid. Hisp. Chron. l. 2.*
(*e*) *Simplic. Rom. Pont. ep. 1., Hormisdæ ep. 24., Conc. Suessionen.*
(*f*) *Marian. Hist. l. 3.*
(*g*) *Beda Hist. Angl. l. 1. c. 33.*

Tandem in Italia *Primatus* honore decoravit Pisanum Episcopum Alexander III. Saec. XII.

C A P. VI.

De Metropolitis, sive Archiepiscopis.

Μητροπολιται, vel *Archiepiscopi* appellati sunt a primis Ecclesiae Saeculis Antistites primarum Urbium, de quibus cap. I. locuti sumus. Hi sane ob antiquum, & civile Urbis decus, vel ob Apostolicam Ecclesiæ, quam gubernabant, originem, in Episcopos Provinciæ quamdam exercebant jurisdictionem, eisque honos a comprovincialibus Episcopis, ut πρωτοις, ως κηφαλοις habebatur (*a*).

§. I.

De Metropolitanorum jurisdictione.

Eorum jura eo revolvebantur, ut de caussis Episcoporum Provinciæ judicarent (*b*). Concilia Provincialia convocarent, iisque præessent (*c*). Literas *communicatorias* clericis darent, uti & epistolas *testimoniales* Episcopis, & Clericis, qui Imperatorem (*d*), vel Romanum Pontificem (*e*) adirent. Supremum jus dicerent in caussis appellationis (*f*). Episcoporum Pro-

(*a*) *Canon. Apost.* 35., *Const. Apost. l. c.* 4., *Synod. Laodic. c.* 12., & *Nicæn. I. c.* 4

(*b*) *Basil. ep.* 77. (*c*) *Conc. Antioch. c.* 14.

(*d*) *Conc. Antioch. c.* 1., & *Sardic. c.* 9.

(*e*) *V. Zosimi Rom. P. epist.* 5. *ad Episc. Gall.*

(*f*) *Conc. Sardic. c.* 14.

Provincialium Electionem confirmarent (*a*). Ecclesias totius Provinciæ visitarent (*b*). Neque demum alicujus momenti negotia in tota provincia peragenda erant nisi Metropolitani consilio (*c*). In Occidente vero post VIII. Saec. ab illis appellatum est vel ad Concilium Provinciale (*d*), vel ad Regem (*e*). Cum Episcopi Provincialis Concilii in Metropolitanum animadvartere queant præsertim a x. Saec. (*f*). Tandem Decretalium jure Metropolitanus jus habet subjciendi electum Episcopum *examini*, eumque confirmandi (*g*). Antiqua eorum jura novissime confirmavit Tridentinum Concilium (*h*), ac præterea jus illis fecit in Monasteria nullius Diœcesis (*i*), & *in abusibus emendandis* ceterorum Provinciæ Monasteriorum (*k*), ac tandem in Ecclesiis Provinciæ Pastore orbatis Vicarios mittere, pigrescente Capitulo (*l*). Hæc igitur sunt Metropolitanorum jura.

§. II.

De Metropolitanorum Insigne, sive Pallio.

Pallium est Metropolitanorum Insigne, quod a Græcis

(*a*) *V. C. de Elect. Episc.*
(*b*) *Syn. Taurin. c.* 2.
(*c*) *Conc. Antioch. c.* 9., *Leo I.R.P. ep. ad Episc. Thessal.* (*d*) *Conc. Mogunt. c.* 22.
(*e*) *Conc. Francoford. c.* 6.
(*f*) *Conc. Basil. Sess.* XV.
(*g*) *C. si Archidiac. De Temp. Ordina.*
(*h*) *Sess.* 23. *c.* 1. *c.* 18., *Sess.* 25. *c. ult.*
(*i*) *Sess.* 29. *c.* 18. (*k*) *Sess.* 25. *c.* 8.
(*l*) *Sess.* 24. *c.* 16.

Eis Ἱερα στολὴ (a), vel ὠμοφόριον (b) nuncupatur. Illud autem Imperatoris, tamquam Pontificis Maximi, insigne fuisse inter Paganos, testatur Nanzianzenus (c), qui a Constantino Magno Hierosolymitano Episcopo primum donatum fuisse refert. Verum quicquid sit de Nanzianzeni sententia, Pallii origo antiquior nobis videtur, si illius nomine lanea quædam vestis veniat, quibus humera tegebantur, ab Episcopis adhibita (d). Ea enim veste, que ὠμοφόριον proprie dicebatur, usum esse S. Marcum Evangelistam Alexandrinæ Ecclesiæ primum Antistitem, testatur Liberatus, qui illam Alexandriæ servari, eaque novos uti Episcopos scribit (e). Hinc vetustiores picturæ ejusmodi pallii figuram exhibent, cappæ scilicet tum ante, tum retro clausæ, quæ ab humeris ad talos promittebatur, qualis a Iohanne Diacono nobis describitur ex *antiquis musivis & picturis, nullis acubus perforatam, & circa scapulas devolutam* (f). Mox imminui cœpit, communi antiquarum vestium fato, ac tandem extrema lora antiqui illius Pallii integræ vestis nomen retinuere. Unum vero animadvertendum erit a x. scilicet Saec. totum Pallium in loris constare cœpisse, cum Otho I. Imperator *cubitum unum Pallii* honoris gratia miserit Archiepiscopo Coloniensi Heroberto, ut ejus vitæ scriptor testatur (g). Forte ex quo Pallium vel ab Imperatore, vel a Patriarchis mitti cœpit honoris ergo Episcopis, in lo-

(a) *Theodoret. Hist. Eccl. l. 2. c. 27.*
(b) *Ap. Phot. Cod.* 256.
(c) *Orat.* 47. *de Theodoro Marty.*
(d) *V. Isid. Pelusiot. l. 1. ep.* 136.
(e) *Breviar. c.* 20.
(f) *In Vita S. Greg. Magn. l.* 4. *c.* 84.
(g) *Ap. Sur. c.* 7. *die* 16. *Martii.*

in loras contractum est, quasi hi proprii pallii segmentum illis mitterent. Crucis græcas figuras Pallio affigebant jam Saec. VIII. (a), quare ipsum Pallium πολυσταυρίων deinde appellari cœpit ob multas cruces purpurei coloris Pallii loris consutas (b). Pallium itaque olim cunctis commune erat Episcopis (c), qui eo tamquam communi veste utebantur. Magni vero erat honoris argumentum illud ab Imperatore, vel Patriarcha recipere, qui eo nonnisi primarum Urbium Antistites donabant; quare tandem paullatim Metropolitanorum peculiare insigne factum est.

Hinc Patriarchæ Orientales solis Metropolitanis pallium dabant Saec. IX. (d) ex Imperatoris consensu tum in Oriente (e), tum, & quidem antiquitus, in Occidente (f), quo Episcopi Metropolitani illud a Romano Pontifice recipiebant (g), a quo ipsos Orientales Patriarchas Pallium recipere sancitum est Saec. XIII. (h). Hinc Saec. XI. jam usus invaluerat inter Occidentales, ut Metropolitani Romam peterent ad Pal-

(a) *Ex Germ. Patriarch. CPolit. in Theor. Rer. Eccles. c.* 10.

(b) *Ap. Balsam. Jur. Orient. t.* 1., *& Rab. Maur. l. de Ord. Antiph.*

(c) *Vid. Isidor. de off. Eccl. l.* 1. *c.* 4., *German. Patr. ib.*

(d) *Vid. Conc. Œcumenic. VIII. c.* 7.

(e) *Vid. Liberat. Brev. c.* 21., *Greg. Magn. l.* 1. *ep.* 27.

(f) *Vid. Vigilj Rom. Pon. ep.* 2. *ad Auxant.*, *Pelag. I. ep.* 6., *&* 7. *ad Episc. Arelatens.*, *Greg. Magn. l.* 4. *ep.* 50. 53. *& l.* 7. *ep.* 5.

(g) *Vid. Vigil. Pelag.*, *& Greg. laud. epist.*, *& Bonifac. V. ep.* 105.

(h) *In Conc. Later. IV. A.* 1215.

Pallium recipiendum (*a*). Quem morem *antiquæ traditionis usum* appellavit Petrus Damiani Saec. XI. (*b*). Quapropter eodem Saec. XI. *ex communi usu, & ubique recepto* Episcopis Metropolitanis a propriæ jurisdictionis *exercitio* abstinendum erat, antequam Pallium a Pontifice Romano reciperent (*c*).

§. III.

De Cruce gestatoria, altero Archiepiscoporum insigne.

Cum olim Episcopi *supplicationum* caussa civitatis plateas circumirent, cumque in his *supplicationibus* crux gestaretur, veluti Christianæ Religionis vexillum (*d*), hinc forte usus invaluit, crucem ante Episcopos gestandi (*e*). Verum ante XII. Saec. etsi principibus Episcopis Crux anteferretur, uti Romano præsertim Pontifici (*f*), non adhuc tamen *de jure* Metropolitarum proprium insigne illud erat, quo vel pauci eos inter XI. Saec. utebantur (*g*). Saec. sane XII. in Lateranensi Concilio IV. Patriarchis primo jus illud *Crucem ante se gestandi* indulxit Romanus Pon-

(*a*) *V. vit. S. Elphegi Archiep. Cantuar. ap. Sur.* 19. *April.*

(*b*) *L.* 1. *epist.* 47. *ad Agnet. Imperatr.*

(*c*) *Nicol. R. P. ep. ad quæsita Bulg. An.* 1070.

(*d*) *Sozom. Hist. Eccles. l.* 8. *c.* 8., *Justinia. Nov.* 123.

(*e*) *Beda Hist. Angl. l.* 1. *c.* 25., *Anast. Bibl. in Hadria. I.*, *& Leo. IV.*

(*f*) *V. Bar. An.* 1012. *n.* 6., *An.* 1085. *n.* 5., *& Petr. Damian. l.* 1. *ep.* 95.

(*g*) *V. Petri Adami Hist. ap. Baron. An.* 1050. *num.* 4.

Pontifex, in iis attamen locis, ubi neque Apostolicæ Sedis Legati (*a*), nec Cardinales præsentes forent (*b*). Omnibus tandem Archiepiscopis idem jus detulit Saec. XIII. Gregorius IX., quo eos etiam iter facientes per *loca exemta* uti posse decrevit Clemens V. (*c*).

Græcos inter Metropolitas nonnulli eo utuntur honore, ac serius hæc consuetudo apud illos obtinuit (*d*). Patriarchæ vero in Oriente peculiare habebant insigne, cujusmodi est λαμπαδοῦχον (*e*) *candelabrum*, quod ante illos accensum gestabatur, quo insigne ab Imperatore, cujus proprium etiam inter Romanos erat, donati fuerunt (*f*).

C A P. VII.

De Apostolicæ Sedis Legatis.

CUm, ut diximus, Romanus Pontifex Primatus jurisdictione cuntis facile præstet Episcopis, ab primis Ecclesiæ Saeculis illi undique delata sunt judicia, eique tamquam supremo Ecclesiæ Judici appellatum est. Hinc sæpe, ut delatæ caussæ certior fieret, suos Ecclesiis mittere consuevit *legatos*; et ne judicia nimium protraherentur, illis vicariam supremi, quo ipse potitur, juris potestatem detulit. Hinc plerumque in magni momenti caussis definiendis tum in fidei negotiis (*g*) tum in *disciplinæ* articulis

(*a*) *C. Antiqua. Extrav. de pur. canon.*
(*b*) *Greg. XI. Constit.*
(*c*) *In Clem. Decret.* Archiepiscopo.
(*d*) *V. Feuret. Des Abus l.3.c.2.*
(*e*) *Pachimer, l.2.c.* 15.
(*f*) *Balsam. Jur. Orient. l.* 7.
(*g*) *August.* 157., *Leon. I. Rom. P. ep.* 56., *V. Petr. de Marca Concord. &c. l.5.c.15.*

lis vel inspiciendis, vel reformandis (*a*), vel in appellationibus Episcoporum a Provinciali Concilio discutiendis (*b*), vel ad præsidendum Œcumenicis Conciliis (*c*), *suo de latere Presbyteros* (*d*) miserunt Romani Pontifices. Quapropter illis primus honos, ac locus ubique gentium, ac potissimum in Conciliis delatus est (*e*), & Crucem ante se ubique locorum gestarunt (*f*). Verum post XI. Saeculum cum ob perditos Episcoporum mores, ac plane remissam Ecclesiæ disciplinam, frequentiores forent legationes, sensim Legati summa illa abuti cœperunt auctoritate (*g*); quapropter nonnisi Rege flagitante, ac consentiente a R. Pontifice missi sunt (*h*), eorumque jura undique imminuta fuere.

Aliud autem fuit Legatorum Romanæ Sedis genus, quos Græci Αποκρισιαρίυς, vel αποκρισιαρίυς appellarunt, quasi *Defensores*, a græca voce mihi videtur αποκρισις, quæ *purgationem* ab imputatis criminibus significat apud Suidam (*i*). Hi sane erant veluti Ecclesiæ Patroni apud Imperatorem, qui Romani Pontificis *personam* penes illum *exprimebant*, *atque gerebant*

(*a*) *Leon. I. Rom. P. ep.* 87.

(*b*) *Conc. Sardic. c.* 6.

(*c*) *Vide Acta Concilior. Œcumen. Orient.*, & *Nicol. Rom. Pontif. ep.* 29.

(*c*) *Conc. Sardic. ibid.*

(*d*) *Leon. I. Rom. Pont. ep.* 71., & 93., *Vide Præfat. Conc. Bracharen.*

(*e*) *Vide Baron. ad An.* 1050.

(*f*) *S. Bernard. ep.* 290. & *de Consid. ad Eug. Rom. P. l.* 4., *Iuo Carnot. ep.* 53., & *Baron. A.* 1100. *n.* 15.

(*h*) *Greg. VII. Rom. P. l.* 4. *ep.* 22., *Alex. III. Rom. P. ep.* 20.

(*i*) *In voce* αποκρισις.

rebant (*a*). Hinc a VI. Saeculo Rom. Pontif. propriam habuit Apocrisarium Constantinopoli, qui in ipsius Imperatoris *Palatio* habitabat (*b*). Quod equidem ad Saec. VIII. usque factum est, in quo translato in Occidente Imperio, Rom. Pontifex Apocrisarios Constantinopoli mittere desiit (*c*)

APPENDIX I.

Qua aetate Sacri Ordines conlati.

TRibus primis Ecclesiae Saeculis nullam Ecclesia secuta est legem in eorum, qui Sacris ordinibus initiandi erant, aetate: at IV. Saec. canones ea de re condidit. Antiquiora autem statuta Siricii Rom. Pontificis illa videntur, qui quidem sanxit, ut qui inter Ecclesiae ministros referri vellet ante pubertatis annos *lectorum ministerio sociari deberet*, in quo gradu postquam ad trigesimum usque aetatis annum pervenerat, Diaconatu, ac post quinquennium Presbyteratu initiaretur (*d*). Quare decrevit nefas esse Ecclesiae ministerio se se mancipare illis, qui eo, quo baptizati fuerant tempore *Lectorum vel Exorcistarum numero sociati* non fuerant (*e*). Hinc cum parentes puerum Ecclesiae devovere decreverant, Episcopum, qui puero Baptismum ministrabat, eorum propositi certiorem faciebant, isque *exleges* infantuli *pilos* statim post Baptismum detondebat (*f*). Cum autem pueri minoribus

(*a*) *Synod. Œcum. VI. Act.* 18.
(*b*) *Leon. I. R. P. epist.* 57. 58., & 78.
(*c*) *Vid. Baron. An.* 743. *n.* 30.
(*d*) *Siric. ep.* 1. *c.* 9. (*e*) *Id. ib.*
(*f*) *Vide vit. S. Euthym. Abb. ap. Sur. die* 20. *Jan.*

ribus ordinibus insigniti ad pubertatis annos pervenerant, Episcopus eos *cogebat*, *aut uxorem ducere*, *aut continentiam profiteri* (*a*). Hæc ftetit disciplina ad VI. usque Saec., in quo etsi plerumque *a primis infantiæ annis* Lectores fierent (*b*); anno tamen XVIII. de continentia illos percotabatur Episcopus (*c*), & anno XXV. Diaconatu, XXX. Presbyteratu donati erant (*d*). Hinc post VIII. Saec. eadem pene fuit disciplina, si in Oriente duo excipies, Leonis nimirum, & Constantini Imp. constitutionem, qua *Lectores* nonnisi postqnam legere, uti *Cantores* postquam canere didicissent, minoribus hisce ordinibus initiati sunt (*e*), & Leonis Sapientis Constitutionem, qua ad Subdiaconatum XX. satis esse annum decrevit. Neque post X. Saec. ab isthac disciplina remissum est; sed alicubi Episcopo jus factum est de præfinita ætate remittendi vel ob *sanctitatem*, vel ob *sapientiam* Ordinandi (*f*), ita ut *ob summam necissitatem* Presbyteratus anno XXV. donari posset (*g*). Quæ omnia cum sarta tecta servata essent ad Saec. usque XVI., eo tandem nova obtinuit disciplina, ac Subdiaconis scilicet annus XVIII., Diaconis XX. Presbyteris XXV. præfiniri cœpit (*h*). Quam contra antiquos canones innovationem etsi ægre tulerint eodem Saeculo quamplures Ecclesiæ (*i*), tandem pro uniformitate servanda

(*a*) *Zosimi Rom. Pont. ep.* 1. *ad Ocean. c.* 2. *&* 3.
(*b*) *Conc. Tolet. II, c.* 1. (*c*) *Ibid.*
(*d*) *Conc. Agathen. c,* 16., *Arelat. III. c.* 6. *Tolet, II. ib. & IV. c.* 10., *Synod. Trull, c.*14.15,
(*e*) *Phot. in Nom. t.* 1. *c.* 28.
(*f*) *Conc. Tolos. An.* 1056.
(*g*) *Conc. Rothom. c.* 6. *An.* 1074.
(*h*) *Conc. Viennen. An.* 1311.
(*i*) *Conc. Ravenn. III, c.* 1., *Colonien, c.* 18. *An.* 1536.

da Tridentinum Concilium nulla pro minoribus ordinibus definita ætate (id enim Episcopi consilio credidit) sanxit ordinandos XXII. anno Subdiaconatu, XXIII. Diaconatu, XXV. Presbyteratu initiari *(a)*.

Tandem animadvertendum per quinque prima Saecula nusquam de iis *interstitiis*, quæ inter unum, aliumque ordinem statuta erant, aliquid remissum esse: Gelasius enim I. Rom. Pontifex primo *propter nulla, vel exigua ministeria*, (ministrorum scilicet pauperiem) *quæ infestatione Barbarorum in aliquibus Ecclesiis remanserant*, de interstitiis remittere cœpit *(b)*.

APPENDIX II.

De Re Vestiaria Clericorum.

NEminem latet tribus primis Æræ Christianæ Sæculis clericorum vestem ne parum quidem a communi laicorum illa discrepasse, maximopere enim Clericos intererat ab Ethnicorum oculis se se subducere. Disputatum est num a IV. Saeculo veste a laicis different. Verum Ecclesiasticæ historiæ monumenta aperte nos docent, clericos generatim ad VI. usque Sæc. laicorum veste usos esse. Sane cum laici, qui Philosophiæ servioris studio vacarent, tunica, & pallio uterentur, Clerici honestiori hoc vestitu indui maluere *(c)*, cum pallium illud e rudi lana esset *(d)*. In eo autem a clericorum indumento Monachorum illud ea ætate differebat, quod Monachi crassa, atque aspera

 veste

(a) *Sess.* 23. *c.* 12., & *Sess.* 24. *c.* 12.
(b) *Gelas. epist.* 9.
(c) *Euseb. Hist. Eccl. l.* 6. *c.* 19., & *lib. de Mar. Palest. c.* 5., *Hierony. in Epitaph. Nepotiani.*
(d) *Greg. Nanz. Orat.* 20. & 27.

veste, sed brevi, atque succinta, *quæ exertis humeris ferebatur* (a), ideo σουρα dicta (b), uterentur; clerici vero oblongiori pallio, quod equidem ne philosophicum redoleret fastum, communi philosophorum, atque optimatum pallio brevius erat, & servorum illo simile, quare Βιρρος, vel Βηρίον appellabatur (c). Sicut autem clerici communi laicorum veste, ita quovis utebantur colore, modo honestati non repugnaret. Episcopi vero principum maxime civitatum eodem IV. Saeculo albo pallio usi sunt (d).

At ad IV. Saeculi finem, & V. ineunte clerici sensim a communi laicorum veste abhorrere, & saltem, retenta forma antiquæ vestis, vel materia, vel textura pretiosiorem gerere vestem cœperunt (e). Hinc Concilium Carthaginense IV. c. 45. *ne decorem* in vestibus, vel in calceamentis quærerent statuit: & Cælestinus Rom. Pontif. I. clericos Gallicanos, quos inter abusus ille potissimum invaluerat, admonet *a plebe discernendos esse doctrina, non veste* (f).

A VI. autem Saeculo propriis utebantur vestibus Clerici, quibus ea de re vetitum erat *Sago, vestimentis, & calceamentis sæcularibus* uti (g). Huic autem disciplinæ occasionem præbuerunt Barbari, qui Occidentali Imperio ad hæc tempora potiti sunt: cum enim hi brevi toga, *Sagum* propterea dictum, & contractio-

(a) *Suid. in voc.* σουρα.
(b) *Conc. Gangren. c.* 12.
(c) *Ibid. V. Suid. in v.* Βιρρος, *& Meurs. in Glossar. in v.* Βηρίον.
(d) *Pallad. in vita Chrysost. & S. Euthym. Patr. Vit. ap. Sur.* 20. *Januar.*
(e) *Sulpit. Sever. Dial.* 1. *c.* 1.
(f) *Epist. ad Episc. Vien. & Narbonen.*
(g) *Conc. Matisconen. c.* 16.

ctiori pallio, vulgo *Cottum* appellatum, uterentur, Clerici antiquiorem habitum retinuere, qui eam ob rem a communi laicorum veste differre cœpit. Hinc *Sagorum* usus clericis vetitus (*a*), eisque *non barbaris habitibus*, sed *togata veste* (*b*), quæ *casula* per ea tempora appellari consuevit (*c*), utendum esse, Ecclesiæ disciplina sanxit. Eadem ætate etsi peculiaris color clericis præfinitus non fuisset, illis attamen vetitum est uti colore *purpureo* (*d*), eo quippe universe fere utebantur Barbari. Ecclesia itaque summopere studuit ne ea potissimum Barbarorum veste Clerici uterentur, quæ brevior erat, nisi itineris caussa (*e*). Etiam in Oriente Saec. VII. Clericorum vestis a laicorum illa differens erat (*f*), unius equidem coloris. Quare cum VIII. Saeculo diversi coloris vestibus uti cœpissent, abusui obstitit Græca Ecclesia (*g*), ac tandem post X. Saeculum nigrus color inter clericos Orientales universe obtinuit (*h*).

In Occidente vero ad XI. Saec. clerici ab antiqua vestium forma paullatim discessere, ac primo *Pallia* (quæ olim neque retro neque ante septa erant, cum ab humeris ad talos totam ambirent personam) anterius scindere cœpere, & *manicas*, quæ nullæ prius erant, cappis illis addiderunt. Hinc concilia clericis vetarunt scissis vestibus (*i*) non unius coloris (*k*), &

 cap-

(*a*) *Conc. Suession. c. 3. An. 744.*
(*b*) *Greg. Magn. vit. a Johan. Diac. l. 1. c. 13., Greg. Magn. l. 3. ep. 24., l. 7. ep. 11. & 111.*
(*c*) *Conc. Suess. ib.*
(*d*) *Conc. Narbon. c. 1. An. 589., Conc. Liptinen. c. 7. An. 743.* (*e*) *Conc. Rom. c. 3. An. 745.*
(*f*) *Conc. Trullan. c. 27.* (*g*) *Conc. Nicæn. c. 15.*
(*h*) *Balsam. in c. 14. Syn. Œcum. VII.*
(*i*) *Conc. Melphitan. c. 13. An. 1086., Conc. Lateran. II. c. 4.* (*k*) *S. Bernard. de Consid. ad Eugen. l. 3.*

cappis manicatis (*a*) uti. At a XII. Sæc. rubri coloris tum vestes, tum calceos clerici adhibuere, easque *manicatas* (*b*), & *a latere apertas* (*c*) viridis quandoque etiam coloris (*d*); immo pretiosis pellibus cappas ornarunt circa *scissas* fimbrias (*e*), & *bottones* adjecerunt (*f*). Præterea circa XIII. Saec. *galericulo* uti cœperunt (*g*). Illud autem pilei genus erat, quo Barbari utebantur, figuræ equidem orbicularis perangustioris formæ, ita ut solum caput tegeret. At recens inventa hæc adversata est Ecclesia (*h*), & *talari* veste clericis commendata, illis dumtaxat ruri *tabarris* brevioribus uti indulsit (*i*), & pileo, *almutio scilicet oblongo ad aures* usque (*k*). *Almutium* autem erat quædam species illius *cuculli*, quo veteres pilei loco quandoque utebantur, cujusmodi monachorum ille est. Quare *galerulum acuminatum* (*Chapel a bec* gallice) illis vetitum itidem fuit (*l*).

Verum ad initium XV. Saec. eo vel magis crevit clericorum libertas, qui laicorum vestiendi formæ accedere quam qui maxime studuerunt. Hinc supertunicis ante patentibus uti illis permissum est (*m*); perinde ac clericis, qui in aliqua Ecclesiæ *dignitate* constituti erant va-

(*a*) *Conc. Parisiens. Art.* 13. 14.
(*b*) *Conc. Albigen. c.* 64.
(*c*) *Conc. Colonien. c.* 4. *An.* 1260.
(*d*) *Conc. Calonen. c.* 1. & 3. *An.* 1280.
(*e*) *S. Bernard ibid.*
(*f*) *Conc. Buden. c.* 2. *An.* 1279.
(*g*) *Conc. Londinen. c.* 5. *An.* 1268., & *Lambethen. c.* 12. *An.* 1287. (*h*) *Vide omnia hæc laud. Concilia.*
(*i*) *Conc. Ravennaten. c.* 10. *An.* 1314. (*k*) *Ibid.*
(*l*) *Conc. Vauren. c.* 47. *An.* 1368.
(*m*) *Conc. Londinen. c.* 2., & *Salisburien. c.* 6. *An.* 1420.

variegatæ pellis usus in *fœderatura* licuit (*a*). Præterea relicto illis *almutii* usu in Liturgia, per Civitatem pileum adhibuerunt (*b*). Quapropter Ecclesia ne clerici nullimode a laicis vestitu different, tandem statuit, ut nigro uterentur colore, quo saltem a laicis discriminarentur, quod primum Saeculo xv. in Galliis (*c*), & Saec. xvi. in Italia obtinuit (*d*). Ex quibus patet nigri coloris vestes, quibus Latini ad Saec. usque xiv. in lugubri veste dumtaxat usi erant (*e*), serius in Occidente, quam in Oriente obtinuisse. Pileus autem, quem gerere cœperunt, *birretum* appellatus est (*f*) atque *quadratæ* erat figuræ, qualis pileus ille est, *berretta* Italice dictus, quo in Liturgia clerici hodie utuntur. Itaque a xvi. Saec. vestis clericorum tum forma, tum nigro colore fere ubique uniformis evasit. *Collaria*, quibus utimur, primum etiam hoc eodem saeculo obtinuisse videntur, quae initio fuerunt indusii extremæ laciniæ, quæ collum ambiebant, quapropter spissis erispis ornata ne (*crisputa*) essent statutum est (*g*). Hæc de civili clericorum veste, in altero, qui sequitur, libro de sacris illorum vestibus dicemus.

(*a*) *Conc. Dertunen. c.* 1. *An.* 1429.
(*b*) *Vide constit. Eustachii du Bellay Artic.* xix. *Ap. Martene in Thesaur. monum. vet. t.* 7.
(*c*) *Id. ibid.*
(*d*) *Conc. Mediolanen I. c.* 17. *An.* 1565.
(*e*) *Conc. Tarraconen. l.* 3. *tit.* 1. *An.* 1338.
(*f*) *Conc. Turonen c.* 14. *An.* 1583.
(*g*) *Conc. Burdigalen. cap.* 21. *An.* 1583., *& Turonen. ibid.*

LIBER II.

De Sacris Christianorum.

CHristiana Respublica, quæ ut præcedenti libro diximus, plebe, & magistratibus constat, Jesu Christi conditoris sui *reali* gaudet *præsentia*. Ille enim sui ipsius Sacrificio non solum Ecclesiam novo fœdere excitavit, sed in ea versari æternum maluit, ut, Respublica illa cruento Sacrificio Auctoris condita, jugi illius Sacrificio staret. Hinc sacra loca ad Incruentum hoc Sacrificium, quo Deus Optimus Maximus colitur, peragendum, ab initio Christianorum Respublica habuit. Merito itaque secundo hoc libro primo de sacris hisce locis, deinde de ipsa Re Liturgica dicemus.

SECTIO I.

De Locis Sacris.

CAP. I.

De Locis Sacris Christianorum a I. ad III. Sæculum.

QUamquam tribus primis Ecclesiæ Saeculis, cum Ethnici Imperatores in Christianos sevirent, *quivis locus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer instar Templi ad sacros conventus peragendos fuit* (*a*); Loca tamen Divino cultui devota habue-

(*a*) *Diony. Episc. Alexan. Alexan. epist. apud Euseb. Hist. Eccl. l. 7. c. 22.*

buerunt Christiani. Illud enim plane evincimus ex Romanorum Imperatorum edictis, quibus Christianorum Templa solo æquari decrevere, eaque passim vide apud Eusebium Pamphilum (*a*) Arnobium (*b*), & Tertullianum (*c*). Sacra autem Christianorum loca in Ædium suprema parte quandoque fuisse testantur Acta Apostolorum (*d*), quæ in *Cœnaculo* sacra peracta esse narrant, quo nomine *suprema Ædium pars* a Latinis appellabatur (*e*); Quod equidem ab illis præsenti factum est consilio, rati eo pacto eorum Sacra oculos, atque turbas paganorum magis latere. Hinc illud idem Romæ factum docent Martyrum Acta (*f*); atque etiam in Oriente, ut liquet ex Luciano (*g*), qui Christianorum Sacra de more ludificatus, ait se *per scalas* ascendisse *in domum aurato fastigio insignem*, in qua nimirum Christiani Sacris operam daturi convenerant. Hinc Cœnacula, quæ in superiore domus contignatione erant, ideo a Græcis ταυπερωα dicta (*h*), Ecclesiæ initio tum in Occidente, tum in Oriente sacris dicata fuere.

Publica etiam aliqua loca Sacris obeundis habuisse ea ætate Christianos dilucidius confirmatur ex Alexandri Severi Imperatoris edicto; cum enim Popinariorum collegium apud Alexandrum quesitum esset de occupato a Christianis quodam

---

(*a*) *Hist. Eccles. l.* 8. *c.* 2.
(*b*) *Libr.* 4.
(*c*) *Tert. Apolog. c.* 10.
(*d*) C. 13. *v.* 5. *v.* 111.
(*e*) *V. Pomp. Fest. in hac voce.*
(*f*) *Acta S. Pontii Mart. ap. Baluz. Miscel. t.* 2., *Acta S. Pudentianæ &c.*
(*g*) *In Dial.* φιλοπατρ.
(*h*) *V. Meurs. in Glossar. in h. voc.*

dam conlegii illius loco, qui *Taberna meritoria* vulgo dicebatur, Alexander de Christianis optime meritus illis locum illum addixit, *ut illic Deus coleretur* (*a*). Neque mirari subit sub Ethninorum oculis Templa habuisse Christianos, cum deseviente persecutione illa construerent; quare Eusebius Pamphilus (*b*), & Optatus Milevitanus (*c*), testantur, Romæ dumtaxat tum cum Diocletianus Christianos insectari cœpit, quadraginta Sacra Relligionis loca illos habuisse. Templa autem maxima libertate Christiani excitaverant, ac palam condiderant post Gallieni Imperatoris edictum apud Eusebium (*d*), quo Christianis Sacra loca *per universum Orbem* restituta sunt, eisque *nullam deinceps molestiam facessere* decretum est; Qua quidem libertate potiti sunt Christiani quadraginta trium annorum spatio, ab Anno nimirum CCLX. Æræ Christianæ, quo Gallienus Imperator salutatus fuit, ad Annum CCCIII. quo Diocletianus immanem in illos persecutionem excitavit. Templa itaque Christiani ante Diocletianum publice condiderant, quæ quidem pro Urbium decore *editissima* etiam fuisse testatur Lactantius (*e*). Quin ex Licinii, & Constantini edicto (*f*) loca illa Sacra non in privatis Ædibus, ut initio, fuisse, sed Sacro tantum cultui dicata, & *ad jus Corporis Christianorum pertinentia* in eo aperte liquet. Cum vero persecutione efferuescente Christiani loca sacra, quæ Paganis patebant, minime adire solc-

(*a*) *V. Lamprid. in Alex Sever. inter Script. Hist. Aug. t.* 2. (*b*) *Histor. Eccles l.* 8. *c.* 2.
(*c*) *De Sch. Donat. l.* 2.
(*d*) *Ibid. l.* 7. *c.* 13.
(*e*) *Lib. de Morib. Persecut. c.* 13.
(*f*) *Ap. Euseb. Hist. Eccles. l.* 10. *c.* 5.

solerent (*a*), tunc in abditis quibusdam locis, & potissimum in. Cœmeteriorum aditis quaedam seligebant loca, in quibus Sacris vacabant (*b*) ; hinc nostra adhuc ætate in cœmeteriorum aditis quædam visuntur loca loculis expertia, picturis, atque aris ornata. Arcanis itaque hisce Templis nonnisi sevientibus in eos Imperatoribus utebantur, ut manifeste ostendam in Dissertatione III., quam tomo tertio habes.

Hæc itaque Sacra loca *Ecclesias* appellarunt ab initio majores nostri (*c*). Εκκλησια sane a Græcis dicebatur populi concio, in qua decreta sancita (*d*); Ecclesia ab Apostolis fidelium conventus dictus (*e*); hinc locus, in quo fideles una conveniebant Sacris operam daturi, eodem nomine donatus est. A *Templi* enim nomine universe tribus illis Saeculis Patres abstinuisse videntur, cum eo potissimum nomine sacra Paganorum loca venirent. *Domos Dei* Sacra item loca nuncuparunt (*f*). Hinc etiam *Dominica*, quo nomine frequentius donari cœperunt IV. Saeculo,

CA-

(*a*) *Euseb. in Vit. Constanti. Magn. l.2. c.* 46.

(*b*) *Vide Dissert. IV. de Catac. Neapolit. hujus oper. to.* 3., *Vide Cypr. ep.* 28. *ad Success.*, *Acta S. Steph. Papæ*, *Acta S. Bonifac. a Luca Holsten. edita*, &c.

(*c*) *Tertull. l. de Pudic. c.* 4. & *de vel. virg. c.* 13., *Cypr. ep.* 55. *ad Cornel.*

(*d*) *Suidæ Lex. in h. v.*

(*e*) *Actor. c.* 19.

(*f*) *Tertull. de Idolol. c.* 7.

CAP. II.

De Templis Christianorum post IV. Saculum.

ANno CCCXII. *cum victo Maxentio, Imperator Constantinus, & Licinius Collega ejus uno consensu legem pro Christianis absolutissimam, & copiosissimam promulgassent* (*a*), Christianis potestas facta est Sacra eorum loca publica ab Ethnicis recuperandi, atque nova excitandi. Quod etsi idem Licinius eorum nonnulla iterum solo æquari jusserit, postquam Constantino bellum indixit, tandem Anno CCCXXIV. Licinio debellato, & apud Thessalonicam occiso, cum Flavius Valerius Constantinus Romanum Imperium adeptus est, Christiani ejus edictis diuturna pace potiti sunt, ac publica Templa, Imperatore Relligionem fovente, magnificentius excitarunt.

§. I.

De Nominibus Locorum Sacrorum post IV. Saculum.

Cum Christiani summa Relligione persequerentur eorum corpora, qui propter *Fidei confessionem*, atque Μαρτυριοι *testimonium* mortem oppetierant, Μαρτυρες martyres propterea dicti, a IV. Saeculo supra illa, vel iis praesertim locis, in quo martyres obtruncati fuerant, Sacras Ædes excitarunt, easque *Martyrum memorias* Latini (*b*), Μαρτυρια Graci nuncuparunt (*c*): quæ quidem denominatio etiam a Latinis deinde

(*a*) *Euseb. Hist. Eccl. l.* 9. *c.* 9.
(*b*) *August. de Civ. Dei l.* 22. *c.* 10.
(*c*) *Chrisost. Homil.* 11. *in c.* 5. *epist. I. ad Thessal. Pallad. Hist. Lausiac. c.* 103.

de usurpata est, qui vel *Martyria* Sacras Ædes appellarunt (*a*), vel Græca voce latine reddita *Confessiones* (*b*). Hinc clerici harum Ecclesiarum servitio addicti, κληρικοι Μαρτυρίων *clerici Martyriorum* in Oriente, & *Martyrarii* in Occidente dicebantur (*c*). At animadvertendum est Μαρτυρια aliquando appellata etiam parva quædam Oratoria, quæ ruri excitabantur supra Martyrum sepulchra, vel in *illorum memoriam* (*d*); quapropter *Cellulæ* nomen apud Latinos obtinuerunt (*e*). Ruri enim passim Sacra *Oratoria* excitarunt Christiani a IV. etiam Saeculo tum in Oriente (*f*), tum in Occidente (*g*), in quibus vel Diaconus (*h*), vel unus e clericis *serviebat* (*i*). Quæ quidem rurales Ecclesiæ post V. Saeculum multiplicari cœperunt (*k*), ac tandem cum nimium ab Urbe distarent, Parochiæ evaserunt (*l*). Præterea Κυριακον Sacram ædem appellarunt (*m*), *Domino* nempe *Sacram*; hinc Latini *Dominicum* illam nun-

(*a*) *Id. ib.*

(*b*) *Conc. Chalced. c.* 8. *& Cod. Theodos. L.* 7. *de Sepulcr. violat.*

(*c*) *Greg. Turon. de Mir. S. Mart. l.* 2. *c.* 46., *Conc. Aurel. II. c.* 13.

(*d*) *Conc. Chalced. Act. I. & V.*, *Chrysost. Hom.* 18. *in Act. Apost.*

(*e*) *Greg. Turon. Ib. l.* 2. *c.* 5.

(*f*) *V. Conc. Chalced.*, *& Chrysost. ibid.*

(*g*) *Conc. Charth. IV. c.* 14., *Toletan. I.*

(*h*) *Greg. Turon. de Glor. Mart. l.* 1. *c.* 66.

(*i*) *Id. de Glor. Confess. c.* 10.

(*k*) *Conc. Agathen. c.* 21., *& Aurelianen. I. c.* 25.

(*l*) *Conc. Aurel. IV. c.* 26.

(*m*) *Conc. Laodic. c.* 28., *Euseb. Hist. Eccles. l.* 9. *c.* 8., *&* 9.

nuncuparunt (*a*). Ναοι *Templa* etiam a IV. Sæculo denominatæ sunt Sacræ Ædes tum a Græcis (*b*) tum a Latinis (*c*). Τα Βασιλικα tandem appellatæ sunt (*d*), quo nomine olim regia aula, vel Imperatoriæ Ædes veniebant (*e*); quo quidem nomine Latini quoque Patres quandoque usi sunt (*f*), cum Deo Summo Regi in Sacris Ædibus cultus exhibeatur. Hæc itaque sunt potissima nomina, quibus post IV. Saec. passim Sacras Ædes nuncuparunt Christiani.

§. II.

De Templi Consecratione.

Ex antiquissima, & ubique recepta consuetudine (*g*). Ædes divino cultui conditas *dedicare* peculiari ritu consueverunt Christianorum Antistites a IV. potissimum Saec. (*h*). Nam sicut Paganorum prophana Templa a Pontifice consecrata sunt (*i*), ideoque *Fa-na*

(*a*) *August. Serm.* 15. *de verb. Apost.*, *Salvian l.*7. *de Provident.*

(*b*) *Euseb. de Vit. Const. l.*3.*c.* 29.30.63.

(*c*) *Ambros. l.* 2. *de offic. c.* 21., *Hierony. in c.* 7. *Hier.*, *August. de Civ. Dei l.* 8. *c. ult.*

(*d*) *Synod. Sardic. c.* 20.

(*e*) *Suid. in h. v.*

(*f*) *August. de Eccl. Dogmat. c.* 73., & *de Civ. Dei l.* 1. *c.* 4., *Hieron. Epist. ad Nepot.*, *Paulin. epist.* 11. & 12.

(*g*) *S. Ambros. epist.* 22. *ad Marcellin.*

(*h*) *Euseb. de Vit. Const. l.* 4. *c.* 4., *Theodoret. l.* 1. *c.* 30. *Paulin. epist.* 4. *ad Amand.*, & 13. *ad Sever.*, *Ambros. ibid.* & *ep.* 85.

(*i*) *V. Livi. Decad. I. l.* 9. *de Æde Concordiæ*

na appellata (*a*), quod *Pontifices*, ut ait Varro, *in facrando fati funt*. Ita Chriftiani, Veri Dei O. M. cultum fecuti, Illi folemni quodam ritu Templa dicanda effe merito ftatuerunt. Præter ea, quæ innuimus Patrum teftimonia, extat hujus Dedicationis infigne monumentum in lapide IV. Saeculi primum a Fuluio Urfino publica luce donato (*b*), quem heic adducere e re noftra maxime erit.

T. I. X. N. EGO ꓷAMASI
VS. VRB ROME EPS AN
C ꓷOMV. CONSECRAVI
. . . N. R. Q. S. M. S. PA. S. PE.

Titulus, nimirum, *in Chrifti nomine ego Damafius Urbis Romæ Epifcopus hanc Domum confecravi* . . . . *S. Paul. S. Petr.*, ex Blanchinii interpretatione, qui ceteras punctis notatas literas affequutus non eft. Poftica vero hujus lapidis parte aliam habes infcriptionem.

Hic reQVIESCIT CAPVT
SCI CRESCENTINI. M
ET RELIQVIE. S. SVPANT.

Ex quibus duo colligimus, I. Ecclefiæ nimirum Dedicationem jam tum a IV. Saec. *Confecrationem* appellatam effe, a Pontifice peractam, & marmoreo monumento confignatam. Alterum: Martyrum reliquias in confecrandis *titulis*, li. e., Ecclefiis collocari folere, quam confuetudinem jugi traditione ad noftra usque tempora Ecclefia tenet.

Epi-

(*a*) *Tacit. l.* 4.
(*b*) *Ap. Blanchin. in Præf. ad vit. Rom. Pontif. Anaft. Bibl.*

Episcopi autem a IV. Saec. cum aliquam consecrarent Ecclesiam, viciniores Episcopos invitabant (a), ut solemniori apparatu Dedicationis hujus Ritum celebrarent. At quae fuerit olim Dedicationis hujus Liturgia, ignoratur; antiquius quippe hujus, quo nos utimur ritus, monumentum habemus in Ordine Romano, qui post IX. Saeculum scriptus videtur, cujus Saeculi Scriptores (b) primi meminere horum rituum. Ritus itaque Consecrationis Ecclesiae, qui habetur in Pontificali Romano, IX. Saec. antiquior non est, quamquam aliquae saltem partes hujus ritus majorem sapiant antiquitatem, cujusmodi sunt sacri olei unctio, cujus meminit Balsamon (c), Cruces circa Ecclesiae parietem designatae, & candelabra ante illas suspensa, de quibus loquitur Codinus (d). Consecrationis tandem ritum ab antiquo Liturgia Sacrificii, hoc est Missa Episcopi excepit, quod IV. Saec. testatur S. Paullinus (e). Consecratio Templorum a Graecis Εγκαίνιον appellabatur, quo nomine eos intervenit anniversarium quoque festum ipsius Consecrationis, cum ab antiquissimis temporibus solemni apparatu quotannis dies Consecrationis in unaquaque Ecclesia celebraretur (f).

CA-

(a) *Ambros. epist.* 5.
(b) *Rhaban. Maur. de inst. Cler. l.* 2. *c.*45., & Saec. XIII. *Durand. Rat. l.* 1. *c.* 6. *&* 7.
(c) *Nat. X. S. Felic.*
(d) *In Resp.* 13. *&* 38. *ad Marc. Patriarch. Alex.*
(e) *De Orig. Constant. ap. Meurs. in voce* Εγκαίνια.
(f) *V. Callixt. in Indi. Sozom. ap. Meurs. ib.*

CAP. III.

Veterum Templorum Iconographia.

CHriſtiani a IV. Saeculo uniformi quadam lege tum in Oriente, tum in Occidente Sacra Templa condiderunr. Templorum autem ſtructura a Paganorum illa quam maxime diverſa fuit, tum ut Templi partes liturgicis functionibus accomodatæ forent, tum ut viri a mulieribus ſeparatim ſtarent. Quapropter ſicut Paganorum Templa vel rotundæ erant figuræ, vel oblongæ ad unius areæ inſtar; contra ea Chriſtianorum illa plerumque parallelogrammi figuram præſeferebant, ac tribus alis (vulgo *navibus*) media, & duobus lateralibus diſtincta; cum magnificentiores Eccleſiæ in Occidente quinque navibus quandoque conſtarent, ut videre eſt in Primitiali Eccleſia Piſana. Ut autem dilucidius cuique innoteſcat antiqua Templorum ſtructura, ſingulas illorum partes ex ordine recenſeamus.

In tres partes Templa diſtincta erant, nimirum in Βημα, ſive Ιερατειον, Latine *Suggeſtum* vel *Eccleſiæ Abſis*, *Presbyterium*: in ναον ſive Templi Area, Latinis *Eccleſiæ Navis*: & in προναον *Veſtibulum*.

Ingredienti igitur primo ſe ſe offerebat προναος, nempe *Porticus*, quæ προθυρον etiam appellabatur. Porticus plerumque duobus columnis in exteriori parte ſuſtentabatur, ac interiori muro januæ ipſius Eccleſiæ. Ab una ad alteram columnam ferrea quædam virga extendebatur, in qua ferrei aliquot erant annuli, quibus in ſolemnioribus diebus exteriora vela ſuſpendebantur. Mediis igitur columnis aditus ad *Impluvium* patebat ad Porticus ſcilicet teſtudinem, ſive fornicem, in quo Sacræ plerumque erant picturæ. In eo enim ſtabant pœnitentes primæ claſſis, qui *ſtrati* dicebantur; quamobrem Græci illos ακροωμενους ap-

appellarunt (*a*), quia eo Psalmodiam, & sacra concionem audiebant. In Magnis vero Ecclesiis tres quandoque Porticus erant, una nimirum contra Occidentem, quæ media erat, alteræ laterales, ad Septentrionem una, ad Meridiem altera(*b*). Porticus autem media, quæ Occidentem respiciebat Ναρθηκος dicebatur, latine *ferula*, eo quod ceteris longior erat, eo quippe aditus ad Ecclesiam patebat (*c*). Heic sane animadvertendum est, Templa olim ita constructa esse, ut illorum aditus Occidentem respiceret, ex quo facile quisque intelliget, qua ratione veteres dicant Patres, Christianos ad Orientem spectasse, cum in Ecclesiis orarent (*d*); ipsi enim Templi januas, quæ ad Occidentem erant, ingressi, versus Orientem stabant, quam mundi plagam extrema Ecclesiæ pars, sive *Absis* respiciebat.

In Porticus medio, vel aliquando ad Australe illius latus aquæ Labrum erat, sive Malluvium, in quo aqua erat, qua fideles manus, ac faciem lavabant, antequam Templum ingrederentur (*e*). Illud autem Græci φιαλην (*f*), vel Χερνιβοζειον (*g*), Latini *Cantharum* (*h*) vel *Ninphæum* (*i*) appellarunt.

(*a*) *Ap. Theod. Studit. in Carmin.*

(*b*) *Vid. Paulum Silentiar. de Templo Theodos. Part 2. versu 9.*

(*c*) *Vid. Procop. de Ædific. l. 5. c. 6.*

(*d*) *Basil. de Spir. Sanct. c. 27., Athanas. de Plurib. Quæstionib. quæst. 14., Augustin. de Divers. Serm. 49.*

(*e*) *Euseb. Hist. Eccl. l. 10. c. 4.*

(*f*) *Paulus Silent. in Descript. Templ. ibid. part. 2. versu 177.*

(*g*) *Vid. Euchol. Græcor.*

(*h*) *Paullin. ep. 12. & 21.*

(*i*) *Anast. Bibl. in Hilaro.*

A Porticu ad Ναὸν, h. e., Ecclesiæ interiorem aream per tres portas aditus patebat. Area Porticus, quæ in mediam Januam introducebat, Αὐλὴ (a), ac medio ævo Γαρσουρσαῖος dicebatur (b), a græcobarbara voce *garson famulus*, *famulorum* nempe *locus*. Latini illam medio ævo *Paradisum* appellarunt (c). Media porta plerumque clerici ingrediebantur, cum laterales tantum Christianæ plebi paterent, dextera nimirum viris, læva feminis.

Ναὸς vero, sive interior Templi Area in tres Naves distincta erat, media, Australi, & Septentrionali. Media autem navi, qua recta itur ad βῆμα (extremam scilicet Templi partem, in qua Altare erat) nemo consistebat; hinc Peregrini, qui loca sacra adibant, cum in ipso mediæ Navis ostio sisterent, *ad limina* SS. proficisci dicebantur, hujus enim Navis extrema pars *solea* appellabatur, vel *Liminare* (d). Viri itaque una simul stabant in Navi Australi, Mulieres in Septentrionali (e). In Occidente virorum navis longior feminarum illa est in antiquioribus, quæ extant, Ecclesis, ut in Ecclesia S. Sabinæ Romæ, Cathedrali Narniensi, S. Sixti Pisis, atque alibi. Hæ autem Naves septis aliquibus distinctæ erant, primum a janua septum erat Catechumenorum, atque Pœnitentium; sequebatur aliud, quo fideles intercludebantur; tertium in utraque erat navi ad soleam usque, proindeque Al-

---

(a) *Procop. ibid. l.* 1. *c.* 7. 8.

(b) *Cedren. Histor. l.* 4. *c.* 9.

(c) *Leon. Hostien. l.* 3. *c.* 27., *& Paul.Warnefr.Hist. Longob. l.*5. *c.* 31.

(d) *Vid. Menard. Not. in Sacr. S. Greg.*, *& Goar. in Euch. de Templ.*

(e) *S. Max. de Eccles. Myst. c.* 3., *Cyrill. Hier. Procatech.* 1.

Altari proximius, quo hinc Sacræ virgines (*a*), inde Monachi ſtabant, ſepta itaque hæc unumqueque cœtum ſejungebant. Mulierum navis Ματρονικιον *Matronaum*, virorum illa Ανδρον a Græcis nuncupatur.

Poſt Ναον ſequebatur extrema Templi pars, h. e., βημα, quam *ſolea* a ναω ſejungebat, & quodam peribolo ſepta circum erat, in cujus medio janua quædam erat, qua in ſoleam ingrederetur. Ante has Bematis januas erat Αμβων, *pulpitum*, quod medium conſiſtebat, ac gradus hinc inde habebat, quos *Aſcenſionis*, & *Deſcenſionis gradus* appellarunt in Occidente (*b*). Ante Bema Romæ peculiaris quidam locus erat, qui *Senatorium* medio ævo appellatur (*c*), locus nempe, in quo Senatoriæ familiæ Optimates ſtabant. Hic autem locus Romæ medius ante *Bematis* januam erat, cum ibi duo plerumque Ambones forent, ad Auſtralem partem unus, in quo Evangelium legebatur, alter ad Septentrionalem ad Epiſtolas, ac Prophetarum Scripturas in Liturgia, atque Pſalmodia legendas. Amboni proxima poſt IX. Saec. fuit parva columna quædam ad cereum Paſchalem ſuſtentandum.

Sequitur deinde Cleri *Solea*, quæ prima pars eſt tum Bematis, tum Chori, cum in illa conſiſterent Diaconi, & minores clerici ad Pſalmodiam recitandam. Hinc, vel inde erat *Secretarium*, poſtea Latinis *ſacreſtia*. At duo quandoque erant hujuſmodi loca hinc inde a *ſolea* apud Orientales, quorum unum Διακονικον, alterum Σκευοφιλακιον appellarunt (*d*).

N 2 Sa-

(*a*) *Orig. Tract. 26. in Matth.*, & *Ambroſ. ad virg. Lapſ. c. 6.*
(*b*) *Anaſt. Bibl. in Silveſtro.*
(*c*) *In ord. Romano Edit. in Bibl. Patr. t. 9.*
(*d*) *Codin. de offic. Magn. Aul. c. 15. n. 4.*

Soleam excipiebat Bema, quæ extrema templi pars, *in qua Arcanum peragitur Sacrificium* (*a*), Cancellis claudebatur, ne *Altari accedere posset plebs*, *ac multitudo* (*b*). In cancellorum medio, nimirum contra mediam Templi Aream Ostium Cancellorum erat; at in grandioribus sane Ecclesiis tres aliquando erant Cancellorum *αγιαι θυραι*, vel *πυλαι janua*, media nimirum ad medianam Templi aream, hinc vero ad ustralem navem una, inde ad septentrionalem altera (*c*). Βημα, sive *Sanctuarium*, aut *Presbyterium* semicircularis figuræ erat, quare *Concha* Κογχη a Græcis (*d*), *Absida* tandem a Latinis denominatur (*e*). Circum *Absidam* erant subsellia, in quibus Sacerdotes sedebant (*f*), in ima Absidæ parte contra Altare Episcopi Cathedra erat, ceteris subselliis sublimior, cum ad eam per gradus ascenderetur (*g*), qua propter *absida gradata* apud Latinos dicitur (*h*), & Græci ipsam Absidam Συνθρονον appellarunt. Episcopus itaque in Cathedra sedens ipso altari eminentior erat, ac ad populum versus sedebat, ita ut ab omnibus, & videri, & audiri facile posset.

In Absidæ medio, sive semicircularis hujus figuræ centro *Altare* erat, a *Ciborio* contectum. Ciborium constabat ex quatuor columnis, quæ parvam quamdam absidam sustentabant, eo ut Ciborium Altaris umbraculum erat. Ea itaque erat veterum Templo-

(*a*) *Theoph. Ceramæ. Hom.* 55. *int. script. Const. Christ. t.* 3. (*b*) *Euseb. Hist. Eccl. l.* 10. *c.* 4.

(*c*) *Paullin. Nat. X., Pachym. l.* 4. *c.* 25.

(*d*) *Germ. Patr. in Theor. l.* 5.

(*e*) *Leo. Ostiens. Chronic. l.* 3. *c.* 28.

(*f*) *Athanas. Epist. ad solitar., August. ep.* 125.

(*g*) *V. Scilitzen. in stratiotico ap. Du-Cange in Descript. Templ. Theodos., Conc. Carth. IV. c.* 35., *August. ep.* 203.

(*h*) *August. ep.* 125.

plorum ſtructura, quæ ſtetit uſque dum vetus diſciplina viguit. Conſule iconographicam figuram, qua faciliori negotio completam totius Templi ideam efformare poteris.

C A P. IV.

De ſingulis Templi partibus.

POſtquam Templi integram ſtructuram graphice ſecuti ſumus, e re maxime erit de potiſſimis illius partibus ſingillatim dicere. A Porticu itaque iterum exordiamur. In ea depictæ erant tum Antiqui, tum Novi Teſtamenti Hiſtoriæ, ac illæ præſertim, quæ pœnitentium conditioni, qui illuc verſabantur, magis reſponderent. In ferrea virga ἐπιστύλιον a Græcis appellata, quæ, ut diximus, ab una ad aliam Porticus Columnam protendebatur, velum ſuſpendebatur ex antiquo Orientalium more, cujus meminit Epiphanius IV. Saeculo (*a*). In eadem Porticu Aquæ labrum, ſive Malluvium erat, quod ante Paganorum Templa etiam fuiſſe teſtes ſunt Græcorum vetuſtiſſimi (*b*), qui illud Χερνίβων appellarunt, unde medio ævo Græci Eccleſiæ Malluvio Χερνιβοξεστου nomen fecerunt. Labrum itaque illud ante fores Eccleſiæ conſtitit ad eam uſque ætatem, in qua Templa ſuos porticus habebant; hinc cum tandem (quod poſt IX. Saec. factum eſt) Eccleſiæ porticubus caruere, labrum intus Eccleſiæ Navem ſecus portam translatum eſt. Aqua, quæ in labro erat, manibus, facieque lavandis uſui fuit fidelibus, ut

(*a*) *Epiſt. ad Johan. Hieroſolym.*
(*b*) *Ariſtoph. in Lupiſtrata, & in Pace, Athenaus* δειπνοσοφ. *l.* 10.

ut in Templo S. Sophiæ Constantinopoli (*a*) ; ac Romæ illud etiam obtinuisse conjicere licet ex Anastasio Bibliothecario (*b*).

Ecclesiæ januæ bifores erant, e ligno, vel in Augustioribus Templis aerea lamina obductæ, ut videre est etiamnum in antiquioribus, quæ supersunt Ecclesiis. In laminis plerumque anaglypticis figuris Christi, aut Discipulorum gesta, vel Sanctorum, quorum memoriæ Ecclesia dicata erat, descripta erant. Antiquiora sane harum forium monumenta, quæ restant, XI. & XII. Saeculi indolem sapiunt, vetustiores enim Scriptores de hujusmodi foribus haud meminerunt. Neque usque dum Porticus Ecclesiis stetere hæ fabrefactæ fores ullius erant negotii ; quare merito putamus nonnisi postquam, rejecto Porticum usu, Fores primæ fidelium oculis se se offerebant, anglyphicis hisce figuris exornari cœpisse.

Interior Templi Area media excurrebat a mediana janua ad Ambonem, qui stabat ad Βηματος januam. Aream hanc, quatenus utramque lateralem navem complectitur, Græci Ναον proprie appellarunt (*c*), Latini generice *navem*, at *Limen* dixerunt, & *Limina* tum aditum Templi, qui media porta patebat, tum Navis mediæ extremam illam partem, quæ a Presbyterio, sive *Bemate* terminabatur, appellarunt. Hinc vide obtinuisse phrasim illam *ad Limina Martyrum proficisci*, *Limina* illorum *exosculare* (*d*). Cum enim laicorum cuique Presbyterium ingredi, & Altari, in quo Martyrum corpora collocata erant, acce-

(*a*) *Ex Pachym. l.4. c.3.* (*b*) *In Hilaro.*
(*c*) *Maxim. de Eccles. Mystag. c.3.*
(*d*) *Prudent. Hymn. 2. & 12., Greg. Turon. de Mir. S. Mart. l.4. c.14.*

cedere nefas esset, peregrini ad extremam Navis Ecclesiæ partem cum pervenirent, locum illum deosculabantur, qui quidem *Liminis* nomen ferebat.

Navis lateralis illa, quæ ad Australem partem erat viris, quæ ad Borealem feminis addicta erat. Cur autem in vetustioribus, quæ extant, Ecclesiis virorum navis oblongior mulierum illa sit, facile explicari nequit; nisi forte breviorem mulierum illam evasisse dicendum erit, cum eo latere plerumque *secretarium* esset, ad Absidæ nimirum lævam. Hæc autem mulierum, atque virorum distinctio ad Saec. usque XI. universe obtinuit (*a*); at eodem Saec. obsolescere cœpit, in quo Balsamon Græcus Scriptor Latinos arguit, quod ea in re a prisca discesserant disciplina (*b*). Serius itaque in Oriente stetit, cum adhuc inter Græcos hujus divisionis vestigia supersint. Quapropter Latini exinde tres Naves ad Templi ornatum retinuerunt, ac tandem unius navis Templa post XII. Saeculum construere cœperunt.

Ante *Soleæ* interioris, sive Absidis gradus erat *Suggestum*. Illud Græci Αμβων appellarunt, ab αμβαινω, vel αναβαινω *ascendo* (*c*), cum gradibus hinc inde constaret ad navem scilicet Occidentalem, & Orientalem, & clauderetur marmorea tabula tum ea parte, qua januam Ecclesiæ mediam, tum qua Bema, sive Presbyterium, & Altare respiciebat. Tabulæ illæ marmoreæ anaglyphicis figuris exornatæ altiores

 erant

(*a*) *Ex Auctore Micrologi l. de Eccles. Observ. cap. 9.*

(*b*) *In c. 44. Syn. Laodic., & in c. 49. Syn. Œcumen. VI.*

(*c*) *Ex Salmas. Exerc. in Solin., & Casaubon. Animad. in Athen.*

erant, ut librum fulcirent. Latini eadem græca denominatione plerumque illud donarunt; olim vero *Umbonem* appellarunt (*a*), medio ævo *Ammonem* (*b*), *Ostensorium*, *Auditorium* (*c*), *Doxale* (*d*). At tandem post IX. Saecul. illud *Pyrgum* appellare cœperunt (*e*), ex quo liquet ea ætate pulpitum illud ad nostrorum suggestuum formam jam accessisse: *Pirgus* enim dicebatur, quia ad instar turris rotundum erat; ab IX. itaque Sæculo rotundam figuram Pulpitus accepit. At hæ cathedræ, quibus ad concionandum dumtaxat utimur, post XIII. Saeculum in Occidente obtinuerunt; Ambone enim non ad concionandum utebantur veteres, sed ad Evangelium legendum, vel alias tum Novi, tum Veteris testamenti Scripturas, atque Martyrum Acta in Liturgia, cum e propria cathedra Episcopus conciones populo haberet.

Circum Βημα h. e. *Presbyterium* (ita appellatum in Concilio Romano Sæculi IX. sub Eugenio II.) cancelli erant, quos Græci ιερους κιγκλιδας *sacros cancellos* dicebant (*f*). Hi lignei erant in humilioribus (*g*), *ex ære fusiles* in augustioribus Templis (*h*), vel etiam argentei (*i*). Nono autem Saeculo adhuc in Occidente extabant cancelli, qui tales erant, ut quisque cubi-

(*a*) *Vossi. in Gloss. in voce* Ambo.

(*b*) *In Chronic. Cassin. l. 3. c.* 20.

(*c*) *V. Latin. versfion. Vit. S. Theclæ l. 2. ap. Sur. die 19. Feb.*

(*d*) *Histor. Episcopor. Metens. l.* 2.

(*e*) *In Lapide Eccle. Cathedr. S. Salvator. Ravennat. ap. Just. Fontan. De Coron. Longob.*

(*f*) *Niceph. Callixt. Hist. Eccl. l. 3. c.* 9.

(*g*) *Germ. Patr. ib.*

(*h*) *Leo Ostiens. Chron. Cassin. l. 3. c.* 33.

(*i*) *Anast. Biblioth. in Silvestro.*, *Paul. Silent. in Descr. Templi S. Sophiæ part. 2. versu* 265.

cubito inniti illis posset. Per Cancellos aditus ad Absidam patebat una plerumque janua, aliquando duobus, vel etiam tribus, quarum una navi medianæ, alteræ laterales virorum navi una, mulierum navi alia respondebant. Has autem januas velis obducebant veteres, easque ἀμφιθυρὰς appellabant (*a*), ex qua denominatione colligimus januas illas tum ab antica, tum a postica parte aperiri posse. Medio ævo Græci illas nuncuparunt βημόθυρας, *januas Bematis* (*b*); unde Latini eadem ætate illas appellarunt *Belothera* (*c*). Vela (Græcis περιπετάσματα, medio ævo παραπετάσματα) autem cum Liturgia perageretur a Missa Catechumenorum ad Eucharistiæ distributionem prætensa manebant; hinc ad has januas minores clerici stabant, ut Diaconis, ac Sacerdotibus ingredientibus velum *sublevarent* (*d*), quare locus ipse Bematis proximior cancellis, ac januis βῆμα ἀναγνωστῶν, *lectorum Bema* dicebatur (*e*).

Ad Borealem plerumque Absidis partem erat *Secretarium*, quod *Decanicum* quoque, vel *Diaconium* διακονικὸν appellatum est. Is locus multiplicis erat usus. In extrema sane illius parte servabantur sacræ suppellectiles dictum propterea Σκευοφυλάκιον (*f*); hinc in interiori Secretarii loco clericis minoribus, utpote *insacratis*, ingredi vetitum erat (*g*). Altera *Secretarii* pars *Decanium* appellatur, cum ibi de cleri-

(*a*) *Chrysost. Hom.3. in epist. ad Ephes.*

(*b*) *Codin. de Offic. Magn. Aul.ib.*

(*c*) *Guilliel. Bibtioth. in Steph. VI.*

(*d*) *Conc. Narbonen.c.* 13. *A.*589.

(*e*) *Sozom.Hist.Eccles.l.*9. *c.*2.

(*f*) *V. Act. SS. Patr. Sabaitar.*, & *Pallad. in Vit. Chrysost. c.* 10.

(*g*) *Conc. Agath. c.* 65.

ricorum cauffis cognofceret Pontifex, & decreta in hæreticos ferret (*a*), quo etiam Concilia Romæ habita funt (*b*). Eodem quoque loco Pontifex quiefcebat poft Liturgiam, *Metatorium* ea de re appellatus (*c*). Tertius tandem *Secretarii* locus *veftiarium* nuncupatur (*d*) cum Sacris veftibus eo induerentur facrorum miniftri. Eidem fane loco etiam *Salutatorii* nomen fuit, cum ibi Epifcopus fidelium *falutationes reciperet, antequam ad Miffarum folemnia procederet* (*e*); hinc eo etiam Presbyteri fidelium *falutationes* recipiebant (*f*), quare IX. Saec. vetitum legimus, presbyteros pœnitentium *falutationes* recipere (*g*).

Extrema tandem Templi pars, quæ hemycilindricæ figuræ erat, in centro habebat Ciborium, & Altare, de quibus fequenti capite. Præterea in ea erant Sacerdotum fubfellia, quæ plano ipfius Presbyterii erant, cum una dumtaxat Epifcopalis Cathedra aliquibus e plano gradibus affurgeret. Tum fubfellia, tum cathedra e ligno plerumque, e cemento quandoque erant. Supra Epifcopalem Cathedram veteres *feneftram* indere folebant (*h*), in qua vitrea clatrha plumbo conglutinata erant, cujus VIII. Saec. meminit Beda (*i*).

Poftremo, ne ullam illarum partium, quibus nunc

(*a*) *V. Gefta Acacii ap. Du-Cang. Conftant. Chriftia. l. 3. c.* 84.
(*b*) *V. Anaft. Bibl. in Agath., & in Damafo.*
(*c*) *Id. in Greg. IV.*
(*d*) *V. Avit. Viennen. in Proem. l.* 3.
(*e*) *S. Greg. Magni. l. 6. ep.* 98.
(*f*) *Sulp. Sever. de Vit. S. Mart. l. 2. c.* 1.
(*g*) *In Conc. Ticinen. c. 12. fub. Leone IV.*
(*h*) *Ifid. Hifp. Orig. l. 5. c. 8., Anaftaf. in Leone III.*
(*i*) *Beda l. 1. c. 5. vitæ S. Bened. Epifc.*

nunc constant Templa, præterire videamur. Hodie in Absida Orchestra visuntur ad Organi ornatum in nostris Ecclesiis. Organorum usus primus in Gallia invexisse fertur vir quidam Gregorius nomine sub Ludovico Pio, Sæcul.nimirum IX.(a); verum illa ad Saec. usque XII. nullibi fere in Templis obtinuerant (b); cum tandem Monachi primi Organorum usum præ ceteris amplexi fuerint.

Hæc autem satis sint de singulis, iisque potissimis Templi partibus, cum nonnulla, quæ sequentibus capitibus dicturi sumus, majorem huic argumento lucem afferant.

C A P. V.

De Altari.

INsignior Templi pars est *Altare*, cum super illud Christi Domini Sacrificium Sacerdos conficiat. Antiquiores Ecclesiæ Patres *αγιαν τραπεζαν sanctam Mensam* illud appellarunt (c), & Latini *Mensam* (d). Hinc cum Christiani super Martyrum Corpora Altaria extruerent, Altaria ipsa Martyris nomine donarunt: Sic *Mensa Cypriani* apud Augustinum dicitur Altare, quod Christiani excitaverant super illius corpus eo loco, quo Cyprianus *martyrio coronatus fuerat.* (e). Tan-

(a) *Aymon. de Gest. Francor. l.4. c.113.*

(b) *V. Navarr. lib. de Orat. & Horis can. c.16.*

(c) *Greg. Nyssen. Orat. in Bap. Christi, Athanas. Epist. ad solit. t. 1.*

(d) *Nicol. I. Rom. Pont. Epist. 2.*

(e) *Aug. Serm.* 113. *de divers., Vide Theophan. Ceram. Orat. 5. & Nicet. in Murkulph. c. 3. inter Script. Hist. Bizant. t. 5.*

Tandem *Sedem Corporis*, *&* *Sanguinis Christi* Altare appellarunt (*a*). Ab Ecclesiæ itaque initio Christiani in eorum Templis Altaria habebant, quod testantur illæ, quæ supersunt Ecclesiæ in Cemeteriorum aditibus tum Romæ, tum Neapoli, & Eusebius de Gallieni Imperatoris persecutione locutus (*b*).

Initio *Altare ligneum* fuit (*c*), quod universe obtinuit ad Saec. VI. usque, in quo ex lapidibus ea construenda esse statutum fuit in Occidente (*d*). Verum sicut ante VI. Saec. in splendidioribus Ecclesiis Altaria quandoque vel *argentea* (*e*) vel *auro*, *gemmisque ornata* (*f*) erant, ita post VI. Saec. diutius lignea invaluerunt Altaria in aliquibus saltem locis ad Saec. usque XIII. (*g*) At a IV. Saec. in Oriente lapidea Altaria fuerant (*h*).

Altaris forma ad *arcæ* instar erat, quare illud *Arca* aliquando appellatum est (*i*); tribus enim, constabat tabulis superna nimirum, & lateralibus, cetera concavum

(*a*) *Optat. Mil. de Sch. Donat. l. 6.*, *Simeon. Thess. l. de Templo*, *&* *Missa*.

(*b*) *V. Aringh. Roma Subter.*, *Euseb. Histor. Eccles. l.* 7. *c.* 10.

(*c*) *Optat. ibid.*, *August. l.* 3. *contra Cresc. c.* 43., *Joann. Diac. in lib. de Eccles. Lateranen.*

(*d*) *Conc. Epaonen. c.* 26. *A.* 517.

(*e*) *Anast. Bibl. in Silvestro*, *&* *in Xisto III.*

(*f*) *Sozom. Hist. Eccl. l.* 9. *c.* 1., *Ughell. Ital. Sacr. t.* 4. *de Archiv. Mediol.*, *&* *Paul. Silent. de Templo S. Sophiæ.*

(*g*) *Ex epist. Harduini de Malliaco ap. Martene de Ant. Eccles. Discipl. t.* 1. *c.* 3.

(*h*) *Nyssen. ib.*, *Chrisost. Hom.* 20. *in* 2. *ad Corinth.*

(*i*) *Greg. Turonen. Hist. Franc. l.* 9. *c.* 15.

vum (*a*). Hinc sub Altaris cavo Martyrum ossa (*b*), vel Confessorum erant (*c*). Cavum autem Altaris unius etiam hominis capax erat (*d*), & ex utraque parte olim patebat (*e*), cujusmodi fuere Altaria ad Saec. usque XVII. aliquibus in locis (*f*). Verum postquam Altaria pluribus *gradibus* e plano elata sunt *cavum* grandius fuit, ac veluti parua evasit ædicula, quare vulgo *subcorpus* appellatum est, & olim appellabatur *Confessio*, eo quod Sacerdos, cum in Liturgia *Confessionem* recitaret, illæ imminebat ædiculæ; hinc *Confessio* quandoque ipsum Altare appellatur (*g*). Ut autem Altare, quod concavum erat, firmius staret, columnis illud fulcire consueverunt veteres (*h*). Plerumque duæ erant hæ columnæ, quæ ex antica parte Altare sustentabant (*i*); aliquando una, quam Græci καλαμον (*k*), Latini *Columellam* (*l*) nun-

(*a*) *Rufin. l.* 10. *c.* 12., *Sozom. l.* 8. *c.* 7., *Aug. c. Crescon. l.* 3. *c.* 43., *Vid. Mabill. Act. SS. Ordin. S. Bened. Sac. IV. p.* 1. *n.* 26.

(*b*) *Acta S. Vincent. Mart. n.* 12. *ap. Ruinart.*, *August. l.* 8. *De Civ. Dei c.* 27.

(*c*) *Paulin ep.* 23. *ad Sever.*, *Beggon. l.* 2. *de Mirac. S. Majali.*

(*d*) *Mabil. ibid.*

(*d*) *Id. Saec. III. p.* 2. *n.* 9.

(*f*) *Vid. Rubric. Breviar. Carthusianæ Diœces. A.* 1634.

(*g*) *Passim ap. Anast. Biblioth.*

(*h*) *Paul. Silent. ib. v.* 335.

(*i*) *Vigil. Rom. Pont. epist. Encycl.*, *& ep.* 1. *ad Cleric. Ital. Concilior. t.* 1.

(*k*) *Symeon. Thess. ib.*

(*l*) *Aymon. Histor. Francor. l.* 2, *c.* 32,

in Laterano, S. Mariæ Majoris, & S. Mariæ trans Tiberim. Qui quidem mos ad Saec. usque XIII. in Liturgia obtinuit (*a*), a quo Saeculo cum Altaria muro ipsius absidis adhærere cœpissent, passim Sacerdoti sacrum celebranti opus fuit a populo aversa facie stare, atque in aliquibus Liturgiæ periodis ad illum se se vertere. Qua etiam ætate Latini Altari adjecerunt gradus quosdam superiores a postica scilicet *Mensæ* parte (italice *gradini*), in quibus palmas, & candelabra collocarunt.

Ad Altaris basim olim *Piscina* erat (*b*), quam Græci θαλασσαν, vel χωνον, & medio ævo χονειον *infundibulum* appellarunt (*c*). In illa sane aqua erat, qua Sacerdos manus lavabat antequam Liturgiam exordiebatur (*d*). Græci in illis piscinis, quæ quidem eos inter grandiores erant, cineres etiam sacrorum utensilium, atque Sacrarum Imaginum, quæ vetustate consumptæ comburuntur, deponebant. At in Occidente IX. Saeculo jam Piscinæ ab altari remotæ fuerant, ac in *Secretario* translatæ, quo secus piscinam linteum pendebat, ut etiamnum nos inter obtinet (*e*). Quamvis in aliquibus saltem Ecclesiis Saec. XIII. adhuc prope Altare isthæc foret *piscina*, ut testatur Durandus (*f*). Universe vero Sæc. XVI. *piscinæ* usus exoleverat, & in *Secretario* invaluerat *pensile* vas, ex quo effluebat aqua ad manus lavandas, ac secus illud *linteum* (*g*).

Al-

(*a*) *Durant. Ration. Div. Offic. l. 5. c. 2.*

(*b*) *Missale Gotico-Gallic. ap. Mabill. Liturg. Gall. l. 3. tit. 12.*

(*c*) *Ap. Goar, in Euchol. de Altar. Consecr.*

(*d*) *Vid. Ordin. Rom. Tit.* Ordo ad Benedi. Eccl.

(*e*) *V. Leon. IV. Oration. Synodic. Concilior. t. 8., & Ratherii epist. Synodic. Specil. t. 2.*

(*f*) *Ration. l. 1. c. 1. n. 39.*

(*g*) *V. Pontific. Roman. Clement. VIII.*

Altari supereminebat Κυβώριον, Latinis etiam *Ciborium* (de quo plura in Dissertatione I. tomi III.), quod ut diximus erat veluti Altaris umbraculum. Illud autem constabat ex parva quadam absida, quæ quatuor columnis suste..tabatur, vel plerumque duabus ea scilicet parte, qua Altare populo patebat. Aliquibus in Ecclesiis hisce columnis suspensa erant *Altaris* περιπετάσματα *velamina* (*a*), quibus Altare obducebatur ad *communionem* usque (*b*). Hinc *oratio* illa, quam Sacerdos, missis catechumenis, recitabat, Liturgiam Sacrificii exorsus, qua dicta, ac velamine parum elevato, Altare ingrediebatur, in antiquis Liturgiis dicitur *oratio velaminis*. Hunc sane velaminum usum ad Saeculi IX. finem stetisse testatur Guillielmus Bibliothecarius (*c*). Verum paullatim evanuit, ac tandem ad altaris ornatum reliqua fuere duo ea velamina, quæ ab utroque Altaris latere pendent. Id quod Saec. XIII. jam nos inter obtinuerat (*d*).

Altaria olim consecrata erant per solam benedictionem, nulla unctione adhibita: *Sanctum* enim illud efficiebatur postquam *Christi Corpus exceperat* (*e*). A Saec. autem VI. Altare *unctione Chrismatis* consecrabatur; ut docet Synondus Epaonensis (*f*), ex cujus decreto ritum illum V. Saeculo jam invaluisse merito conjicere licet.

Pro capitis hujus coronide tandem animadvertendum, unum olim in quovis Templo fuisse Altare, cum

---

(*a*) *Chrysost. Hom.* 3. *in c.* 1. *epist. ad. Ephes.*

(*b*) *Paul. Diacon. ap. Goar. in Euchol. ad Tit. Liturg. Miss.*

(*c*) *In Stephano VI.*

(*d*) *V. Cæsarii Cisterc. epist. Spicileg. t.* 2.

(*e*) *Chrysost. Hom.* 20. *in ep.* 2. *ad Corinth.*

(*f*) C. 26. *A.* 517.

cum semel festis diebus ab Episcopo perageretur Liturgia (*a*); quod adhuc videre est in Græcorum Ecclesiis: Latini vero a VI. Sæc. Altaria in Templis multiplicarunt (*b*), quare Saec. IX. *ne superflua Altaria in Ecclesiis* essent sancitum est (*c*). Ea vero in frequentioribus Templis crevere postquam quotidianus usus Missæ privatæ, vulgo *Messa bassa* invaluit, ut inferius dicemus.

C A P. VI.

De Altaris ornatu.

PRæcipuum Altaris ornatum nos inter est Crucifixi Imago. Verum olim neque Crux, neque Crucifixi Imago super Altare erat; Crux enim supereminebat Ciborio (*d*), vel e Ciborio pendebat (*e*), ideo ἀνάθημα appellata. Post XI. Saec. primo super ipsum Altare Crux collocari cæpit, cuius manifeste Durandus omnium primus sæc. XIII. meminit (*f*); cum Liturgiæ XI. Sæc. vetustiores de ea plane sileant; Crucifixi enim Imago non supra, sed secus Altare erat ad sæc. VIII. finem (*g*). Hinc paullatim in ipsomet Altari locum tandem obtinuit. Plura de Cruce dicturi sumus in libro IV. sect. II. c. 6. tom. II.

Medio præterea sistit Altari vas illud, in quo Eucha-

(*a*) *V. Notas Isaaci Hamber. in Pontif. Græcor.*

(*b*) *Greg. Magn. l. 5. ep. 50. ad Pallad. Santonens. Episc.*

(*c*) *Capit. Caroli Magn. l. 1. n. 6. ad Ann.* 805.

(*d*) *Conc. Turon. A.* 567., *Paul. Silentiar. ib. p. 2. v.* 313.

(*e*) *Sozom. Hist. Eccl. l. 2. c. 2.*

(*f*) *Ration. l. 1. c. 3.*

(*g*) *Anastas. Biblioth. in Leone III.*

charisticus panis servatur, de quo fussius edisseremus in I. Dissertatione, quam habes III. tomo. Hic autem animadvertendum ducimus, nonnisi post XII. Sæc. ea vasa ad Eucharistiam servandam Altari adhæsisse, & ejusdem materiæ Altaris fuisse (*a*). In eo autem vase cum medio ævo Sanctorum Reliquias indecore sane cum ipsa Eucharistia collocarent, Sæc. XVI. illud vetarunt Concilia (*b*).

Florum manufactorum fasciculis Altare ornatur. Flores inquam naturales a vetustioribus Sæculis super Altare posuerunt Christiani (*c*), qui ad Altaris ornatum corollas e floribus affabre contextas innectebant (*d*). Hinc forte cum, defervescente antiqua fidelium pietate, Altaria sæpe floribus carerent, fabrefacti naturalium florum locum tenuere. At nonnisi XVI. Sæc. hi, quibus utimur, florum fasciculi obtinuisse videntur, siquidem primo illorum meminit Ceremoniale Episcoporum Clementis VIII.

Inter florum fasciculos sero etiam *Candelabra* super Altare visa sunt. Nam IX. Sæculo in Occidente nulla erant cerea super Altare, cum de illis altum silentium sit apud illius ævi scriptores, qui de ornatu Altaris locuti sunt (*e*). Neque ante XVI. Sæculum ulla in Liturgiis mentio habetur *Candelabrorum* super Altare, de quibus primo loquitur idem Clemens VIII. ibidem. At nolim credas adeo recentiora esse ipsa *Candelabra*: Sæculo sane IX. illis utebantur Clerici, qui Liturgiæ aderant (*f*), at illa non reponebant super

(*a*) *Durand. ib. l.* 1. *c.* 2. *n.* 5.
(*b*) *Conc. Aquilejen. A.* 1596., *& Aquen. A.* 1585.
(*c*) *August. de Civ. Dei l.* 22. *c.* 8.
(*d*) *Fortunat. Carmin. l.* 8. *carm.* 9.
(*e*) *Rather. epist. Synod. ib., Leo IV. Homil. de cura Pastor.*
(*f*) *V. Libr.* 3. *de Eccl. Officii c.* 5. *perperam Amalario Fortun. adscript.*

ſuper Altare, ſed vel in *cereoſtata* (parva quadam menſa, in qua candelabra collocabantur) vel in poſtico Altaris gradu (*a*).

Verum cereis uſa eſt Eccleſia a IV. Sæculo in Sacra Liturgia, & ante Martyrum monumenta (*b*), quæ Altaris loco, ut diximus, erant; quæ quidem cerea picta olim fuiſſe teſtatur Paulinus eodem Sæculo (*c*). At frequentior in Eccleſia tum lampadum uſus fuit. Lampades ſiquidem *laquearibus* ſuſpenſas *tremulas vibrare flammas* ait idem Paulinus (*d*), & Prudentius (*e*). Hae autem lampades diverſa obtinuerunt nomina pro figuræ, vel uſus diverſitate. Hinc appellatæ ſunt *Cantari*, *Delphini*, *Lychni*, *Lychnici*, quæ vaſa erant, in quibus oleum ardebat (*f*); *Coronæ* vero appellabantur circuli ad coronæ inſtar, ex quibus plures pendebant lampades (*g*) *ex laxis nutantes funibus* (*h*), eo ut ex una ejuſmodi corona triginta ſex lampades quandoque penderent (*i*), Lampades ſane vitreæ olim erant (*k*), at exinde aureæ, atque argenteæ fuerunt (*l*). Græci adhuc cerea ſuper Altare minime habent, *& coram ſacra menſa luminum circulum ſuſpen-*

O 2 *ſum*

(*a*) *Ex Ordine Rom. ap. Mabill. ibid.*
(*b*) *Hieron. ep.53. ad Ripar. Aug. ſerm.215. de Diverſ.*
(*c*) *Nat.*VI.
(*d*) *Ib. & Nat.7.*
(*e*) *Cathemer. hymno* V.
(*f*) *Anaſtaſ. Bibl. in Silveſtro.*
(*g*) *V. Hiſtor. Epiſcop. Virdunen. l.* 1. *c.* 7., *Anaſt. in Xiſto* III.
(*h*) *Paulin. Nat.9.*
(*i*) *Leo Oſtienſ. Chron. l.3. c.31.*
(*k*) *Prudent. ib.*
(*l*) *V. Anaſtaſ. in Pontif. Vitis paſſim; & Paul. Silent. ib.*

sum habebant Sæc. xv. (*a*); nunc autem circa Altaris cancellos lampadem duodecim luminum habent (*b*). Earum tandem lampadum, quæ a lateribus Altaris Latinos inter perpetuo sunt, meminerunt Sæc. XIII. Constitutiones Cistercienses (*c*).

Inter Candelabra, vel in secundo Altaris, ut ajunt, ordine SS. Reliquiæ in thecis collocari solent. Id primo obtinuit Sæc. IX. tum Romæ (*d*), tum in Germania (*e*). Sic paullo serius tabellæ, in quibus *Gloria*, *Credo*, & *Consecrationis verba* habentur, super Altare collocata fuere; primo siquidem illarum meminit Concil. Avennionense Sæc. XVI. (*f*): At eas inter neque universe eo Sæculo erat tabella Evangelii S. Johannis, cum non adhuc universe obtinuisset Missale S. Pii V. Sane antequam prodiret *missale* ab eo *correctum*, Evangelium S. Johannis in fine Missæ non recitabatur (*g*).

Tandem Evangeliorum Codex super ipsum Altare perpetuum erat, ut dicemus c. IX., quod Græci super Αντιμινσιον (nobis *Corporale*) deponebant (*h*).

Altaris mensa mantili cooperitur, quod *mappam* vulgo appellamus. Illa autem linea erat ab antiquis temporibus in Occidente, cum ab Anastasio Bibliothecario IX. Sæculo tribuatur S. Silvestro Rom. P. linei

(*a*) *Simeon. Thessal. l. de Sacram.*

(*b*) *Goar. in Euchol. de Eccl. Altari.*

(*c*) C. 22. & 53.

(*d*) *Leo IV. Homil. de Pastor. solicit.*

(*e*) *V. Vitam S. Gaubergii ap. Mabill. Annal. Ord. S. Ben. Sacc.* III. *parte* 2.

(*f*) *A.*1594. *tit.*24.

(*g*) *V. Bona Rer. Liturg. l.*2. *c.*20. *n.*5.

(*h*) *Sim. Thessal. ib.*

linei hujus mantelis inventio (*a*), etsi Polidorus Vergilius illud tribuat Bonifacio III. (*b*) qui vixit VII. ineunte Sæc., quod probabilius nobis videtur. Verum hi loquuntur de eo mantile, quo Altare perpetuo cooperitur, quod *mappa* nuncupatur, minime autem de eo linteo, in quo sacra peraguntur misteria, quod *Corporale* appellamus: *Corporalis* enim meminit Sæc. V. Isidorus Pellusiota (*c*) του ειλητου nomine, ab ειλεω h. e., *involvo*; ex quo patet Corporale non fuisse velut Altaris mantele, sed Altare eo sternebatur in Liturgia, qua peracta complicabatur. Sane Corporale totum olim cooperiebat Altare; Sacerdos enim postquam illud straverat super mensam, hinc inde ita pendebat, ut supra panes consecrandos revolvi posset, illosque *cooperire* (*d*). Quæ quidem Corporalium forma sensim arctari cœpit, post quam *missæ privatæ* obtinuerunt in Ecclesia, in quibus cum separatim quisque Euchariſtiam reciperet, simul fideles, ut olim, in eadem Liturgia non *communicaverunt*; hinc alicubi ad Sæc. usque XIII. adhuc *Corporale* totum cooperiebat Altare (*e*). Duo itaque erant Altaris velamina olim, unum quo semper tegebatur, alter, quo tantum in Liturgia, cum nonnisi XVI. Sæculo duobus linteis perpetuo Altaria obtecta sint (*f*). Hinc duobus hisce linteis utendum esse etiam post editas a S. Pio V. Rubricas nonnullli docuerunt (*g*).

O 3 Græ-

(*a*) *In Silvestro, V. Raban. Maur. de Inst. Cler. l.1.c.33.*
(*b*) *De Inv. Rer. l.5. c.6.*
(*c*) *L.1. ep.123.*
(*d*) *Ex Ordine Rom. in tit. Ordo Process. ad Eccl. ap. Mabill.*
(*e*) *Durand. ib. l.8. c.9. n.2.*
(*f*) *Syn. Tolosan. A.* 1590., *& Andegaven. A.* 1507.
(*g*) *V. Suaref. in 3.p. sum. Divi Thomæ Disp.81. sect.6., & P. Scorsian. de Sacr. Sacrif. Mis. l. 2. c. 14.*

Græci vero xv. Sæc. jam multis utebantur Altaris mantelibus. Etenim ſuper quatuor menſæ latera primo habebant τὰς εὐαγγέλιστας, quatuor ſcilicet panni holoſerici fruſta, ſic appellata, cum illis quatuor Evangeliſtæ depicti eſſent. Deſuper illa erat nappa linea, dicta *κατὰ σάρκα ad carnem*; eo quod Altari, quod Corporis Chriſti typus eſt, adhærebat. Super κατα σαρκα tandem alia erat *mappa*, τραπεζοφορον dicta. Supra illas tandem ſacrum facturi ειλετον Corporale ſternebant (*a*).

Tandem de altaris *Pallio* (italice *Paliotto*) dicendum mihi eſt. Eo olim carebat Altare, cum illius *cavum* cuique pateret ex utraque parte; ut antiqua hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta docent (*b*). Sub Leone Rom. Pontifice hujus nominis III. primo Altaris *Pallia* obtinuere, quibus ille cœpit *altaria inveſtire* (*c*), Sæc. ſcilicet VIII. Illa autem jam tum e ſerico erant panno, in quo ſacræ hiſtoriæ acu, vel coloribus pictæ viſebantur (*d*).

Græci olim in Presbyterio hinc inde ab Altare duas habebant parvulas menſas, quarum una διακονικον nuncupata erat; altera προθεσις. In prima veſtes ſacræ, Vaſa, & Libri ſacri parati erant, cum Liturgiam peragerent: in ſecunda panis, ac vinum (*e*): forte a Græcis mos ille Latinis manavit, qui duobus illis menſis (italice *Credenze*) utuntur in ſolemni Liturgia.

CAP.

(*a*) *Ex Simeone Theſſal. L. de Templo, & Miſſa*.
(*b*) *V. Socrat. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 5., & ea quæ diximus c.* IV.
(*c*) *Anaſt. Bibl. in Leone III. & Leone IV.*
(*d*) *Id. in Leone III., Greg. IV., & Serg. II.*
(*e*) *Ex Cangio Conſtantinop. Chriſt. l. 2., V. Scheleſtrat. Diſſ. 4. in c. 4. Conc. Antioch.*

CAP. VII.

De Vasis Sacris.

SAcra Vasa appellamus illa quibus in Liturgia utimur. Hujusmodi sunt *Calix*, *Patena*, sive *Patina*, *Pixis*, *Amulæ*, *Turibulum*, ac *Thymiamaterium*, quibus olim addebantur *Colum*, & *Fistula*, de quibus nunc singillatim.

§. I.

De Calice, Fistula, & Colo.

Inter Vasa sacra primo loco numerandus est *Calix*, vas illud in quo vinum consecratione fit Sanguis Christi. Hinc cum Sacrificium ipsæ Christianæ Ecclesiæ coævum sit; nemo ambigit *Calicibus* ab initio usam esse Ecclesiam. Calices autem initio ligneos fuisse ante Zepherini Rom. Pontificis ætatem; ab eo autem vitreorum calicum usum in Ecclesia inductum fuisse, testatur liber Pontificalis, qui Damaso summo Pontifici adscribitur (*a*). At quisquis sit hujus libri, auctor, qui quidem Damaso recentior ferme erit, nullimode repugnat primi, atque secundi sæculi genio, ac moribus tum Orientalium, tum Latinorum vitreorum calicum usus. Veteres enim a remotissimis usque temporibus vitreis calicibus usi sunt, postquam inter Phœnices vitreorum ars casu orta est (*b*). Hinc Romæ obtinuit vitreorum usus, quæ primo a Lesbo (*c*) inde ab Egypto illuc afferebantur (*d*). Ac tandem ipsa vetra-

(*a*) C. 16.
(*b*) *Plin. l.* 36. *c.* 26.
(*c*) *Athenæ. Dipn. l.* 11. *c.* 16.
(*d*) *V. Martial. l.* 11. *epigr.* 115., *e l.* 12. *epigr.* 4.

ria ars Romæ obtinuit (*a*), atque etiam in Galliis, & Hispania (*b*). Hinc Plinii historici ætate parvi pretii vitrea pocula tum Romæ tum, alibi evaserant, illa nempe, quæ communioris erant usus (*c*). Cum itaque vitrea neque rariora, neque magno essent pretio, persuadere mihi nequeam primos Christianos ligneis calicibus uti maluisse, cum faciliori negotio vitreos calices, quam ligneos, qui obsoleti jam erant, comparare sibi possent, eo vel magis quod illi in eorum mensis vitreis quoque utebantur (*d*). Quamobrem Tertullianus calicum vitreorum meminit, quos picturis ornatos fuisse innuit (*e*), cujusmodi erant vitrea pocula Plinii ætate (*f*), & vitrea fragmenta, quæ antiquis loculis Christianorum impacta reperiri Romæ in Catachumbis testantur Reinesius, & Bonarrotius. Hinc etsi post IV. Sæc. argenteis passim, atque aureis calicibus usa sit Ecclesia, vitreorum calicum usus reliquus fuit vel Monachis (*g*) vel umilioribus Ecclesiis (*h*); neque pro re nata Episcopi, egenis quandoque sublevandis aureis calicibus venditis, vitreos adhibere veriti sunt (*i*).

Verum in antiqua Ecclesia duo erant calicum genera, alii enim *minores* appellati, alii *ministeriales* (*k*). Cum

(*a*) *Strab. l.* 10.
(*b*) *Plin. l.* 36. *c.* 26. (*c*) *Id. ibid.*
(*d*) *Clem. Alexandr. Pedag. l.* 2. *c.* 3.
(*e*) *Libr. de Pudicitia.*
(*f*) *Plin. ibid.*
(*g*) *Hierony. ep. ad Rustic. Monach.*
(*h*) *V. Testament. S. Remigii edit. a Cassandro.*
(*i*) *V. Hilarii Arelat. Episc. Vit. ap. Bolland.* 5. *die Maii num.* 11.
(*k*) *Vide passim Anast. Bibl. in Vit. Pontif.*, *& Pontificale Damasi in Silvestro.*

Cum enim per ea tempora laici *communicarent*, *sub utraque specie* capax non erat unus ille calix, quo in Liturgia Episcopus utebatur, tanto vino, quanto opus erat omnibus, qui aderant, fidelibus. Is itaque *minor calix* dicebatur; ille vero, quo vinum ad Altare ferebatur, vel in quo illud consecratum versabatur, & a Diaconis fidelibus ministrabatur, *Ministerialis* appellatus est. Quare hujusmodi calices multo vino capaciores fuisse illorum pondus testatur, quod trium, quatuor, ac quandoque quinque librarum erat (*a*). Calices itaque ministeriales ad Altare ferebantur juxta *communicantium* numerum, eo ut quandoque septem calices ministeriales deferrentur ad Altare in frequentioribus Ecclesiis. Ministeriales autem calices obsoleti videntur, cum usus communionis sub utraque specie defiit, ut dicturi sumus; ac ipse Calix Liturgiæ paullatim minor antiquis evasit.

Cum Diaconus in Ministeriali calice vinum effunderet, *Cholo* utebatur. *Cholum* erat *instar schutellæ, cujus minutissima foramina pulcherrimum opus reticulatum efformabant* (*b*), per quod vinum in Calice fundebatur, ne immundum aliquod in vino consecrando caderet. *Cholo* usa est Ecclesia Latina a VI. Sæc. (*c*) ad Sæc. forte XII., etsi in antiquis monasteriis Choli usus ad præteritum Sæculum usque perstiterit (*d*).

Tandem etsi olim frequentior esset in Ecclesiis usus tradendi Christi sanguinem fidelibus, calice eorum ori admoto; tamen nonnullibi tum laici, tum Presbyteri, atque clerici *calamo* illum e calice suggebant, cujus

(*a*) *Anastas.*, & *Damas. ib.*

(*b*) *Bona Rer. Liturg. l.* 1. *c.* 25.

(*c*) *V. Histor. Episcopor. Antissidior. ap. Labbe. Biblioth. Novæ t.* 1.

(*d*) *V. Martene ibid. l.* 1. *c.* 4. *Art.* 6.

cujus *calami* meminit inter Moguntinæ Ecclesiæ cimelia Auctor libelli *de Veteribus Moguntiacensis Ecclesiæ Thesauris* Sæc. x. Hinc Romæ Pontifex Romanus antiquum servavit morem, cum is Sacrum facturus calamo sive *fistula* aurea e calice Sanguinem exugat una cum Diacono, & Subdiacono, qui illi in Liturgia adsunt (*a*).

§. II.

De Patena, & Pixide.

Patena, vel *Patina* a Latinis; λοπος a Græcis appellatur vas illud, in quo Panis Altari offertur in Liturgia, cum vas *late patens* sit (*b*). Initio Ecclesiæ vitreas fuisse patinas, eadem argumenta, quæ præcedenti §. allata sunt, nobis persuadent; etsi in laudato Pontificali Damasi (*c*) eidem Zephirino R. P. vitrearum patenarum inventio tribuatur. Post iv. Sæc. argenteas, atque aureas patenas Ecclesiæ opulentiores habuerunt, quod tandem præsertim post vii. Sæculum ubique Ecclesiarum obtinuit. Duplicis etiam generis erant patenæ, vel *parvæ*, vel *Ministeriales*. Parvæ siquidem dicebantur illæ, quibus celebrans utebatur in Liturgia; *Ministeriales* autem erant patenæ illæ, in quibus panis a fidelibus oblatus Altari offerebatur, cum in iisdem Subdiaconi ferrent frustra consecrati panis populo elargienda, quare a *ministrando* ministeriales appellatæ sunt. Vide de hujusmodi patenis, quæ dicemus in i. Dissertatione tom. iii. Hinc videtur parvas patenas olim in Liturgia nullius usus fuisse, siquidem panis

(*a*) *V. Chokier. In Fac. Histor. Centur.* 2. *c.* 16.
(*b*) *Isid. Orig. l.* 20. *c.* 4.
(*c*) *c.* 16.

panis non in patena super Altare collocabatur, sed, ut dictum est, super *Corporale*, cum omnes fideles una simul *communicarent* in Episcopi Liturgia, neque panis ad illam formam, quam nos inter obtinet, adhuc redactus esset. Post IX. itaque Sæc., in quo solemnis illius Liturgiæ conventus desiit, & fideles in privatis missis singulatim fere *communicare* cœperunt, neque consecrandi panis oblatio, ut olim, ab illis fieret; minores illæ patenæ obtinuerunt exilioris nimitum *hostiæ* capaces, in quibus panis collocari cœpit in ipsa Liturgia, ministerialibus illis patenis omnino obsoletis.

Vas illud, in quo Eucharistia, absoluta Liturgia, servatur, *Pixis*, *πυξις* sive *Pixomelum* nuncupatur, quod equidem animadvertendum est longe differe a *κυβωριω*, (*ciborio*) quo nomine hodie appellatur Arcula illa, in qua pixis servatur. *Pixidis* ligneæ olim usus ab antiquissimis temporibus in Ecclesia obtinuit, qua tandem ætate e pretiosiori metallo conflari cœperit dicemus in I. Dissertatione tom. III., in qua fusiori calamo tum de Pixide, tum de Ciborio edisseremus.

§. III.

De Amulis, Thuribulo, ac Thymiamaterio.

Amula, dicebatur *vas illud in quo vinum Altari offerebatur* in Liturgia (*a*). Itidem *Hama* idem vas appellatur, quo nomine olim donata sunt vasa aquaria rotundioris formæ, & ventris globosioris (*b*). Ejusmodi vase antiquitus opus erat in Liturgia, cum omnes, qui aderant, fideles vinum consecrandum offerrent; illud enim

(*a*) *Ordo Rom. Biblioth. Patr.*

(*b*) *V. Turneb. Adversar. l. 19. c. 23.*

enim a minoribus clericis in ejusmodi *Hamulis* servabatur, ut inde in calice versaretur. Hinc magni erant ponderis, & quidem argenteæ in opulentioribus Ecclesiis (*a*). Tandem postquam populi oblatio desiit, & *hamulæ* usus evanuit, ac ejus loco parvæ illæ obtinuerunt phialæ (*ampullæ*) quibus nunc utimur, quarum Sæc. XVI. meminit Pontificale Romanum Leonis X.

Thuribulum nuncupatur vas, in quo tus adoletur in Liturgia, Θυμιατήριον *Thymiamaterium* quandoque dictum, etsi olim altero hoc nomine stabile quoddam vas veniret, in quo tus, aliaque suaveolentia thymiamata in Ecclesia adolerentur (*b*). A primis usque temporibus tus in Liturgia oblatum est, eoque usa est Ecclesia in sacris Mysteriis (*c*), ut dicemus infra (*d*); quare ab antiquo vasa ture adolendo adhibuit Ecclesia. Ea sane talia erant, ut manu ferri possent a Sacerdote qui Altare circuibat ex antiquis Liturgiæ præceptis, hinc illud *Altaria adolere* apud antiquos Patres (*e*).

Cujus equidem formæ illa olim fuerint, ignoratur. Tribus autem catenulis, ac vase inferius, superius operculo constabant Sæc. XII., ut videre est in antiquo musivo illius sæculi apud Ciampinium (*f*). Hæc autem Thuribuli forma universe in Occidente obtinuit Sæc. XIII. (*g*); neque a nostris haud longe distant Græcorum thuribula.

CAP.

(*a*) *V. Libr. Pontif. Damasi in* Marco.

(*b*) *Synod. Æcum.* VII. *Act.* 4., *Ambros. de Sacerd. l.* 4. *c.* 1.

(*c*) *Canon. Apostolor. cap.* 3.

(*d*) *Sect.* II. *c.* 7.

(*e*) *Auctor. Comment. in Luc. c.* 1.

(*f*) *De sacris Ædif. c.* 24.

(*g*) *V. Innocent. III. de Myst. Mis. l.* 2. *c.* 16., & *Durand. Ration. l.* 4. *c.* 10.

C A P. VIII.

De Sacris Vestibus.

TRibus primis sæculis sacros Ministros aliis a civilibus indumentis in sacra Liturgia usos fuisse, nulla docent monumenta; neque verosimilius videtur in tanta temporum calamitate discrimen aliquod inter civiles, atque Sacras vestes inditum fuisse, cum Ecclesia ea tempestate vel leviora effugeret argumenta, quibus Paganorum oculis pateret. Aliquibus saltem persuasum est, easdem fuisse civiles atque Sacras vestes tunc temporis; at quotidianis exutis, mundioribus indui solere Episcopos Sacrum facturos: a qua equidem sententia minime discendendum esse putamus, cum etsi Sacræ vestes, quarum meminere Ecclesiastici scriptores etiam post IV.Sæc. eaedem forent ac civiles, quod ad formam, differebant tamen quoad colorem, ut dicturi sumus.

Tunica igitur talaris, ut diximus, civilis erat Sacrorum ministrorum vestis, quæ postea variis nominibus nuncupata est, uti *Casulæ*, & *Penulæ*, & inter Græcos ποδήρης; quibus sane nominibus talares quoque laicorum vestes veniebant tum Romæ, tum alibi ad Sæculum usque VI. (*a*). *Penula* quandoque muliebris quædam vestis appellata est (*b*), quæ quidem nonnisi ornatu a virorum illa, quæ eodem veniebat nomine, differebat (*c*). A *penula* forte *planeta* facta est, cum antiquioris *planetæ* figura *penulæ* plane acce-

(*a*) *V. Johan. Diacon. in Vita S.Greg. Magn. l.* 4. *c.*38., *& adnotat. Bollandistar. ibid.*

(*b*) *Cicero ap. Quintil. Instit. l.*8. *c.*3.

(*c*) *V. Trebell. in Quieto inter Script. Hist. Augustæ* 10, 2.

cedat. Quare nonnisi vi. Sæculo vestis illa, quæ olim *penula* dicebatur, *planeta* nuncupari cœpit, ac primo quidem in Concilio Toletano iv. (*a*).

Alba pariter appellabatur civilis quædam vestis tum Romanis, tum Hispanis, aliisque communis, quæ loris, sive fimbriis purpurei, vel alterius coloris ornabatur; hinc cum lora quandoque multiplicari solerent, dicebantur *Albæ monolores*, unius lori, *dilores* duplicis, *trilores* triplicis lori (*b*).

Orarium Romanis itidem commune fuit, quo utebantur ad sudorem tergendum. Hinc Imperatores in ludis *oraria* populo donabant (*c*).

Hae itaque vestes cunctis olim communes erant, ac cleri propriæ fuerunt, post quam a laicis desuetæ sunt; hinc liquido patet etiam post iv. Sæculum, in quo Episcopi hisce vestibus usi sunt in Sacris, civiles vestes a Sacris quod ad formam minime differre. Cum autem Patres *Sacris vestibus in usu quotidiano non utendum* (*d*), atque *alterum habitum Religionem* habere *in ministerio, alterum in usu, vitaque communi* (*e*) dicant, non de vestium forma locutos certe putamus. Sane cum Relligionis decori summopere illi studerent, Sacra facturi quasdam habebant vestes etsi forma a civilibus haud dispares, sacris tamen usibus, atque mysteriis obeundis consacratæ, cum non auderent iisdem vestibus, quibus induti erant, *in usu vitaque communi*, Sacra mysteria celebrare. Quod si aliqua saltem in re Sacra a civilibus indumentis differrent, id mihi forte

(*a*) *An.* 547. *c.*27.

(*b*) *Vopisc. in Aureliano. Script. Hist. August. t.*2.

(*c*) *Id. ib.*

(*d*) *V. Epist. Stephani R.P.* iii. *ap. Baron. ad An.*260. *num.* 6.

(*e*) *Hieron. in c.* 44. *Ezechiel.*

forte videtur colore tantum fuiffe, nam album colorem in veftibus facris a IV. Sæc. appofite animadverterunt antiqui Ecclefiæ Scriptores (*a*), quare albo colore in Sacris veftibus diu ufa eft Ecclefia. Nam ad IX. ufque Sæc. ne alius quidem color præter album in Sacris veftibus obtinuerat, ut plane teftantur Romanorum Pontificum gefta ab Anaftafio fcripta. In illis quippe paffim fit mentio *paramenti*, vel *veftis aureæ* variis quidem nominibus, nimirum *de Blatti*, *Blattim*, *de Olovero*, h. e. ferico panno albo *auro*, *ac purpureo* colore ornato: vel *de Stauraci*, *de Fundato*, h. e., aureis laminis conteftæ, quæ fi e puriori auro erant dicebantur *de Spanifco*. Tandem *Chryfoalbæ*, albi nempe coloris aureis claris ornatæ, vel *Albæ rofatæ*, rofeis fcilicet clavis illufæ. Rarius tamen facrae veftis *Tyriæ*, vel *de Rubro* ille meminit, cujufmodi forte dicebantur ob hiftorias ferico panno albi coloris acu depictas, quæ de more purpurei coloris effingebantur (*b*). Poft IX. Sæc. fenfim alii obtinuere colores, at nonnifi poft XI. Sæc. tandem quinque colores illos, quibus hodie utimur, in Sacris veftibus recepit Ecclefia, primus enim illorum meminit Auctor libri *de Divin. Officiis* (*c*) perperam Alcuino adfcripti, XI. fcilicet Sæculi opus ex Mabillonio (*d*), ac poft illum Sæc. XIII. Durandus Mimatenfis (*e*), & Innocentius R.P.III. (*f*). Græci autem circa ea tempora iifdem uti coloribus cœperunt, qui quidem in eo

(*a*) *Nazianzen. ap. Ifidor. Pelufiot. l.* 1. *ep.* 136.

(*b*) *V. Anaftaf. in Leone III.*, *Greg. IV. Serg. II.*, & *Leone IV.*

(*c*) *Cap. de fingul. veftib.*

(*d*) *Annal. Ord. S. Bened. Sæc. IV. part. I.*

(*e*) *Ration. l.* 3. *c.* 18. *n.* 1. 9. & 10.

(*f*) *L.* 1. *de Myfter. Mif. c.* 65.

eo tantum a Latinis discreparunt, quod purpurei coloris vestibus *in solis jejunii diebus*, *ac mortuorum memoriis utebantur* (*a*). Brevi nunc de singulis sacris vestibus.

§. I.

De Amictu, Alba, & Cingulo.

Sacerdos itaque Sacra facturus primo *Amictu* induitur, qui a IX. Sæc. inter sacras vestes enumeratur ab Auctore libri *de Divin.*, *& Ecclesiastic. Officiis* qui perperam Amalario Fortunato tribuitur (*b*). Ille autem ait, *amictum vestimentum* esse, *quo collum undique cingimus*, ex quo patet non ad caput tegendum initio Amictum usui Sacerdotibus fuisse, sed collum dumtaxat illo *amicisse*, quod luculentius testatur ipsum nomen, quo donatur in Ordine Romano (*c*), nempe *Anagolai*, vel *Anagolagi* cum circa gulam cingeretur. Quin olim, super *albam* eo induebatur Sacerdos (*d*), quod ad præteritum usque sæculum obtinuisse tum in Mediolanensi, tum in Lugdunensi Ecclesia testatur Martene.

Alba, italice *camice*, communis olim, ut dictum est, vestis, ποδήρης antiquitus nuncupata *tunica* nimirum *talaris ad pedes usque pertingens* (*e*), Latinis etiam *podortes* dicta (*f*), & Græcis recentioribus ποδόρτιον (*g*). Illa itaque definitur *tunica Sacerdotalis linea corpori astri.*

(*a*) *V. Jur. Orient. t.* I. *Const.* XXIX. *Cabisil.*
(*b*) L.2. *c.*40.
(*c*) *Ap. Mabill. Mus. Ital. t.*2. *Ordo* V.
(*d*) *Ordo Rom.* V. *ib.* §.1., & 2.
(*e*) *Suid. in Lex. h.v.*
(*f*) *Ap. antiq. Juvenal. interpr. Sat.* I.
(*g*) *Ap. Achmet. Introd. in Astrolog. c.*217.

stricta, *& usque ad pedes descendens* (*a*), quæ quidem linea ubique fuit (*b*), & Στιχαρίον apud Græcos Liturgistas appellatur (*c*). Verum animadvertendum est IV. jam Sæculo *albam* alicubi obsolescere cœpisse a civili usu, quare in Carthaginensi Ecclesia eodem Sæculo sancitur ne Sacerdos sacrum faciat, neve Diaconus Liturgiæ adsit *sine alba* (*d*): At tandem Sæc. VI. ubique locorum alba a laicis desueta videtur, ac unius Cleri propria (*e*), cum in aliquibus dumtaxat Germaniæ locis Alba adhuc usi sint laici ad Sæc. usque IX. (*f*). Universe itaque a VI. Sæc. vestis Sacerdotum, ac Diaconorum propria erat in sacris (*g*), ac in Galliis dumtaxat ea utebantur etiam Subdiaconi, & Lectores (*h*) ad Sæc. usque X.; Ab eo enim sæculo clericis minoribus usui fuerunt Albæ quædam ab illis Presbyterorum, ac Diaconorum differentes, cum breviores essent, neque ad talos usque pertingerent, quæ *superpellicea*, & *Cottæ* Sæc. XIII. appellatæ sunt (*i*); verum ad Sæc. usque XVI. longiores illis, quibus hodie clerici utuntur, erant, ac laxiores (*k*). Tandem *Alba* Sacerdotalis *undulata* dicitur a Græcis medii ævi (*l*), ex iis forte veluti sulcis, quibus corpori adstricta circum

(*a*) *Isid. Etymolog. l.19. c.21.*
(*b*) *Hieron. epist. ad Fabiol.*
(*c*) *In Liturg. Chrysost., & ap. German. Patriarch. in Hist. Eccles. ap. Meurs. in Glossario.*
(*d*) *Conc. Carth.* IV. *c.* 61.
(*e*) *Greg. Turon. de Glor. Confess. c.*20.
(*f*) *V. Statuta Regin. Abbat. edit. a Baluz. c.* 20.
(*g*) *Greg. Turon. ib., Conc. Tolet.* IV. *c.*28.
(*h*) *Conc. Narbon. c.*12. *A.*585.
(*i*) *A Nic. R. P. III. ap. Rainald. ad An.*1278. *n.*79.
(*k*) *Conc. Basileen. sess.*21. *c.*3., *& Senonen. A.* 1528.
(*l*) *Ap. Constant. Cabasil. quæst.* IV. *ad Demetr. Chomat.*

cum ornatur ; ex quo vide medio ævo in furculos illos, ut nos inter obtinet, albam diduci cœpisse. Postremo de albæ laeernis, sive loris diximus capitis hujus initio, quorum usus antiquissimus erat, quare ποδηρης ipsa lora Albæ adsuta quandoque dicebantur (*a*): pro loris tandem obtinuere post Sæc. XVI. reticulæ filo, vel auro contextæ, ut illius ævi picturæ testantur, quibus etiam lora purpurei coloris subtexebantur, quod inter Dominicanos, aliosque ad nostram usque ætatem factum videmus.

Cingulo restringitur Alba, ne laxe per pedes *defluat* (*b*). *Cinguli* nomen invenitur apud IX. Sæc. scriptores, quod etiam *Zona* (*c*) a Græcis Ζωη appellatur. Ejus usus apud omnes invaluit veteres, qui talari veste usi sunt (*d*). Olim in Ecclesia amplior erat, ac largior, ut in antiquis Musivis apud Aringhium, ac Ciampinium videmus, quod etiam IX. Sæc. testatur Riculphi Episcopi testamentum (*e*), in quo *Zona auro ornata dicitur*. Sane veteribus Zonæ pro marsupiis erant (*f*), adeoque largiores, a Græcis propterea etiam medio ævo Καταθεσίαι dictæ (*g*) h.e., *repositoria*. A Sæc. XVI. Zona ad funiculi instar evasit. Vide illius ævi picturas.

§.II.

(*a*) *Suid. in Lex. ib.*
(*b*) *Vulgat. Alcuin. ib. c. sequenti de vestim.*
(*c*) *Ex antiquo Sacramentar. Turonen. Sæc.* IX. *ms. ap. Charton.*
(*d*) *V. Sabellic. in Comment. ad ep. 2. l. 2. Horatii.*
(*e*) *Ap. Lupum Ferrar. ep.* 89.
(*f*) *V. Sabellic. ib.*
(*g*) *In Græc. Menolog. mense Julio , & Augusto: ap. Meurs.*

§. II.

De Stola, & Manipulo.

Stola, a Græcis ὠραριον dicta, στολη græcum nomen eſt, quo unumquodque indumentum deſignatur (*a*). Nonnulli putarunt Diaconorum, atque Sacerdotum inſigne eo nomine donatum fuiſſe, cum olim *Stola* integra quædam veſtis eſſet, cujus extrema lora tandem illi retinuerunt: at hi plane falluntur. Quid enim initio Stola fuerit docet nos græcum nomen του ωραριου (*Orarii*) cujuſmodi, ut diximus, appellatum erat Romanos inter linteolum quoddam, quo illi ſudorem, ac naſus pituitam detergebant, ea de re a Græcis ωραριον dictum, quaſi εκμαγειον του προσωπου (*b*), illo quippe vultum abſtergebant. Hoc autem linteolum, ſeu pannum olim militibus Romanis, poſtea civibus omnibus commune fuit, quod equidem humeros tegebat, ac ante pectus quadam fibula nectebatur, *lacerna* antiquo vocabulo appellatum (*c*). Sic in antiquis imaginibus Apoſtolorum tum in Vitreis fragmentis apud Bonarrotium (*d*), tum in muſivis S. Laurentii Romæ, in quibus Diaconi S. Laurentius, & S. Stephanus hunc pannum humero ſiniſtro geſtant. Stola itaque hæc, ſive *Orarium* commune indumenti genus olim erat, atque inde, ut aliis accidit veſtibus, Eccleſiæ miniſtris reliqua fuit, poſtquam inter laicos obſolevit. Hinc olim laxior illa erat, ac forte, ut laudatæ picturæ innuere videntur, circa fimbrias *loris* ornatæ, quæ cum tandem, ut antiquarum veſtium conditio fuit, coerce-

 ri

(*a*) *Ap. Suid. in hac. v.*
(*b*) *V. Zobell. Etymol. Græc. t. 2. ad V.* χειρομακτρον.
(*c*) *V.*
(*d*) *Oſſerv. ſopra gli Ant. Vetri.*

ri cœpisset, loris ferme retentis, ad torquis instar evasit. Tandem animadvertendum erit, olim ab humeris *orarium* super ipsa brachia descendisse, super quæ crispatum, tandem ante pectus fibula constringebatur, vel Zona; hinc a Græcis etiam medio ævo χειρομάκτρον, & a Latinis *Manuale* appellatur (*a*), quare postquam strictior evasit ante pectus *ad modum crucis* aptari cœpit, id quod a IX. Sæc. invaluerat (*b*). Ea autem vestis Sacerdotum, perinde ac Diaconorum propria erat, ita ut IV. Sæculo minoribus clericis ea uti vetitum esset (*c*). Illas vero sinistro tantum humero gestasse Diaconos testantur picturæ musaici operis superius laudatæ, & antiqua Concilia (*d*). Postremo prætereundum non est alicubi tum Stolæ, tum manipulo parva quædam tintinnabula adsuta fuisse, quod legimus in Testamentis Riculphi (*e*) & S. Meinuerci (*f*).

Manipulum Mapula, *Sudarium*, ac *Phanon* dictum, olim erat velum quoddam, quo utebantur manibus tergendis antiqui, quare illud supra brachium gestabant, potissimum in sacris mysteriis, ut decentius iis fungerentur. Quin imo illis olim Ecclesiæ ministros ad sputum conjiciendum usos fuisse reor ex nomine *Phanonis*, quo donantur etiam medio ævo a Latinis; apud Suidam enim φανὸς nuncupatur locus ille, in quo sordes conjiciuntur. Illud itaque olim inter insignia Sacrarum vestium minime recensebatur; post VI. Sæc.

(*a*) *Ap. Isidor. Etym. l.* 2.
(*b*) *V. Vulgat. Alcuin. de div. Offic. ib.*
(*c*) *In Conc. Laodic. c.* 21. 22. *&* 23.
(*d*) *Conc. Bracaren. I. c.* 9., *Narbon. A.* 589., *Toletan.* IV. *c.* 28. *&* 40.
(*e*) *Ap. Lup. Ferrar. ep.* 89.
(*f*) *Ap. Sur. c.* 110. *die* 5. *Junii.*

Sæc. in aliquibus Ecclesiis velut honoris insigne super sinistrum brachium ferri cœpit: tum forte a laici desuetum est: Hinc vides S. Gregorium Magnum Diaconis Ravennatensis Ecclesiæ manipuli usum in sacris indulxisse (*a*). Tandem IX. Sæculo tum Presbyterorum, tum Diaconorum commune erat (*b*), ac post XI. Sæc. etiam Subdiaconorum (*c*).

§. III.

De Planeta, Dalmatica, Colobio, atque Capitio.

Planeta, quæ ut dictum est, *Penula* olim dicebatur, ac medio ævo *Casula* (*d*). A Græcis appellatur φηνολης, vel φενολης (*e*), & medio ævo φελονης detortis litteris (*f*), & φελονιον (*g*). Φενολης autem *Stolæ Romanæ* genericum nomen erat (*h*). Eadem vestis *planeta* inde dicta est, græca pariter denominatione, quæ vestis hujus errabundam latitudinem forte indicat, á πλανητη *vagante*, *errabunda* apud Suidam: illa sane totum olim corpus circumambiebat a collo ad talos usque, aliqua parte scissa erat, ut testantur antiquæ imagines, de quibus edisseremus in nostra Dissertatione de Catacumba Neapolitana, ubi de hac veste sacerdotali plura. Hinc Græci eodem nomine donarunt amplum illud Patriarchæ pallium, & hanc Presbyterorum

(*a*) *L.* 2. *ep.* 54. *&* 55.
(*b*) *Vulg. Alcuin. ib.*, *vulgat. Amalar. Fort. l.* 3. *c.* 6.
(*c*) *V. Alexandr. de Alex. in Expos. Miss.*
(*d*) *Alcuin. ib.*, *&* *Innoc. de Myst. Mis. l.* 2. *c.* 58.
(*e*) *Ap. Suid.*
(*f*) *Ap. Codin. ib.*
(*g*) *A Germ. Patr. ap. Meurs. ib.*
(*h*) *V. Suid. in h. v.*

rorum vestem (*a*). Quapropter Presbyter sacrum peracturus limbum Planetæ hinc inde super brachia ad humeros revolvebat, cum vestis illa *manicis* careret.

Hæc autem vestis ad VI. usque Sac. laicis ipsis communis erat, a quibus tunc neglecta, solis tandem Presbyteris stetit: verum usque dum antiquam formam planeta obtinuit, Presbyteri *Dalmatica* veluti ea veste, quæ corpori magis hærebat, usi sunt, ac super illam *Planeta* induebantur (*b*); quod solis deinde reliquum fuit Episcopis, qui Dalmatica; ac *Pluviali* (quæ *planeta* antiquæ formæ est) utuntur. Ex quo plane liquet vestem illam, quam hodiedum *planetam* appellamus, olim laxiorem fuisse, neque hinc inde scissam, cujusmodi fuit ad Sæc. usque XIII., a qua ætate sensim arctari cœpit, ac tandem Sæc. XVI. ad eam, quam hodie obtinet formam, accessit.

Diaconi autem olim utebantur *colobio* κολοβίῳ quare vestis illa a Latinis medio ævo dicta est *Levitonarium*, h.e., Levitarum propria (*c*). *Colobium* autem antiqua fuit Romanorum vestis, qua ingenui utebantur olim (*d*), ac tandem Senatorum vestis evasit (*e*). Strictior illa equidem erat vestis, quæ breves habebat manicas ad cubitum vix pertingentes; quas sane vestes ἐξωμίδας appellarunt Græci (*f*). Ea itaque veste usi sunt olim Diaconi, cum *Dalmatica* Episcopi, vel Presbyteri propria esset a primis usque Sæculis (*g*) ad Sæc. ferme V., in quo Diaconi tantum Romæ

(*a*) *V. Codin. ib.*
(*b*) *Ex Joh. Diac. in V. S. Greg. Magni L.*4. *c.*83.&84.
(*c*) *V. Glossar. Vet. ap. Suicer. in Thesaur.*
(*d*) *V. Servium in* IV. *Æneid.*
(*e*) *Cod. Theodos. Libr.* 19. *tit.* 10.
(*f*) *Aul. Gell. Noct. Att. l.* 7. *c.* 12.
(*g*) *Ex Passione S. Cypria. Pontii Diac.*

næ Dalmatica utebantur, & Simmacus R. P. primo Diaconis Aurelianensis Ecclesiæ ea uti concessit (*a*). Hinc forte a VI. Sæc. ipsis Diaconis passim Dalmatica pro Colobio uti ceteri Episcopi indulxerunt, cum eo potissimum ævo Presbyteri, qui Liturgiæ aderant, planetam a laicis neglectam veluti peculiarem eorum vestem supra Dalmaticam adhibuerint, id quod aliqua ratione innuere videtur Walfridus Strabo (*b*). Hinc nullis nixi monumentis, si unum excipias Pontificale perperam Damaso adscriptum, medii ævi Scriptores docuerunt, a IV. Sæculo Diaconis Dalmaticæ usum concessum fuisse (*c*). Tandem Diaconorum Dalmatica post XIII. Sæc. ipsis Subdiaconis in Liturgia concessere Latini, quos inter Subdiaconatus ad sacrorum ordinum classem evectus est. Animadvertendum postremo (ne vel minima præterire videamur) *duas lineas illas ante, & retro a summo usque deorsum*, quæ Dalmaticæ adsuuntur, circa XIII. Sæculum obtinuisse, cum Durandus earum primus meminerit, qui *coccineas* semper ejus ævo illas fuisse testatur (*d*).

Unum demum addam de *capitio*, sive illo capitis indumento, quo Ecclesiæ ministri utuntur, italice, *berretta*. Siquidem ante Sæc. XIII. illis omnino vetitum erat ullo capitis indumento in Ecclesia uti, cum primo *ex privilegio almutia* adhibere indulxerit Canonicis Monachis Ecclesiæ Cantuariensis Innocentius R. P. IV. (*e*). Aliud autem erat *Almutium*, aliud *Capitium*, sive *Biretum*, hoc enim pilei quoddam genus

P 4 erat

(*a*) *Vide Vit. S. Cæsar. Arelat. Episc. l.* 1. *c.* 21.

(*b*) *De Reb. Eccl. c.* 24.

(*c*) *Alcuin. ibid.*, *Raban. Maur. de Inst. Cleric. l.* 1. *c.* 7. *aliique*.

(*d*) *Ration. l.* 3. *c.* 18.

(*e*) *Ap. Rainald. ad Ann.* 1243. *n.* 41.

erat, quo caput dumtaxat tegebatur. Illud vero a capite ad armos usque pendebat. Utroque olim utebantur laici, qui tandem solum retinuere *Capitium*; hinc Sæc. XVI. *almutium* clericorum proprium erat (*a*), at eo utebantur extra Ecclesiam; siquidem eodem Sæc. universe, cum sacris aderant, *quadratis* quibusdam pileis usi sunt (*b*), cujusmodi fere est ille, quem, ut dixi, itali *berretta* nuncuparunt.

C A P. X.

De Libris Sacris.

SAcros libros appellamus illos, qui canonicas continent Veteris, vel Novi Testamenti Scripturas, quæ in Sacra Liturgia leguntur, cujusmodi potissimum sunt Evangelia, atque Apostolorum Epistolæ, & Acta, & ex Veteri Testamento Prophetarum scripta. His adde Missæ *Canonem*, quem inter sacros libros merito recensemus.

§. I.

De Evangeliorum Codice.

Antequam de Evangeliorum Codice dicam, præmonendum censeo, olim haud in unum coaluisse librum Evangelia, Apostolorum Acta, Epistolæ, ac Prophetarum Scripturas, ut nos inter obtinuit a Sæc. forte X., ut infra dicemus; sed singulis voluminibus separatim Evangelia, Epistolæ, Acta &c. contenta fuisse. Quas

(*a*) *Conc. Remens. tit. de Canon. c.* 14. *A.* 1585.
(*b*) *Conc. Biturig. tit.* 12. *cap.* 3. *A.* 1583.

Quapropter ſingulatim de illis ediſſerere opere prætium erit.

Primis Eccleſiæ Sæculis peculiari quodam volumine unumquodque Evangelium inſcriptum erat, quæ quidem in unum redegit volumen, & ad Liturgiæ uſum accomodavit pro dierum ratione S. Hieronymus Sæc. IV. (*a*). Olim enim, tribus ſcilicet primis Sæculis, pro Epiſcopi plerumque judicio nullo præfinito ordine Evangelium recitabat Diaconus in Liturgia. Hinc variis voluminibus illa digeſta erant in Eccleſia, quorum cuſtodia lectoribus tunc demandata erat (*b*), tum ut illa a Paganorum oculis ſubducerent (*c*), qui Evangelicos codices flammis quandoque addixere (*d*); tum ut ab Hæreticorum manibus ſubtraherent (*e*). Evangelia autem ea ætate voluminibus ſcripta erant, cum poſtquam in ordinem digeſſerit illa Hieronymus, in unum Codicem redacta ſint; qui quidem Codex *Evangeliorum*, ſive *Evangeliſtarium* a Latinis (*f*), Ευαγγελιον a Græcis dicebatur (*g*).

Eccleſia autem ſumma relligione Evangeliorum librum proſecuta eſt. Hinc Evangeliorum Codices paſſim auro, ac gemmis obduxit (*h*). Et ne Hæreticorum interpolationibus paterent, quotidie abſoluta Liturgia

(*a*) *V. Honor. Auguſt. Gem. Ani. l.*1. *c.*88.
(*b*) *V. L.* 1. *ſect.* *c.* §.
(*c*) *V. Baron. in Præf. Martyr. & die* 2. *Januar.*
(*d*) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l.*8. *c.*2. *&* 3.
(*e*) *Optat. Milev. de Sch. Donat. l.*2. *& Auguſt. contr. Creſc. Gram. l.*3. *c.*7.
(*f*) *V. Ducange in h. v.*
(*g*) *Ap. Allat. de libr. Græc.*
(*h*) *Cedren. ad An.* XXI. *Conſtantini., V. Anaſtaſ. in Vitaliano, Leone III., Theodor. Lector. in Coll. Eccl. l.*2.*, Rupert. Abb. l.*2. *c.*23.

gia sigillo obsignabantur (*a*). Quod equidem etiam factum olim fuisse Romæ in Evangeliorum voluminibus testatur opus musivum Basilicæ Liberianæ absolutum sub Xisto III. Anno ccccxxxiii., in quo habetur Evangelii volumen, sive *rotulus* (ut postea appellatus est) septem sigillis obsignatum, quorum sex videntur veluti figurata, unum vero re indicat integrum voluminis sigillum, sex sane illa super volumina depingebantur sigilla præter reale illud, ut mysticum referrent Apocalipsei libri numerum (*b*).

Tanta sane erat veterum relligio erga hunc Codicem, ut a iv. Sæc. publicæ venerationi super Altaria illum collocarent, vel in eminentiori quodam loco in ipsamet Ecclesia (*c*). Quod contra Iconoclastas probaverunt Concilii Œcumenici CPolitani VIII. Patres (*d*). Hinc in ipsis Conciliis Generalibus Evangeliorum codex publice magnifico apparatu omnium prospectu supra Thronum positus est (*e*). Quod equidem in eadem aula, in qua publica judicia feruntur, faciendum statuit Justinianus (*f*), ut videre licet in figura, quam Pancirolus exhibuit in Histor. Imper. Orient. & Occident.

Hinc ab antiquo Evangeliorum codicem collo suspendebant fideles (*g*), quod vel ipsas fecisse mulieres Sæc.

(*a*) *Fulbert. Carnut. Episc. ep. ap. Baron. ib. c.2.*

(*b*) *Ap. Ciampin. ib. t.1. c.16.*

(*c*) *Aug. de Civit. Dei l.* 10. *c.* 29. *V. Musiv. S. Johan. Eccl. Ravennæ ap. Ciamp. ib.*

(*d*) *c.* 7.

(*e*) *Conc. Chalced., Constantinop. III., & IV., Nicæn. II., in Syn. Romanis A.* 642., 745. *&* 969., *V. Cyrill. Alexandr. Apolog. ad Theodos. Imper.*

(*f*) *L. Rem non Novam C. de Judic.*

(*g*) *Chrysost. hom.* 3. *in Matth., & Hierony. in c.* 32. *Matth.*

Sæc. v. testatur Isidorus Pellusiota (a); hinc medio ævo usus ille obtinuit, ut is qui donationem alicui faceret Ecclesiæ, Codicem Evangeliorum humero gestans Ecclesiam illam circuiret (b).

§. II.

De Lectionariis, & Libro Canonis.

Hieronymum Acta, & Epistolas Apostolorum, atque Prophetarum Scripturas Liturgico ordine Damasi R. P. jussu pariter digessisse, idem Gregorius Augustodunensis testatur (c). Qui sane codices in secretario, ut diximus, servabantur proprio quodam loco, qui *Librarium* dicebatur (d). Quo autem ordine hi Sacræ Scripturæ Libri juxta Liturgiæ rationem digesti essent a v. Sæc. testatur Sacramentarium Gelasianum, ac vi. Sæc. Gregorianum, de quibus infra. Græci vero a Latinis ea in re discreparunt, cum diversis codicibus Sacras illas Scripturas exarare maluerint. Hinc illi habent Ἀποστολον, Codex nimirum ex epistolis Canonicis, qui Πραξαποστολον quoque appellatur, eo quod Acta, & Apocalypsim etiam contineat. Αναγνωσεις vero nuncupatur codex ille, in quo Veteris Testamenti *lectiones* sunt.

Singulari etiam diligentia scriptus, atque servatus est Codex ille, qui *Canonem* Liturgiæ (medio ævo *Secretum*) continet. Quare *hominibus perfectæ ætatis* scri-

(a) *L.* 11. *ep.* 18.

(b) *V. Tabular. Eccle. Landavien. in Monastico Anglicano t.* 3.

(c) *Ibid.*, *Microl. c.*25., *Bernoc.*2.

(d) *Monach. Altissid. in Chron. ad An.*690. *ap. Martene Vet. Monum. Tesaur. t.*5. *& ap. Duchang.*

scribendus tradebatur (*a*), & *Archidiaconorum sollicitudini* mandatur, ut *Canonem* in unaquaque Ecclesia inspiciant, num mendis commaculatus fuerit, vel *Scriptorum falsitate*, vel *librorum vetustate corruptus* (*b*). Hinc majorum nostrorum religionem erga *Canonem* dilicidius testantur antiquus Codex Canonis Ecclesiæ Turonensis Sæc. IX., alter Bibliothecæ S. Germani a Pratis, & Codex Canonis Sæc. IX. Bibliothecæ Colbertinæ, quorum charta membrana est purpureo illita colore, in qua Canon aureis literis exaratus legitur (*c*).

C A P. XI.

De Libris Ritualibus.

RItuales libros habuit Ecclesia postquam paullatim canones sanciti fuere, quibus Liturgica res pro dierum, atque temporum ratione ordinata fuit. Latini duos habent ejusmodi Libros Rituale nimirum Romanum, & Pontificale Romanum, quibus adde *Rubricas* Missæ, de quibus dicendum. Græci plura habent *Ritualia*, eaque diversis nominibus pro rituum diversitate, donant.

Primus est Τυπικον a τυπος *regula*, cum in eo totius anni Liturgia tum Missæ, tum Psalmodiæ habeatur, hinc dictum etiam Διαταξις (*d*), & aliquando Li-

(*a*) *Capitul. Car. Magn. A.* 789. *c.* 7., & *Capitul. Reg. Franc. L.* 1. *c.* 68., & *L.* 6. *c.* 377.

(*b*) *Conc. Eboracen. c.* 31. *Sæc.* XII., & *Oxonien. cap.* 23. *Sæc.* XIII.

(*c*) *V. Duarenium de Codic. Aureis Antiq. c.* 5. *ap. Sallengr. t.* 5. *Edit. Amstel. A.* 1749.

(*d*) *V. Simeon. Thessal. Dial. contr. hæres.*

Liber Τακτικος, a τάξω *ordine* (*a*), ex quo forte Latini parili libro, quibus ii utuntur, *Ordinarii* nomen fecerunt. II. Οκτοηχος ab ηχοις *sonis* dicitur liber ille, qui cantiones Sacras *tono unicuique Dominicæ proprio* continet, qui quidem toni in quatuor simplices, & quatuor obliquos dividuntur. Sic olim Latini *Hymnaria* habuisse testantur, qui extant antiqui libri vulgo *Chorales*. III. Παρακλητικον lectiones omnes habet tum in Missa, tum in Psalmodia decantandas, quibus adjiciuntur preces pro dierum ratione, ideo παρακλητικον, h. e., *liber consolatorius* dictus. IV. Est Μηναιον, in quo duodecim distinctis libris pro unoquoque Mense continentur Officia, Missæ, Troparia, & Synaxaria uniuscujusque diei. Troparia autem τροπαρια dicebantur collectiones quædam antiquorum Canonum, quos Orientales certis canebant diebus in Liturgia post lectionem, & secundum αντιφονον (*b*). *Synaxaria* a συναγω *colligo* appellarunt Acta SS. tum Martyrum, tum Confessorum, quibus singulatim utebantur antequam Μηναια, eorum nimirum Kalendaria, prodirent, in quibus scilicet Acta collegerunt, ut in Liturgia legerentur. V. Tandem dicitur Ευχολογιον ab ευχαι *preces*, qui Latinorum Rituali respondet, cum in eo habeantur Orationes, Benedictiones, Ritus Sacramentorum, ac postremo ceremoniæ, & ritus funerum. Hi nempe sunt primi Græcorum Libri Rituales, quos recensuisse satis erit, innumeris aliis minoris momenti relictis.

Latini vero olim, ut diximus, plures, perinde ac Græci Libros Liturgicos habebant, neque in libri anteloquio canones Liturgici simul, ut nos inter obtinet, col-

(*a*) *V. Du-Cang. Gloss. Græc. Barb. in h. v.*

(*b*) *V. Theodor. Anagnost. Ecloga I. & German. Patriar. ibid.*

collecti erant, quos *Rubricam* appellamus. Hinc etiam medio ævo passim Scriptores, atque illius ætatis Chartæ meminere *Gradualis*, in quo erant psalmi quos in ea Liturgiæ parte, quæ epistolæ lectionem sequitur, cantabat Chorus: *Libri Orationum*, ubi orationes pro unaquaque Liturgia continebantur; *Lectionarii*, in quo lectiones, sive Epistolæ, & Veteris Testamenti libri in Liturgia legendi exarati erant: *Antiphonarii*, quod omnes psalmos alternis choris canendos continebat: *Evangeliarii*, in quo omnes erant Evangelistarum libri ex ordine Liturgico digesti. Quando autem in unum volumen (quod *Missale* appellatum est) omnia collecta sint pro certo statui nequit, verum ni mea me fallit opinio, illud factum esse mihi videtur circa Sæc. XII. ea quippe ætate vulgo inveni quorundam Missalium mentionem, quæ *Plenaria* dicuntur (*a*), non nisi quia omnes antea distinctos contineret Liturgicos libros, quare *Missalia Plenaria*, vel dumtaxat *Plenaria* dicebantur (*b*). Hinc eo nomine *Plenarii* quamplures falsi sunt Auctores, qui chartis medii ævi adsueti non erant; cum enim hi in vita S. Hadonis Episcopi Cenomanensis legissent in *Plenariis* scripta fuisse computa bonorum Ecclesiæ, *Plenarium* pro Computorum libro acceperunt; at perperam sane, nam cum de more ea ætate Presbyteri in chartis ipsius Missalis computus redditum Ecclesiæ describerent, id jubentibus ipsis Episcopis (ut legimus in statutis Odonis Episcopi Parisiensis) ea de re in *Plenario* (h. e. Missali plenario) bona Ecclesiæ,

(*a*) *In Act. Monaster. Murens. ap. Cang.*, *& in Testam. Hecardi Comit. ap. Perandum*.

(*b*) *Honor. Augustod. Gem. An. l.* 1. *c.*4., *& Sæc.* XIII. *Durand. Ration. Divin. Offic. l.*4. *c.*6.

siæ, ejusque redditus descriptos esse illius ævi scriptores dixerunt. Tandem Rubricæ (ita appellatæ a minio, quo effingebantur canones Liturgici in ipsis Missalibus, quorum nonnulla vidi Sæculi XIV.) in unum corpus collectæ sunt Sæc. XIV. exeunte A. MCCCCLXXXXII. a quodam Magistro ceremoniarum Romæ sub Inn. VIII., & Alex. VI. RR. PP.

C A P. XII.

De Veterum Christianorum Relligione erga Templa, deque illorum Immunitate.

CUm Templum Dei O. M. velut sedis habeatur, ipsi etiam Pagani maxima reverentiæ argumenta Templis exhibuerunt. *Si intramus templa*, ajebat Seneca (*a*), *compositi*; *si ad Sacrificium accessuri*, *vultum submittimus*, *togam adducimus*, *& in omne argumentum modestiæ fingimur*. Hinc illi ad Templorum *limites* procumbebant, *limitibus* ipsis oscula dabant, ipsam Templi *tellurem*, h.e., solum *perrepere*, & ad illius *postem caput tundere* solebant (*b*). Quæ quidem Relligionis officia optimo jure Christiani veri Dei Templis exhibuerunt. Hi nimirum *Templi vestibula deosculabantur proni*, *capitibus abjecti* (*c*). Templum ingressi eam silentii legem servabant, ut in avia solitutine cuique esse videretur (*d*); *a gemitu*, *screatu*, *tussi*, *risu* omnino *abstinentes* (*e*); quare ipsimet Christiani Im-

(*a*) *Natur. quæst. 7. c. 30.*
(*b*) *Tibullus l. 1. Eleg. 2.*
(*c*) *Greg. Nanz. Orat. 29.*
(*d*) *Cassian. de Inst. Mon. l. 2. c. 2.*
(*e*) *Ambros. de Virgin. l. 3. c. 9.*

peratores *foris arma relinquebant*, *& ipsum diadema Regiæ Majestatis insigne humiliter deponebant*, antequam Templum ingrederentur (*a*). Quapropter prætioso ornatu Christiani Templa decorarunt, marmoreis crustis, laquearibus auro nitentibus, atque Altaribus gemmis coruscantibus (*b*).

Hinc si Pagani Templa pro Asylo habuerunt (*c*), eo vel magis Christianorum Templa ipsimet Imperatores Asyli jure, atque maximis immunitatis privilegiis condecorarunt. De quo equidem jure brevi de more edisseremus. Jus itaque Asyli Christianis Templis ab Ecclesia condita indultum fuisse nullus dubitat, cum illud Templis, velut antiquum jus, asseratur Sæc IV. in Concilio Arausicano c.5. Rei sane ea ætate ad Templa confugiebant non solum Asyli caussa, sed potissimum ad Episcoporum *intercessionem* apud Principem sibimet conciliandam: Episcopi enim illud pietatis officium reis denegare non poterant, sed *sine cunctatione*, *& dubitatione* pro *illis veniam petere* opus erat (*d*), cum officium *Sacerdotii foret intervenire pro reis* (*e*), *& pro miseris Imperatores convenire* (*f*), *non ut illorum peccatis vel parcerent, vel* illa *foverent, sed ut in eos, qui correctionem promittebant, misericordes essent* (*g*). Quare Episcopis intercedentibus pœnis, ac ipsa quandoque morte reos Principes liberare solebant, ut tum ex

(*a*) *V. Theodos. Imp. Oration. in Act.* 1. *Conc. Ephes.*
(*b*) *Hier. epist.*2. *ad Nepotian.*, *Optat. Milev. l.* 1. *adv. Parmenian.*, *Cyrill. Hierolym. Catech.*24.
(*c*) *Tacit. Annal. l.* 3. *de Tiber. Cæs.*, *V. Samuel. Petit. l.*1. *ad Jus Attic. tit.*1.
(*d*) *Conc. Sardic. c.*5. *ap. Dionys. Exig.*
(*e*) *Macedon. epist. inter Epist. S. August. n.*152.
(*f*) *Ambros. epist.*41. *ad Theodos.*
(*g*) *August. ep. ad Macedon. n.*153.

ex laudata Macedonii epistola ad Augustinum, tum ex Synodi Rhemensis can. VII., aliisque innumeris monumentis colligimus.

At Asyli jus eodem IV. Sæc. in abusum excesserat, cum & ipsi etiam publicorum Tributorum debitores, ad Ecclesiam confugerent, & ab Episcopis, atque clericis in penitissimis quandoque Templi locis occulerentur; quare Theodosius Senior huic Asylorum juri modum figere curavit (*a*), ac *publicos debitores* asylo privavit, atque ipsos adegit Episcopos debito solvendo, si forte reum vel occultarent, vel defenderent. Quam quidem legem confirmavit eadem ætate Arcadius, & Honorius in Judæos, qui religionis simulatione *reatu aliquo, vel debitis fatigati* ad Ecclesiam confugiebant. Ceterum his exceptis criminibus sartum tectum præterea steterat asyli jus, cum Eutropii Eunuchorum principis opera Arcadius Imperator asyli jus omnino abrogavit (*b*): Hanc sane legem iniquo tulit animo Ecclesia, deque illa quæstus est Chrysostomus, habito in Eutropium sermone, & Africanæ Ecclesiæ Episcopi legationem Imperatori miserunt, *ut pro confugientibus ad Ecclesiam legem de gloriosissimis Principibus mererentur, ne quis eos auderet abstrahere* (*c*). Quare etiam post Constitutionem illam Templis asyli jus stetit, quod aperte colligere licet ex lege Theodosii Junioris. Is enim *ne in ipso Dei Templo, & Sacro Sanctis Altaribus confugientes* (ut irrelligiose fiebat) *cubarent, atque pernoctarent,* nova constitutione (*d*) non tantum Altare, ac interior

(*a*) *Cod. Theod. de His, qui ad Eccl. confug. Leg.* 1.
(*b*) *Socrat., Hist. Eccl. l.6. c.*5.
(*c*) *Canon. Codic. Afric. cap.*61.
(*d*) *V. hanc Constit. in Append. Concil. Ephesini Concilior. t.*3.

Templi pars, sed & *Templi septum*, totum nimirum adjacens Templo spatium asylo cedere reis decrevit; quibus tamen privilegium denegavit, si pertinaci consilio arma in Asyli loco deferrent, eaque Episcopo, vel clericis monentibus deponere nollent. Idem Imperator aliam promulgavit legem pro servis *ad Altaria confugientibus*, quos (modo arma non deferrent) voluit in Ecclesia retineri una tantum die, qua elapsa clerici denuntiarent illum domino, a quo metus caussa aufugit, ita ut Dominus illis indulgentiam impertiretur (*a*). Verum vigebat adhuc Honorii, & Arcadii lex de publicis debitoribus; hinc Leo Imperator, vulgo *Sapiens* dictus, hanc etiam Arcadii, atque Honorii constitutionem abrogavit, atque debitoribus asylo Ecclesiam cedere jussit, ne obligatis quidem Episcopis, vel clericis solvendo pro confugis debitoribus (*b*). At tandem nimis patentia Asyli jura coercuit Justinianus Imper. negato Asyli privilegio reis homicidii, atque adulterii, virginum raptoribus, nec non publicorum tributorum debitoribus (*c*). Hæ sunt Principum Leges de Templorum immunitate, quas tum Pontifices, tum Concilia comminatis in detrectores canonicis pœnis confirmarunt. Verum novissima ætate cum passim jus illud crimina fovere videretur, ac factiosis hominibus peccandi audaciam injiceret, tum Regum, tum Romanorum Pontificum opera intra eos limites, qui publico bono minime officerent, Templi immunitas redacta est. Plura quæ ad jus spectant, habes apud Canonistas, cum ea, quæ diximus, ad Asyli Templorum historiam delibandam supersint.

SE-

(*a*) *Cod. Theod. ib. L.* 4.
(*b*) *Cod. Justin. de his, qui ad Eccl. confug. L.* 6.
(*c*) *Novel.* 17. *c.* 7.

SECTIO II.

De Rebus Liturgicis.

Λειτουργία *Liturgia* græce dicitur *ministerium*, & *munus publicum* a λεῖτον *publicum*, & ἔργον *munus* (*a*), quare Magistratuum munia λειτουργίας Græci appellarunt (*b*). Hinc publicum illud ministerium, in quo tum Clerus, tum plebs Christiana publico cœtu Domino vel Psalmorum recitatione, vel Sacrificio debitum honorem refert, ab ipso nascentis Ecclesiæ ævo λειτουργίας *Liturgiæ* nomine donatum est (*c*). Nos itaque de Christianæ Ecclesiæ *Liturgia* dicturi, in duas partes illam dividimus, in *Psalmodicam*, & *Mysticam*, ac primo de *Psalmodica*, mox de *Mystica* edisseremus.

CAP. I.

Qua ratione rem Sacram indicerent olim Christiani, deque Campanis.

Ecclesia Christiana primis Sæculis per Diaconum fideles ad Ecclesiam advocasse, qui *Cursor* appellabatur, testis est S. Ignatius Martyr (*d*). Quam equidem consuetudinem retinuit Ecclesia usquedum stetit Paganorum Principum Imperium. At recuperata libertate neque *monitoribus* opus erat, cum Epi-

 sco-

(*a*) *Ex Suida in h. v.*

(*b*) *Isocrat. Orat.* IV.

(*c*) *V. Acta Apost. c.* 3., & *Lucas eodem vocabulo utitur cap.* 1.

(*d*) *Epist. ad Policarp. num.* 13.

ſcopus in Sacra Concione populo diem liturgiæ obeundæ ſacrum daret : quin immo populus, qui quotidie mane, ac veſpere Pſalmorum recitationi intererat, certior a miniſtris fieri poterat de indicto Liturgiæ die. Hinc animadvertendum appoſite ducimus, IV, V, & VI. Sæculo nullum fuiſſe vel Campanarum, vel aliorum inſtrumentorum uſum vocandis ad Eccleſiam fidelibus. Græci vero VIII. Sæc. quædam ligna pulſabant in maximæ lætitiæ feſtis, atque in ſupplicationibus, quæ quidem *αγία ξυλα* *Ligna ſacra* appellabantur (*a*); veruno nemo ad id temporis teſtatur, ad fideles convocandos *ligna* illa pulſaſſe Græcos, cum tantum in ſupplicationibus ea adhiberent; quos inter noviſſime ligni vice ferrea lamina obtinuit, quam hodiedum non ad indicendam Liturgiam, ſed in ea ſupplicatione, quæ fit, cum Euchariſtia ægrotis fertur, malleolo pulſant, eamque *αγιοσυδυρον*, h.e., *ſacrum ferrum* appellant. Qui enim opus fuit lignorum crepitu potiſſimum medio ævo, cum Eccleſiæ Kalendaria quiſque e populo legeret, in iiſque quæ feſta, quæve Magnæ Liturgiæ dies forent, per ſe inſpicere poſſet? Forte in magnis ſaltem Feſtivitatum diebus ſacra illa ligna ante Eccleſias pulſarunt lætitiæ cauſſa, de qua conſuetudine intelligendus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius, qui ait Orientales *ligna pro Campanis percutere* (*b*).

Latini ab VIII. ferme Sæc. *Campanas* habuerunt, quibus uſi ſunt ad populum ad Eccleſiam advocandum; Hujus enim Sæculi monumenta primum de Campanarum uſu in Ec-

---

(*a*) *In Syn. Nicæn. II. Act.* IV. *in libello Miracul. S. Anaſtaſii*.

(*b*) *Obſerv. in Act.* IV. *ejuſd. Conc.*

Ecclesia loquuntur (*a*), at illorum nemo de campanis, veluti de novissime invento instrumento, meminit; quare alii Sabinianum R. Pontificem Sæc. VII. Campanarum Auctorem faciunt (*b*), alii S. Paulinum Nolanum Episcopum Sæc. IV. (*c*); at nulla suppetunt pro utraque sententia solidiora, quæ mihi videantur, argumenta. Hinc opere prætium erit heic quæ forte fuerit campanarum origo indicare. Sane *Tintinnabulorum* usus antiquissimus tum penes Latinos, tum penes Græcos fuit, qui illa Κώδωνες nuncuparunt (*d*). Græci enim tintinnabuli sonitu *num milites in excubiis agendis vigiles starent, explorabant*, quare vigilum præfectus Κωδωνοφόρων, *tintinnabulum ferens*, appellabatur (*e*). Sic in festis Cibelis tintinnabulorum sonitu utebantur (*f*). Præterea ad publica opera tintinnabuli sonitu *mercenarii* appellabantur (*g*); ac tandem ipsi facinorosi homines, qui ad supplicia ducebantur, tintinnabula gestabant, ut probat Turnebus (*h*); quod medio ævo ipsos etiam fecisse Græcos testatur Zonaras (*i*). Latinos tintinnabula habuisse pluribus patet antiquorum testimoniis; hinc ante thermas illa pulsabant (*k*), in sus-

(*a*) *Capit. Car. Magn. L.* 1. *c.* 18., *Beda Hist. L.* 4. *c.* 23. *&* XI. *Sæc. Alcuin. vulgat. ubi supra, aliique*.

(*b*) *V. Gualter. in Chronolog. ad An.* 700.

(*c*) *V. Baron. ad An.* 59., *&* *Delrium ap. Cockier. in in Face Hist. P.* 1. *c.* 27.

(*d*) *Ap. Suid. in h. v.*

(*e*) *V. Suid. ib.*; *Aristoph. in Avibus*; *&* *Thucidid. Hist. l.* 5.

(*f*) *V. Adrian. Turneb. Adversf. l.* 3. *c.* 11.

(*g*) *Lucian. Dial. de Merc. conduct.*

(*h*) *Adversar. ibid.* (*i*) *Hist. t.* 2. *p.* 2.

(*k*) *Martial. l.* 1. *epig.* 4.

funebri Imperatorum pompa tintinnabula ferebant (*a*). Hinc ipsis animalibus lecticariis collo parva suspendebant tintinnabula, quod ad nostram usque stetit ætatem (*b*). Hæc autem tintinabula ad nostrarum *Nolarum*, sive *Campanarum* formam plane accessisse, certo augurari licet ex illorum nomine Κώδων, quod ad eorum formam refertur, Græci namque Κώδων nuncuparunt extremam illam, atque latam, qua tuba desinit, partem (*c*), cujusmodi equidem esse *Campanarum* formam nemo ambigit. Ex his itaque plane sequitur Campanas a tintinnabulis originem habuisse. Una equidem, quæ campanas inter, & tintinnabula interesse videtur differentia, non tantum magnitudine, sed opificio censenda mihi videtur: Tintinnabula enim ex lamina constabant malleo diducta, atque compacta, *Campanæ* vero appellari cœperunt tintinnabula grandiora ære fusa, quæ eamdem ceteroqui cum tintinnabulis formam habuerunt. Memini enim me vidisse antiquam quamdam campanam, quæ olim Monachis quibusdam S. Benedicti usui fuerat, & nunc in quadam Vitulani Ecclesia in Beneventana provincia servatur; illa sane ab antiqui tintinnabuli forma ne latum quidem unguem distat. Hinc cum forte in Campania primo obtinuerit usus hujus fusilis tintinnabuli, ea de re illi Campanæ nomen exinde fuit, ac forsan Nolæ antiquæ Campani Agri Urbi inventum illud tribuendum erit, cum non solum campanæ, sed *Nolæ* nomine fusa tintinnabula donata fuerint medio aevo.

Unum tandem adjiciam de ritu nimirum *baptizandi*

(*a*) *Sueton. in Julio Cæs.*

(*b*) *V. Asini figur. ap. Bonarrotium Osservat. sopra gli Ant. Vetri Oss. n.* VII.

(*c*) *V. Sophocl. in Ajace vers.* 11., *&* *Ædit. Scalig. v.* 13.

di Campanas, ſive illas benedicendi, atque ungendi. Hujus ſane ritus formula, ac ceremoniæ in Occidente obtinuerant Sæc. VIII. (*a*), & Saec. IX. paſſim Eccleſiaſtici Scriptores, & Ordo Romanus hujus ritus meminere (*b*).

C A P. II.

De Liturgia Pſalmodica.

PSalmos Davidicos ab Eccleſia condita recitarunt Chriſtiani in eorum Templis antequam Liturgiæ Sacrificii operam darent, atque illud ex Apoſtolica quidem *inſtitutione*, quare Pſalmos tertia, ſexta, & nona diei hora recitabant ſæc. II., eaſque *horas Apoſtolicas* ea de re appellavit Tertullianus (*c*). Quin antiquae Conſtitutiones, quæ Apoſtolorum nomine decorantur, *mane*, *tertia*, *ſexta*, *nona diei hora*, *Veſpere*, *& ad galli cantum* της ευχαις *praces* Pſalmorum recitatione faciendas ſtatuunt (*d*). Cum autem fideles Paganorum metu ſimul convenire non poſſent *unuſquiſque illorum ſibi pſallebat*, *vel duo aut tres ſimul* (*e*), qui quidem *mutuo pſalmis*, *& hymnis ſe provocabant*, *quis melius Deo ſuo caneret* (*f*). Ex quibus liquido patet Chriſtianos omnes pſalmorum recitationi quotidie vel publice, vel ſaltem privatim pro re nata vacaſſe. Hinc a IV. ſæc. poſtquam publica pace potita eſt Eccleſia, Chriſtiani tum in Oriente, tum in Occidente cujuſcumque ætatis, atque conditionis Pſalmo-

 dicæ

(*a*) *V. Capit. Car. Magni ib.*
(*b*) *V. Ord. Rom. ap. Hittorp.*, *& Vulg. Amalar. ib.*
(*c*) *L. De Jejun. c.* 10., *&* 11.
(*d*) L. 8. *c.* 34. (*e*) *Ibid.*
(*f*) *Tertull. l.* 2. *ad uxor. in fin.*, *& l. de veland. Virg.*

dicæ Liturgiæ operam quotidie dabant, eo ut *amatoriarum cantionum* loco, *Arator stivam tenens allelujam* cantaret, *sudans messor psalmis se avocaret*, *& curva attendens falce vivitor aliquid Davidicum cantaret* (*a*). Ex diurna enim psalmorum recitatione memoriter illos tenebant vel inter laicos infimæ conditionis illi (*b*). Stetit autem relligiosa hæc Disciplina ad exitum usque VIII. Sæculi (*c*), a qua ætate sensim evanuit, ac solis Clericis Psalmodiæ publica recitatio reliqua tandem fuit.

§. I.

De Psalmorum Codicibus.

A primo ad IV. Sæc. in Oriente Psalmos ex Septuaginta virali versione recitatos fuisse, nemo ambigit, cum illud aperte testentur psalmorum versiculi, quos apud Græcos Patres illius ævi legimus. Ita Latini Psalmis versionis Latinæ, *Italæ antiquæ* appellatæ, ad ætatem usque Hieronymi universe usi sunt, quod Patrum Latinorum argumento probat Blanchinius (*d*). At Hieronymus Damasi jussu Psalmos a mendis quibusdam purgavit, ac illos ordine quodam in unum corpus digessit ad Liturgiæ usum (*e*). Quod equidem Psalterium sub Theodosio Imperatore ad Græcas quoque translatum est Ecclesias ipsius Imperatoris jussu (*f*): Græci enim ordinem Psalmorum a Hieronymo statutum

(*a*) *Hierony. Epist. ad Marcell.*
(*b*) *August. Enar. in Psalm.* 85.
(*c*) *Ex Beda Hist. l.* 3. *c.* 17., *& l.*4. *c.*18.
(*d*) *De Antiq. Itala.*
(*e*) *Ex Conc. Rom. sub Damaso An.*382. *ap. Holsten. ib.*
(*f*) *V. Epist. Theodos. ad Damas. Concil. to.* 1.

tum aliquo modo accepisse testantur hiodedum illorum Psalteria, quæ Ωρολογια dicuntur. Itaque a IV. Saec. Romae, & nonnullibi in Occidente Psalmi ex Hieronymi emendatione recitati sunt. In exitu autem Saec. v. Gelasius R. P. Codices Psalmorum emendavit, & hymnis additis novo quodam ordine illos concinnavit (*a*). Verum cum Saec. XI. mendis Psalterium scateret, & nullo ordine psalmi, & preces forent, Gregorius VII.R.P. illud emendavit, ac pristino restituit ordini (*b*). Saec. deinde XII. Fratres Minores, posthabito eo psalterii prolixiori ordine, quo tunc Clerici utebantur, cum officium, sive Psalterium adhibere cœpissent, quo utebantur Pontifex Rom., & Cardinales in Lateranensi Ecclesia (quod emendaverat Innocentius III. R. P., & eo gaudebat titulo: *Libri Officiorum juxta morem Aulæ Romanæ*) pro ea, qua tunc potiebantur, auctoritate idem psalterium inter clericos invexerunt. At tandem a Gregorio IX. iterum Saec.XIII. opere Aymonii Psalterium emendatum videtur: siquidem Aymonius Minister Generalis Ordinis S.Francisci auctor fuit Breviarii illius, quo nos utimur, (quod tandem probavit ad ejusdem Saeculi finem Nicolaus III. R.P.) cum ad eam usque ætatem alio ordine Psalmi distributi essent; hinc Aymonius *feriarum* loco, quæ (paucis, iisque solemnioribus exceptis diebus) quotidie obtinebant, Sanctorum Officia Psalterio apposuit. Ea itaque ratione Psalterium brevius evasit, ac universe fere Breviarium (quam denominationem jam præcedenti Saec. habebat aliquibus saltem in locis) nuncupari cœpit (*c*). Verum nonnul-

la

(*a*) *In Conc. Rom. A.* 494. *ibid.*

(*b*) *In Conc. Rom. A.* 1076.

(*c*) *V. Rodulf. Tungren. Prop.* 7., & *Wanding. Annal. Minor. ad An.* 1244. *n.* 17.

la adhuc emendanda in eo Breviario repperit Concilium Tridentinum (*a*), quapropter Pontifici Romano illud emendandi potestatem fecit; id quod tandem a Pio V. R. P. factum est Anno MDLXVIII.; at post triginta duos annos Breviarium iterum emendavit Clemens VIII. Anno MDCII. Tandem cum adhuc rudis latinitatis nonnulla in hymnis essent, cumque *Lectionibus spuriis* abundaret adhuc Breviarium, illud secunda manu expolivit, ac genuino decori restituere studuit Urbanus VIII. An. MDCXXXI. Hinc liquet Ecclesiam summopere studuisse, ut Psalterium mendis omnibus careret; qua de re a IV. Saec. statutum fuit *Psalmos* Davidicos dumtaxat in Ecclesia legendos esse, Psalmis ἰδιωτικοῖς, h. e., a privatis hominibus compositi, rejectis (*b*), cum hæretici a primis Sæculis quosdam Psalmos scriberent, & in eorum conventiculis recitarent (*c*).

§. II.

De Alterno fidelium psallentium choro. Deque horis ad Psallendum statutis.

Psalmorum recitatio, vel cantus non simul ab omnibus, qui Liturgiæ aderant, fidelibus persequebatur, sed alternatim illi Psalmorum versiculos recitabant, quod universe obtinuit IV. Sæculo, postquam Templa Christianorum ordinata constructione condita sunt. Itaque fideles *stantes* vel *alternatim canebant Psalmos*, alternis scilicet versiculis inter Clericos, & populum, vel

(*a*) *Sess.* 2. (*b*) *Conc. Laodic. c.* 59.
(*c*) *Auct. Libri de Carne Chri. Tertul. nomine, V. Epiph. hær.* 67., *&* *August. epist.* 119.

vel unus e clero *Psalmum canere incipiebat*, ac populus alternatim *succinebat* (*a*). Id sane ubique receptum erat Saec. IV. tam in diurna, quam in nocturna Psalmorum recitatione, cum, ut diximus, noctu etiam cunctus conflueret ad Psalmodiam recitandam in Templo populus (*b*). Quæ quidem disciplina alterni cantus a S. Ignatio Martyre primo Antiochiæ inventam fuisse testatur Socrates (*c*). Hinc Flavianus, & Diodorus hujus moris auctores minime habendi erunt, ut docuit Theodoretus (*d*); cum forte hi ex Antiochena disciplinam illam ad CPolitanam Ecclesiam primi transtulerint. Inter Latinos vero hujus alterni cantus in Psalmodia auctorem fuisse Ambrosium testatur Augustinus (*e*), cum eodem IV. Saec. a Mediolanensi illam acceperint cantus rationem ceteræ Latinorum Ecclesiæ. Quare cum tandem desiit laicorum frequentia in Psalmodica Liturgia, & cantus solis stetit Clericis, hi alterno choro Psalmos concinere cœperunt; quod medio ævo circa IX. Sæc. obtinuisse testantur *Ordines Chori* illius ætatis apud Mabillon. in Analectorum Appendice.

Peculiares vero horas Psalmorum recitationi præfinivit Ecclesia a primis usque sæculis. Nocte enim, conveniebant ad Ecclesiam ut psallerent (*f*), deinde hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, & ad Galli cantum (*g*). Quæ quidem Apostolica disciplina *ex Ecclesiastica traditione* (*h*) ab omnibus Ecclesiis tum in Oriente

(*a*) *Basil. ep. 63. ad Cler. Neocesar.*
(*b*) *V. Chrysost. Vit. a Pallad. script. c. 10., & id. Chrysost. hom. 63. in Acta.*
(*c*) *Hist. l. 6. c. 8.* (*d*) *Hist. l. 2. c. 4.*
(*e*) *Confess. l. 6. c. 7.* (*f*) *Const. Apost. l. 8. c. 34.*
(*g*) *Ibid., & Cyprian. de Orat. Domin.*
(*h*) *Hieron. in c. 6. Daniel.*

te (*a*), tum in Occidente (*b*) ad nostram usque ætatem servata est. De Singulis hujusmodi Oris sequenti capite dicemus.

§. III.

Cantus Ecclesiastici brevis Historia.

Primis Ecclesiæ sæculis Psalmos in Templo a populo, atque Clericis lectos, vel memoriter recitatos fuisse, cum nulla adhuc canendi consuetudo in Ecclesia foret, nonnulli putarunt: verum ab Ecclesia condita Christianos psalmos modulasse in eorum cœtu ex Tertulliano conjicere licet, penes quem (*c*) Plinius epistola ad Trajanum de Christianis locutus, ait: *se de eorum Sacramentis nihil aliud comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo, ut Deo*. Jam tum itaque Christiani psalmos canebant in sacra Liturgia, quam, ne paganis paterent, noctu agebant. Neque heic *canendi* vocabulum pro *recitandi* illo usurpandum erit, ut aliquibus viris ceteroqui clarissimis visum est; nam idem Tertullianus alio loco de psalmorum cantu, ac modulatione aperte loquitur, cum ait *sonant* (quod proprium cantus est) *inter duos Psalmi*, *&* *Hymni* (*d*). Præterea ipsa Plinii phrasis nostræ quam maxime favet sententiæ: *ad canendum Christo, ut Deo*; cum enim inter Paganos hymni in festis cane-

(*a*) *Epiphan. l. 3. hær.* 80., *Damascen. in V. SS. Barl. & Jos.*, *Sozom. Hist. Tripart. l. 6. c.* 29., *Nicephor. l.* 10. *c.* 21., *S. Athan. de Meditat. &c.*

(*b*) *Cypr. ib.*, *Hierony. ep.* 7. *ad Laet.*, *August. serm.* 56. *de Temp.*

(*c*) *Apolog. c.* 2. (*d*) *L.* 2. *ad Uxor. c.* 9.

canerentur Diis, non autem recitarentur (*a*), Plinius illis verbis innuit, quod cum cantus Christo directus esset, Christum veluti Deum colebant Christiani. Ex his mihi videtur aperte colligendum, cantum Psalmorum a primis Ecclesiæ sæculis obtinuisse in publica Liturgia.

Sæculo IV. in iis Ecclesiis, in quibus non adhuc inducta fuerat consuetudo psalmos alternis choris canendi, clerici, qui cantorum munere fungebantur, psalmum cantabant in choro, cum interea populus audiret, atque in Psalmi finem succineret (*b*). Verum ea tempestate *apud omnes Dei Ecclesias* obtinuisse Psalmodiæ cantum testantur Patres (*c*). Quæ autem fuerit hujus cantus indoles innuit Socrates (*d*), cum rettulit S. Athanasii gesta, qui mollem quamdam canendi artem in psalmodia aversatus est, eamque ab Alexandrina Ecclesia, in qua irrepserat, eliminavit, antiqua modulatione restituta, ita ut in posterum Alexandrini recitare potius, quam canere Psalmos viderentur. Cantus itaque erat adeo simplex, ut modulatio quavis arte careret: quæ quidem cantus disciplina inter Græcos parum diu stetit, cum medio ævo, ut dicemus, *fractum* cantus genus in Ecclesiis induxerint.

Ad Latinos nunc, quos inter simplici itidem cantu Psalmi modulati sunt ad IV. usque Sæc., in quo S. Ambrosium Mediolanensi Ecclesiæ auctorem fuisse fertur modulationis cujusdam. Verum Ambrosii ætate jam

(*a*) *V. Histoire de la Musique edit. Amsterd. A.* 1725. *to.* 4. *art.* 5.

(*b*) *Conc. Laodic. c.* 16., *Euseb. Hist. Eccl. l.* 2. *c.* 17., *& l.* 7. *c.* 30.

(*c*) *Basil. ep.* 63. *ad Cler. Neocæsar.*, *Pallad. in Vita Chrysost.*, *& Chrysost. hom.* 63. *ad Popul. Antioch.*

(*d*) *Hist. Eccl. l.* 2. *c.* 13.

jam cantus ubique inter Latinos obtinuerat, & cantores in Ecclesia theatrales modulos invexerant, de quibus queritur S. Hieronymus (*a*); quare colligimus Ambrosium forte mollem illam, atque effeminatam cantus modulationem moderasse. At *suavium* tamen *cantilenarum melos*, quo Psalterium Mediolani modulabatur, meminit Augustinus, cujus opera in Africanis Ecclesiis illius cantus modulamina obtinuere (*b*); hinc Sæc. v. Mediolanensis Ecclesiæ cantus totum pervasit Occidentem (*c*).

Romæ autem plura irrepserant in Psalmorum modulatione vitia, quæ Sæc. v. emendavit Gelasius R. P. (*d*). Verum Sæc. VI. S. Gregorius hujus nominis I. Rom. P. novum cantus genus antiquis ignotum invenit, qui *cantus plenus* appellatus est, atque ex auctoris nomine *Cantus Gregoriani* nomen obtinuit. Pontifex sane eo fuit consilio, ut gravi, atque naturali modulamine Psalmodia caneretur in Ecclesiis, & theatrales, qui irrepserant, moduli reicerentur, cum illius ætate cantores nulla lege, sed pro lubitu Psalmos scenico potius modo cantarent (*e*). Is itaque Romæ *Cantorum scholam instituit*, de qua *lib.* I. *Sect.* I. locuti sumus, & omnes adeptus est occasiones, ut in Occidente eodem cantu uterentur reliquæ Ecclesiæ. Hinc Romanum Gregorii cantum primum Italæ Ecclesiæ exceperunt. Sæc. autem VIII. in omnibus Occidentalibus Imperii Ecclesiis receptus est edicto Caroli Magni (*f*), cui Adrianus I. R. P. *Antiphonarium* Romanum misit, atque duos Cle-

(*a*) *Comm. Epist. ad Ephes. c.* 5.
(*b*) *Aug. Confess. l.* 10. *c.* 33.
(*c*) *Id. ib. l.* 6. *c.* 7.
(*d*) *In Conc. Rom. A.* 494. *ap. Holsten.*
(*e*) *V. Joan. Diac. in ejus vita l.* 4. *c.* 10. *&* 19.
(*f*) *Capitul. A.* 789. *capit.* 80.

Clericos e Romana Cantorum ſchola, qui Gallos Gregorianum cantum docuere tum Auguſtæ Sueſſonum, tum Divoduro in Auſtraſia (*a*). In Anglia illud idem factum eſt a quodam Romanæ Scholæ *Archicantore*, quem illuc miſit Agatho R. P., ut *curſum annuum canendi* Anglicanos clericos doceret (*b*).

At XI. Sæc. Monachus quidam *Guido* nomine novas quaſdam invenit Muſices notas, quas ſignavit iis ſillabis, *ut*, *re*, *mi*, *&c.* quæ initio verſiculorum hymni S. Joannis Baptiſtæ habentur: *Ut queant laxis &c.*, ac duos muſices libros ſcripſit, quos Theodato, vel Theobaldo proprii Monaſterii Abbati dicavit Anno MXXIV. Novum hoc canti genus univerſe exceptus eſt, ac ſenſim *plenus Cantus Gregorianus* obſoleſcere cœpit, & Muſices *ſingulis partibus*, uti ajunt, diſtribui cœpit, ita ut (quod olim obtinuerat inter Antiquos (*c*)) exinde ſingulæ voces per claſſes cantum modulare cœperunt (*d*); eo ut Latini nova hac muſice ubique delectati ſint (*e*). At circa Sæc. XVI. ſenſim adulterari cœpit Guidonis Aretini muſices a Græcis illis, qui Conſtantinopolim elapſi, Europeas Regiones petiere. Hi ſane græcam muſicam in Italia potiſſimum induxerunt, ita ut *cantus minutim conciſus, fractuſque, colliſi durius ſoni, ſuſpenſa illico vox*, *& ubi minime expectes amputata* ſacræ melodiæ ornamentum eorum opera evaſerit (*f*). Quare tandem Pius IV. R. P. depravatæ hujus muſices

(*a*) *V. Rainald. ad Ann.* 787.

(*b*) *V. Kircher. de Antiq. Muſ. l.* 1. *c.* 9.

(*c*) *Beda Hiſt. l.* 3. *c.* 17. *& l.* 4. *c.* 18.

(*d*) *V. Kircher. ibid.*

(*e*) *V. Jumillac de la Science*, *& practique du plein-chant. Arti.* 10.

(*f*) *Cardinal. Sadolet. Leon. X. a Secretis In proluſ.* v. *Famiani Stradæ*.

sices modulos, qui Ecclesiæ cantum muliercularum cantilenis æquiparabant, aversatus, de musica ab Ecclesiis omnino eliminanda in Tridentino Concilio cogitaverat; at cum de hoc proposito *in sermone familiari cum Purpuratis Patribus* Pontifex locutus esset, ac illud resciviſſet Joannes Prænestinus, qui Musices Pontificis præfectus erat, is *missas ea temperatione composuit, ut detractis illis veluti cincinnis, verba omnia plane intelligerentur, & Symphonia retineretur*; quas equidem missas *cum audivisset Pontifex, voluntatem illam abjecit, & non tam de musica tollenda, quam de moderatione adhibenda cogitavit* (*a*). Hinc Tridentini Concilii Patres gravi cantu retento, *lascivum, atque impurum* ab Ecclesia arcendum sanxerunt (*b*). Hæc brevi pro more de Cantus Ecclesiastici Historia; plura enim, quæ se se offerent, dicere, propositæ brevitatis ratio vetat.

C A P. III.

De Singulis Psalmodiæ partibus.

PSalmodiam persequemur eadem methodo, quam habet in Romano Breviario, ut facilius quæ de illis dicemus vel ab ipsis Ecclesiastici ordinis candidatis intelligi queant.

§. I.

De Matutino, ac Laudibus.

Cum olim sacris Vigiliis operam darent Christiani

(*a*) *Ludov. Cressen. Myst. l. 3.*
(*b*) *Sess. 22.*

ni, *antelucanis cœtibus* (*a*), ut fusius dicemus lib. IV. Sect. II., Psalmodiæ vacabant. Nox autem a veteribus in quatuor vigilias, quarum singulæ ternis horis constant, distributa est pro excubiarum ratione (*b*). Horas autem ad clepsydras metiebantur illi (*c*), Romani quippe cum nostris carerent horologiis (quorum initium se ignorare fatetur Polydorus Vergilius (*d*)) Hydrologiis, quæ *Clepsydras* nuncuparunt, usi sunt: ea autem erant vasa quædam, in quibus mensura aquæ guttatim effluentis horarum intervalla designabantur (*e*). His itaque clepsydris forte utebantur Christiani in Ecclesiis, ut in equales vigilias noctem partirentur, quas primam, secundam, tertiam, & quartam vigiliam appellarunt: Primam vigiliam Christiani ordiebantur a vespere, secunda a media nocte, tertia a galli cantu, quarta a matutino crepusculo (*f*). Sic itaque a Christianis divisa nocte, in prima, secunda, & tertia vigilia Psalmos illi canebant (*g*); hinc primus, secundus, & tertius *Nocturnus*. Quarta autem vigilia, quæ cum solis ortu expliciebat *Matutinam* (forte a *Matuta* h.e., *Aurora*) cantabant, quæ illos continet Psalmos, quos *Laudes* appellamus. Verum cum circa v. Sæc., tepescente antiqua Christianorum pietate, rarius illi integræ noctis vigiliis psallerent, sensim statis vigiliæ diebus ad Ecclesiam convenire cœperunt quarta noctis vigilia, atque simul

(*a*) *Tert. de Cor. Milit. c.3., Apolog. c.2.&c.*
(*b*) *Veget. de Re Milit. l.3. c.8.*
(*c*) *Modest. de Vocab. Rei Milit.*
(*d*) *De Invent. Rer. l. 5. c.2.*
(*e*) *Vide Cælii Rhodig. Lect. Antiq. l.18. c.39.*
(*f*) *Auctor Comm. in Psalm. Arnob. nomine in Psalm.* 129.
(*g*) *V. Belet. in expl. Divinor. offic. c.20.*

omnem Psalmodiam recitare; quapropter omnibus Nocturnis *Matutinæ* nomen exinde fuit, cum Nocturnos simul, & *Laudes*, quas, ut diximus, *Matutinam* appellabant, *matutina hora* recitarent; id quod etiam Monachos inter Sæc. v. obtinuerat (*a*); & in Occiduis Ecclesiis (si Romanam excipias) factum est. In unoquoque tandem *Nocturno* tres Psalmi a IV. Sæc. juxta horarum vigiliæ numerum recitabantur, quare in *Laudibus* tres etiam Psalmi habentur (*b*).

§. II.

De Prima, Tertia, Sexta, atque Nona.

Prima, *Matutina* quoque olim appellata est, cujus institutio aliis canonicis horis recensior videtur ex Cassiani auctoritate, qui suo ævo, nimirum v. Sæc., illam *in Bethleem monasterio primitus institutam fuisse* scribit (*c*), quæ quidem inter Latinos præsertim obtinuit. Num autem Antiquiores Patres de illa meminerint, nomine *orationis diluculo*, quod passim apud Constitutiones Apostolicas (*d*), Basilium (*e*), aliosque legimus, in quæstione versatur. Verum Patrum testimonia qui diligentius expenderit, plane noscet vel de *Laudibus*, vel de domestica Psalmorum recitatione illos loqui, cum in horarum enumeratione de *Prima* omnino sileant (*f*). *Primæ* in Dominicis diebus additur Symbolum S. Athanasio vulgo adscriptum, quod equidem circa XII. Sæc. invaluisse arbitramur, cum

(*a*) *Cuspian. de Instit. Monach. l.3. c.4.*
(*b*) *Sozom. Hist. Eccl. l.3. c.13.*
(*c*) *Ibid.* (*d*) *L.8. c.4.*
(*e*) *In Reg. fus. Disp. Interrog.37.*
(*f*) *Vide Hierony. ep.8. ad Demetriad.*

eum primi hujus ritus meminerint Belethus Sæc. XII., & Durandus Sæc. XIII. (*a*).

Tertia ab ineunte Ecclesia in Psalmodiæ recitatione sacra fuit; hinc antiquiores Patres *de hora tertia* precibus passim loquuntur (*b*). Qua vero de caussa hac præsertim hora Psalmodiæ operam impertirent Christiani, mysticis quibusdam rationibus rem explicarunt tum veteres, tum recentiorum nonnulli. At Christianos *Tertiæ*, *Sextæ*, & *Nonæ* horas quodammodo consecrasse, velut mysteriorum Relligionis monumenta haud abnuo, verum præter mysticas rationes tres illæ horæ *insigniores in rebus humanis*, & civilibus obeundis negotiis fuere, ut ait Tertullianus (*c*), & videre est apud Martialem l. 4. epigr. *Prima salutantes &c.* Quare verosimilius videtur *solemniores illas* in Divinis fuisse, quæ antea *publice negotia publica distinguebant*, *& diem civilem distribuebant* (*d*). Tribus autem Psalmis hora *Tertiæ*, ut & reliquæ Horæ continebantur, cujus Disciplinæ testes v. Sæc. Cassianum (*e*), & VI. S. Benedictum habemus (*f*).

Sexta hora diei psallebant Christiani (*g*). Tres Psalmos illi canebant, quos inter IV. Sæc. ille recensebatur Psalmus numero XC. (*h*), quem hodie recitamus in Completorio. Ea autem hora Sacris officiis operam dabant fideles *cum Psalmis*, *ploratu*, *& sup-*

 pli-

(*a*) *Beleth. explic. Divin. Offic. c.*40., *Durand. Ration. l.* 5. *c.*5.

(*b*) *Tertull. passim ubi supra*, *Constit. Apost. l.*8. *c.*40., *V. Cap. præcedens* §.11.

(*c*) *Lib. de Jejunio c.*8.

(*d*) *Tertul. ib.*

(*e*) *Cassian. ibid.*

(*f*) *In Regul. c.* 17.

(*g*) *Basil. in Reg. fus. disputat. Inter.* 37., *Hierony. in c.*6. *Daniel.*, *Athan. de Virginit.*, *Constitut. Apost. ib.*

(*h*) *Basili. ibid.*

plicationibus, *cum ea hora Filius Dei sublatus fuisset in Cruce* (*a*).

Nona tandem hora, in qua Christus Patri spiritum commendavit (*b*), ab ipsis Apostolis orationi vacatum est (*c*); quare Christiani illa hora Psalmos, ac preces recitarunt (*d*). Postremo animadvertendum, nos ignorare, qui fuerit tribus primis sæculis Psalmorum ordo in canonicis horis: Ea sane Psalmorum divisio, qua a v. Sæc. ad nostram usque utimur ætatem, circa IV. Sæc. initium in Oriente primum habuisse fertur (*e*) sub Theodosii Senioris Imperio. At Psalmorum ternus in unaquaque hora numerus a Pachomii ætate fuisse testatur Sozomenus (*f*). Hinc a IV. pariter Sæculo *Canonicæ* appellatæ sunt *Horæ* a *canone*, nimirum regula illa numeri Psalmorum, qui in singulis horis recitandi erant (*g*). De Hymnis autem Antiphonis, atque Capitulis *Horarum* vide, quæ inferius dicemus.

§. III.

De Vespere, & *Completorio*.

VEspera *fit quando sol occidit* (*h*), deducto nomine a *sidere*, *quod Vesper nuncupatur*, & *decidente sole*

(*a*) *Athas. ibid.*
(*b*) *Raban. Maur. de Inst. Cleric. l.2. c.6.*
(*c*) *Actor. c.3.*
(*d*) *Constit. Apost. ib.*, & *c.34.*, *Athan. ibid.*, & *Basil. serm.* 1. *de Monach. institut.*, *Hierony. ibid.*
(*e*) *Walfrid. Strabo de Reb. Eccl. c.25.*
(*f*) *Hist. Eccl. l.3. c.19.*
(*g*) *Ex Rufino de Vit. Patr. l.3. c.5.*
(*h*) *August. Serm. in Psalm.29.*

sole exoritur (*a*). Hæc ſane hora, qua Dies explicit, Pſalmodiæ vacarunt Chriſtiani a primis uſque naſcentis Eccleſiæ temporibus, quare *Veſperis* tandem nomine Pſalmodica hujus horæ Liturgia venit (*b*). Itaque olim poſt Solis occaſum veſpertina Pſalmodia recitabatur; quare tum in Oriente (*c*) tum in Occidente (*d*) Veſpera *Lucernarium* Λυχνικὸν, vel *Hora Lucernaria* appellatur, cum *accenſa lucerna veſpertinum* Deo redderetur *Sacrificium* (*e*). Quæ equidem hora univerſe fere ſervata eſt tum a Græcis, tum a Latinis ad Sæc. uſque VIII., & IX. (*f*), a quo forte in Occidente potiſſimum invaluit mos Romanæ Eccleſiæ, in qua Veſpertina pſalmodia poſt *Nonam*, ante Solis occaſum recitabatur (*g*). Quod re quidem vera ab Orientalibus quibuſdam Monachis etiam factum docet Hiſtoria (*h*). Hinc tandem univerſe poſt IX. Sæc. Veſpera ante Solis occaſum recitari cœpit. Numerus autem pſalmorum in *Veſpera* olim major erat, cum illa *duodecim* conſtaret Pſalmis IV., & V. Sæc. inter Monachos, etſi una ſimul cum Veſpera pſalmi *Completorii* tunc dicerentur (*i*). Verum VI. Sæc. in Occidente quatuor

R 3 vel

(*a*) *Iſid. de Eccl. Offic. c.*22., *&* *Etym. l.*6. *c.*35.

(*b*) *Conſtit. Apoſt. ib.*, *Baſil. ibid.*, *Synod. Laodic. c.* 18., *Ambroſ. l.*3. *epiſt.*11., *Hierony. ad Euſtoch. de cuſt. virg.*, *&* *in epitaph. Paulæ*.

(*c*) *Pallad. Hiſt. Lauſ. de Tabenneſiot.*, *Socrat. Hiſt. Eccl. l.*5. *c.*21.

(*d*) *Hierony. Comm. in Pſalm.*118., *Caſſian. de Inſt. Mon. l.*3. *c.*3. (*e*) *Hierony. ep. ad Laetam.*

(*f*) *Beda l.*3. *in Eſdr. c.*28., *&* *Amalar. Fortun. L.* 4. *de Eccl. Offic. c.*7.

(*g*) *Idem de Ordine Antiphonarii.*

(*h*) *Theodoreth. de Vit. Patr. c.*2.

(*i*) *Sozomen. ib.*, *&* *Caſſian. de Cant. Noct. Orat. l.*2. *c.*56.

vel saltem quinque Psalmi in Vesperis recitabantur; quod testatur S. Benedicti Regula, qui quidem in re Liturgica a communi Ecclesiæ disciplina sui ævi ne parum quidem discessit (*a*). De Hymnis aliisque precibus postea.

Completorii antiqui haud meminere, cum vespertina Psalmodia postrema diei oratio esset, quæ quidem, ut dictum est, post Solis occasum olim fiebat; quare psalmi, qui nunc in *Completorio* habentur, proprii *Vesperæ* erant, ut innuere videtur S. Basilius Sæc. IV. (*b*), qui de Vespere locutus, *primis se jam noctis intendentibus tenebris*, ait, necessario canendum Psalmum XC. *qui habitat in adjutorio Altissimi*, quem in Completorio habemus. Hae autem tenebrae primo se intendunt, cum Occidente Sole crepusculum obtinet; quare in Hymno Completorii legimus. *Te lucis ante terminum*, nimirum lucis crepusculi. Post V. Sæc. in Occidente *Completorium* a Vesperis sejungi cœpit, quod Latinis VI. Sæc. passim usui erat, ut ex eadem S. Benedicti Regulæ colligimus (*c*). Olim *Completorium* tribus constabat Psalmis, quibus nunc utimur, nimirum IV., XC., & CXXXIII., hinc post IX. Sæc. illis accessit Psalmus XXX., qui in nostro habetur Officio.

§. III.

De Capitulis, & Versu, Deq. Lectionibus, & Responsoriis.

Versus in Psalmodia appellatur Horarum Canonicarum initium, quod equidem duplex est, unum, quo in unaquaque hora utimur, alterum, quo dumtaxat in Completorio. Primum est: *Deus in adjutorium &c.*

(*a*) *In Regula c.* 18.
(*b*) *In Reg. fus. disp. ibid.* (*c*) *Ibid.*

&c. quo unaquævis hora exorditur; alterum est illud: *Converte nos Deus salutaris noster &c.*, quod Completorii initio dicimus: Versus sane dicuntur non tantum, quod una linea contineantur, ut aliquibus placuit, sed potius, quia sunt veluti *Caput* Horarum, hinc dixit Cæsarius; Evangelia constare MCLXII. *capitibus*, nimirum versiculis; cum unumquemque versiculum, ut ab alio sejungeretur, antiqui ab initio papiri scribere solerent (*a*): Horas itaque Canonicas versu illos: *Deus in adjutorium* incipiendas, nonnulli Damasum R.P. decrevisse putarunt, at nullis innixi argumentis: Primus enim, qui illius meminit, est Cassianus Sæc. V. (*b*); etsi de horis canonicis aperte locutus mihi non satis videatur; hinc VI. Sæc. dilucidius Canonicas horas eo versu exordiendas esse statuit S. Benedictus (*c*); cujus ævo, ut ex eadem Regula patet, versus *Domine Labia mea &c.* dicebatur post versum *Deus in adjutorium &c.*; qui nonnisi serius initio Matutini recitatus est. *Completorii* versus: *Converte &c.* recentior plane est, cum primo illius meminisse legamus Durandum Sæc. XIII. (*d*); quicquid de illius antiquitate aliis videatur, qui mysticis potius, quam veris nimis alliciuntur rationibus (*e*).

Lectiones in Psalmodia semper, atque universe recitatæ fuerunt: Olim unumquemque psalmum Lectio sequebatur IV. Sæc. (*f*) in aliquibus Orientis Ecclesiis: generatim vero absoluto unoquoque Nocturno ex Libris Veteris, vel Novi Testamenti caput aliquod legebatur, quæ sane Lectiones pro unaquaque anni tem-

R 4 pesta-

(*a*) *V. Vossium in voce* Capitula.

(*b*) *Coll.* 10. *c.* 10.

(*c*) *In Reg. c.* 9.

(*d*) *Ration. l.* 5. *c.* 2.

(*e*) *V. de Turrecrem. in Comm. ad Reg. S. Bened. ib.*

(*f*) *Conc. Laodic. c.* 59.

pestate statutæ erant, *ut aliæ esse non possent* (a). Hinc a IV. Sæc. videmus post Paschatis festum Actus Apostolorum in Psalmodia legi (b), quam consuetudinem ad nostram usque ætatem retinet Ecclesia. Quandoque Acta Marryrum genuina loco *Scripturæ* in Psalmodia legebant Græci a Sæc. VII. (c), quod non ante IX. Sæc. inter Latinos obtinuit, qui jam tum etiam SS. Historias, & Patrum Homilias in Psalmodia legere cœperunt (d). *Benedictio* autem, quæ a Lectore postulatur: *Jube Domine benedicere*, legitur primo apud IX. Sæc. Scriptores (e); olim enim Diaconus, antequam Lectio inchoaretur, *clara voce* silentium imperabat (f), ac omnes plerumque sedebant (g), postquam lectionem audituri Crucis signo se se munierant (h). Versiculus autem, quo Lectio explicit: *Tu autem Domine &c.*, *& Deo gratias*, post XII. Sæc. inductus fuit (i).

Capitula, olim *Capitella*, appellatæ sunt Lectiones, quæ recitabantur in diurna Psalmodia, cum breviores integris illis essent, quæ in Nocturno Officio legebantur. Hæc autem *Capitula* e Scriptura petita in Psalmodia obtinuisse videntur ad Sæculum VI. (k), etsi olim etiam in Diurnis horis forent lectiones, quæ tamen *Capitulis* prolixiores erant. *Responsoria* tandem, quæ *Lectionibus* sequuntur, ab Italis inventa fuisse tradunt recentiores Scripto

(a) *August. Præf. in Epist. I. Johan.*
(b) *Chrysost. hom. 63. ad Pop. Antioch.*
(c) *Conc. Constantinop. III. c. 63.*
(d) *Johan. Diac. in V. S. Greg. in Præfatione.*
(e) *Amalar. de Eccl. Offic. l. 4. c. 3.*
(f) *August. de Civit. Dei l. 22. c. 8.*, *Ambros. Præf. in Psalm.*, *Isidor. Hisp. de Eccl. Offic. l. 1. c. 10.*
(g) *Amalar. ibid. l. 3. c. 11.* (h) *Isidor. ib.*
(i) *V. Rupert. Tuitiens. de Div. Offic. l. 1. c. 14.*
(k) *In Conc. Agathen. c. 30. An. 506.*

ptores, quibus autem argumentis nescio. Forte a Latina denominatione, quæ saltem inter Latinos *Responsoria* inventa esse nobis argumento erit. Responsorii meminit Regula S. Benedicti, ex qua sequitur jam tum in Occidente obtinuisse, Sæc. nimirum VI. (*a*).

§. V.

De Canticis, & Antiphonis.

Canticorum nomine in Psalmodia veniunt Odes illæ Prophetarum, Mosis, Ezechiæ, Zachariæ, Esajæ, Trium puerorum, SS. Virginis Mariæ, & Simeonis, quibus adnumeratur *Te Deum*. *Cantica* in Psalmodia recitata fuere post V. Sæc., verum quonam ordine ignoramus. Quandoque enim VI. Sæc. inter Monachos Abbatis proprium erat, cantica in Psalmodia recitanda seligere (*b*), neque Canticum *Magnificat* ante IX. Sæc. in publica Psalmodia cantatum legimus, primus enim illius meminit Amalarius (*c*). *Te Deum* (cujus Augustinus, & Ambrosius auctores perperam fuisse fertur (*d*)) inter Latinos in Psalmodia Nocturna ante Lectionem Evangelii recitabatur Sæc. VI. (*e*).

Antiphona Αντιφωνα græca vox est, nimirum *vox reciproca*, *duobus scilicet choris alternatim Psallentibus ordine commentato* (*f*). Itaque Antiphona olim dicebatur ipsum Cantus genus, quo canentes in duplicem cho-

(*a*) *In Reg. c.9.* (*b*) *Ibid. c.11.*
(*c*) *De Eccl. Off. l.4. c.3. & 12.*
(*d*) *Ab Auctore Chron. Mediol. l.1. c.10., quod perperam Dacio Tribuitur. V. Mabill. Analect. t.3.*
(*e*) *Reg. S. Bened. c. 11., V. S. Greg. Magn., sive Auctor. Dialog. l.4. c.4.*
(*f*) *Isidor. Orig. l.11. c.18.*

chorum distributi alternatim Psalmum cantabant; Hinc quisvis Psalmus eo modo cantatus, Antiphona tum a Græcis, tum a Latinis appellabatur (*a*). At a VI. Sæculo Antiphonæ nomine venire cœpit versiculus ille, qui Psalmum præcedit (*b*): quo etiam nomine a VI. Sæc. donatur versiculus ille, quem *Invitatorium* in Matutino appellamus, in Regula S. Benedicti c. IX., quod nomen habuit etiam in Ordine Romano (*c*).

§. VI.

De Hymnis.

HYmni *cantus sunt continentes laudes Dei* (*d*) ab *υμνεω cœlebro*, qui quidem cantici metrice scripti sunt. Hymnorum sane usus vetustissimus est inter Christianos; atque ipsi Ecclesiæ coævus (*e*), quorum a IV. Sæc. illustriores Ecclesiæ Patres Auctores fuerunt (*f*), qui postea etiam in Apostolorum, atque Martyrum laudem illos concinnarunt (*g*). Olim tantum Hymnorum Matutinorum, atque Vespertinorum mentionem fecerunt antiqui Scriptores (*h*). Verum a VI

(*a*) *Sozomen. Hist. Eccl. l.7. c.8.*, & *Haimo Comm. in Psal.* VII.
(*b*) *Conc. Turon. II. c.* 18. *A.* 567., *Amalar. ib. l.4. c.7.*
(*c*) *Ap. Hittorp.*
(*d*) *August. in Psalm.* 72.
(*e*) *V. Euseb. Hist. Eccl. l.7. c.24.*, & *l.5. c.27.*
(*f*) *V. Hieron. in Catal. libr. Eccl.*, *Hilar. in Psalm.* 65., *Ambr. Exort. ad Virg. Lapf.*, *August. Retract. l.1. c.21.*
(*g*) *Conc. Tolet. IV. c.* 12.
(*h*) *Hierony. in Psalm.* 64., *Socrat. Hist. Eccl. l.6. c.8.*

vi. Sæc. in unaquaque hora hymni recitari cœperunt (*a*). Heic autem de Hymno *Gloria Patri &c.* dicendum est, vulgo apud Græcos Δοξολογία, cujus auctor Flavianus Antiochenus Episcopus iv. Sæc. fuisse ferunt Sozomenus, & Theodoretus (*b*); alii Apostolicæ originis illum habent, & a Nicæni Concilii Patribus adhibitum (*c*). At id unum præter dubitationis aleam vertitur, illum singulis Psalmis a S. Hieronymo additum fuisse in Psalterio ex Damasi R. P. decreto (*d*). Hinc Vigilii R.P. ætate ubique invaluerat usus recitandi hymnum illum post singulos Psalmos (*e*). Olim Hymnus iis dumtaxat constabat: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.*; quibus verbum *Honor* addebant Hispani (*f*), ut in eorum Missa Mozaraba legimus. At in Oriente primum addita sunt illa: *Sicut erat &c.* quod ante vi. Sæc. passim inter Latinos fere omnes obtinuerat (*g*). Atque hæc brevissima equidem methodo, de singulis Liturgiæ Psalmodicæ partibus.

C A P. IV.

De Privata Psalmodiæ Recitatione.

POstquam solemnis, atque publicæ Psalmodiæ usus, qui, ut diximus, ubique Ecclesiarum olim obtinue-

(*a*) *Ex Reg. S.Bened. ib.*
(*b*) *Sozom. Hist. Eccl. l.3. c.19. Theodoret. Hist. Eccl. l.3. c.24.*
(*c*) *Baron. ad An.325.*
(*d*) *Hierony. ep. ad Damas. Concilior. to.1.*
(*e*) *Epist. Vigilii ad Euther. c.2.*
(*f*) *Conc. Tolet.* iv. *c.12. & 14.*
(*g*) *Conc. Vasense c.5.*

nuerat; sensim obsolescere cœpit, solis clericis reliqua fuit publica Horarum canonicarum recitatio, cum illi, ut dictum est, in communi viverent, & Ecclesiæ bonis alerentur; ideoque quisque illorum Psalmodiæ vacare teneretur in ea Ecclesia, cui *incardinatus* fuerat ab Episcopo in Ordinatione. Hinc in ipsis Parochiis Matutinæ saltem, atque Vespertinæ psalmodiæ operam impertiebant Clerici (*a*). Quod sub *extrusionis* pœna in Oriente sancitum fuerat a Justiniano (*b*); quare jam olim in ipsis Oratoriis ruralibus psalmodia quotidie recitabatur (*c*).

Verum jam tum a IV. Sæc. in Occidente integræ Psalmodiæ publice operam vacare non tenebantur clerici, sed horis dumtaxat Matutinis, atque Vespertinis (*d*); qui sane mos VI. Sæculo inter omnes obtinuit Latinos; quibus a Matutina tantum, & Vespertina publica Psalmodia in Ecclesiis abesse nefas erat (*e*). (Si Arelatensem, atque Agathensem excipias Ecclesias; in quibus VI. Sæc. integræ Psalmodiæ publicæ tum clericos, tum Laicos vacasse testis est Auctor Vitæ S. Cæsarii Arelaten. Episcopi c. 6. & 8., & Conc. Agath. c. 30.) Hinc pœnæ canonicæ comminatæ exinde Clericis iis fuere, qui non conveniebant *ad quotidianum Psallendi Sacrificium matutinis, & Vespertinis horis* (*f*). Ceterum ea ætate diebus Festis integra adhuc Psalmodia a Clericis in Ecclesiis cantata erat (*g*). At in Galliis mihi videtur primum Clericos publicam Psalmo-

(*a*) *Conc. Tarracon. c.7. A.517.*
(*b*) *Cod. de Sacr. Eccl. Leg. 1. Leg. 41.*
(*c*) *Chrysost. Hom. 18. in Acta Apost.*
(*d*) *Conc. Toletan. I. c. 5.*
(*e*) *Conc. Tarrac. ibid.*
(*f*) *Capit. Car. Magn. l. 7. c. 161.*
(*g*) *Conc. Tarrac. I. c. 7.*

modiam quotidianam deseruisse ad finem Sæc. VI, in aliquibus saltem Ecclesiis, cum in Festis dumtaxat diebus publicæ Psalmodiæ operam impertire tenerentur, ceteris vero hebdomadæ diebus *compensos* (eo nomine venit recitatio Horarum Canonicarum, quod *pensum* quoque medio ævo dixerunt (*a*), & antiquiores scriptores *Cursum* (*b*)) privatim *facere* possent (*c*). Quæ sane disciplina sensim reliquas pervasit Occiduas Ecclesias, ita ut post IX. tandem Sæc. passim publica Psalmodia solemnioribus dumtaxat Anni, primisque Festis diebus persolveretur, ut ex X. Sæc. Conciliis patet. Verum post XII. Sæc. mihi videtur huic abrogandæ disciplinæ maximam patefactam fuisse viam, cum ea ætate *titulus patrimonii* invaluisset, forte ex decreto Conc. Lateranensis A. MCLXXIX. (*d*): tunc enim cum clerici Ecclesiarum titulis *incardinati* amplius non essent, *ac de sua*, *vel paterna hæreditate subsidium vitæ haberent* (*e*), a quotidiano Ecclesiæ servitio, & a publicæ Psalmodiæ officio se se subtraxere; quippe qui bonis Ecclesiæ minime alerentur, quibus olim ex antiquissima disciplina privati erant si a publica Psalmodia abfuissent (*f*). Hinc Clerici, qui Sacris Ordinibus initiati erant privatæ Psalmodiæ in posterum vacarunt, cui operam impertire sancitum est etiam minores Clericos, qui Ecclesiasticis beneficiis potirentur ob antiquos Ecclesiæ canones.

Hinc mirari non subit nullis legibus sancitam fuisse pri-

(*a*) *Carnoten. ep.* 19.

(*b*) *Regula S. Machar. c.* 9., *Fortun. epigr.* 10. *V. Haephten. Disq. Monast. l.* 7. *Tract.* 2.

(*c*) *Conc. Antissid. c.* 5.

(*d*) C. 5. *sub Alex. III.* (*e*) *Ibid.*

(*f*) *Conc. Carth.* IV, *c.* 94.

privatam Psalmodiæ recitationem, cum Clerici se ea teneri scirent; eo vel magis quod ab ea etiam ætate, in qua publice adhuc Canonicæ horæ persolvebantur, si justa ex caussa Ecclesiam adire nequissent, privatim illas recitabant (*a*). Hinc cum tandem publica Psalmodia desiit, privatæ illius recitationi vacarunt, ex ipsa antiqua Ecclesiæ disciplina, quæ nova lege minime indigebat.

Canonicæ autem Horæ *Officium* vulgo appellantur, quo nomine primo donantur in Concilio Venetico in Brittania Minori Sæc. V. (*b*). Olim, ut diximus, *Cursus*, ac medio ævo *Pensus*, sive *Compensus* appellabantur, cum antea, dum in Ecclesia Psalmodia recitabatur, in varios libros illa distributa esset, uti *Psalterii*, in quo Psalmi, *Antiphonarii* in quo Psalmi notis alternis signati, *Lectionarii*, in quo Lectiones, *Hymnarii*, in quo hymni erant. Hinc inducta tandem privata Psalmodia omnium illorum voluminum epitome facta est, ut Clerici, qui pro illius ævi indole (in quo typographica arte adhuc carebant) codicum inopia premebantur, facilius in uno volumine omnia, quæ e Psalmodica Liturgia essent, haberent; quare codex Psalmodiæ *Breviarium* nuncupari cœpit. Psalterii Historiæ specimen brevi methodo dedimus c. 11. §. 1. Illud unum heic animadvertendum est, Clericos in privata Psalmodiæ recitatione *eidem ordini*, quo Cathedralis Ecclesia utebatur, se se exegisse, cum interea omnes Ecclesiæ a Metropolitana Psalmodiæ ordinem reciperent (*c*).

CAP.

(*a*) *Greg. Turon. de Glor. Confess. l.* 22. *c.* 31., *& de Vit. Patr. c.*6., *Conc. Tolet.* IV. *c.*10., *Vita S.Germani Episc. Paris. ap. Sur. die* 28. *Maj.*

(*b*) *An.* 465. *c.* 15.

(*c*) *Conc. Epaonen. c.*25., *Vasense* II. *c.*5., *Tolet.* IV. *c.*2.

C A P. V.

De Liturgia Eucharistica, sive de Missa.

CUm de Psalmodica dictum sit, nunc ad Eucharisticam transeamus Liturgiam, quo nomine venit incruentum Jesu Christi Salvatoris Nostri Sacrificium, quod diversis nominibus Patres donarunt. Sane illud appellarunt Λειτουργιαν, cum eo vocabulo Novi Testamenti Scriptura utatur pro Sacrificio, ac Ministerio Divino Act. c. XIII. λειτουργουντω, *ministrantibus*, h. e., Apostolis, recte *sacrificantibus* ex Erasmo. Antiquissima quoque denominatione dicitur Ιερουργια a S. Ignatio Martyre, h. e., *sacrum opus*. Præterea Μυσταγωγιαν Sacrificium appellarunt (*a*). Προσφοραν, *oblationem* (*b*), passim vero θυσιαν *Sacrificium*, & αναιμακτον θυσιαν incruentum Sacrificium apud Nanzianzenum. At inter Latinos universe *Missæ* nomine illud donatur ab antiquis Ecclesiæ temporibus (*c*). Hujus autem nominis etymologia nonnulli ex hebraica voce *Missah*, quæ *Oblationem* significat Deuter. c. 16., deducere conati sunt. At missis etymologistarum nugis, audienda est ab Isidoro (*d*) hujus nominis ratio: *Missa*, ait ille, *dicta est ab emittendo. Nam tempore, quo Sacerdos incipit consecrare Corpus Dominicum, dicendum est a Diacono post Evangelium: Si quis catechumenus est, procedat foras; & quia tunc emittuntur catechume-*

ni

(*a*) *Nanzianz. Orat.* 46., *Justini. Nov.* 58.

(*b*) *Canon. Apost. n.* 3. & 7.

(*c*) *Conc. Carth.* IV. *c.* 3., *Ambros. epist. l.* 5. 33., *August. serm.* 91. *de Tempore*, *Sever. Sulp. in vita S. Martini*, *Cassian. Instit. l.* 3. *c.* 11., *Leo I. R. P. ep.* 81. *ad Diosc. Alexandr.* &c.

(*d*) *Etymolog. l.* 6. *c.* 19.

ni ab Ecclesia, *ideo dicitur Missa ab emittendo*. Hinc *Missæ Catechumenorum* passim meminere Patres (*a*), ut infra dicemus. Itaque Sacrificio, quod a dimissione Catechumenorum proprie exordiebatur, ea de re *Missæ* nomen factum est.

Olim vernacula lingua Liturgia peracta est, cum Apostoli in re Liturgica eo usi sint idiomate, quod populis vernaculum erat. Id sane testantur antiquæ Liturgiæ, quæ ea lingua exaratæ sunt, quæ olim vernacula, atque communis erat. Hinc Latine in Occidente, Græce in Asia, Chaldaice Hierosolymis, Syriace in Syria Liturgiæ scriptæ videntur, ut infra dicendum erit. Quod equidem dilucidius patet ex S. Antonii Abbatis historia, qui Ecclesiam in Ægypto ingressus, ut ut idiota esset, nec usquam litteras didicisset, lectionem Evangelii intellexit, qua motus, novum illud vitæ genus amplexus est (*b*). Hinc a Theodosio Archimandrita plures excitatæ fuerunt Ecclesiæ, ut Græci, Bessi, Armeni propria lingua in singulis Ecclesiis Liturgiam audirent (*c*). Quæ inquam disciplina Sæc. IX. inter Sclavos, quibus fidem attulerat Christianam S. Methodius, obtinuit, consentiente Johanne VIII. R. P. (*d*), qui solum Evangelium latine in Missa legi saltem voluit. Quare hodie dum Moscovitæ (*e*), ac Maronitæ (*f*), vernacula lingua Missam celebrant. Hinc in principibus Ecclesiis, in quibus diversarum gentium frequentia erat in Missa Le-

(*a*) *Aug. serm.* 237., *Ambros. l.* 5. *epist.* 33.
(*b*) *V. Vitam ejus a S. Athan. Alexandr. script.*
(*c*) *Ex ejus Vita ap. Allatium epist. ad Naudæ.*
(*d*) *Epist.* 247. *ad Sfentopulcrum Comit. Moraviæ.*
(*e*) *V. Sigismund. Comment. Rer. Moscovit. l.* 2.
(*f*) *Papebroch. in Paralipom. ad Conat. in Catal. Pontific. Dissert.* XXX.

Lectiones Epistolæ & Evangelii tum Græce, tum Latine recitabantur, ut unusquisque illas intelligeret, quod Romæ a IX. Sæc. (a) factum est, & Constantipoli (b), atque etiam medio ævo in nostra Neapolitana Ecclesia in Psalmodiæ recitatione, atque Mystica Liturgia, cum græco alii, alii latino loquerentur idiomate (c). At cum tandem ea, qua Liturgia exarata erat, lingua obsolevit, ut nostra Latina, ac Græcorum antiquior illa, Ecclesia quæ Divino cultui maximopere studet, ne nimis vulgari lingua sacra Mysteria veluti evilescerent, antiquum in Mystica Liturgia idioma retinuit.

C A P. VII.

De Præcipuis Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ Liturgiis.

L*Iturgiæ* nomine heic venit Ordo ille Lectionum, precum, ac ceremoniarum, quæ adhiberi solent in Sacrificio. Horum plures olim fuere tum inter Orientales, tum inter Latinos, de quibus brevi, atque singillatim edisserendum est.

§. I.

De Orientalium Liturgiis.

Quinam esset Ordo Liturgiæ ab Apostolis constitutus augurantur Scriptores, cum illius nulla supersint

(a) *Anast. Bibl. in Benedicto III. & Ordo Rom. ap. Mabill.*

(b) *Nicolai I. R. P. epist. 8. ad Mich. Imper., & Leo X. ep. 1. ad Mich. Patriarch. CPolitan.*

(c) *Ex Vita S. Athan. Ep. Neap. ap. Ughel. Ital. Sacr. tom. 6.*

sint monumenta. Nihilominus hi, qui *Apostolos ad ipsam solummodo Orationem (Dominicam) oblationis hostiam consecrasse* (*a*) scripserunt, nihil aliud innuere videntur, quam, quod Oratio Dominica quædam potissima pars Liturgiæ fuerit (*b*). Sane Justinus Martyr omnium antiquissimus, & Apostolis fere coævus, Sæc. II. præcipuas quasdam Liturgiæ partes enumerat, quas inter aperte liquet præter Orationem Dominicam alios fuisse jam tum ritus in Mystica Liturgia.

Prima, atque vetustior, quæ nobis videatur, Liturgia, *Apostolorum Liturgia* appellatur, quæ vulgo tribuitur S. Clementi I. R. P. Hæc sane Liturgia etsi non sit genuinum Apostolorum opus, prout in præsentiarum prostat in Apostolicis Constitutionibus tomo 1., ceteris attamen Liturgiis antiquior merito habenda erit, quæ tribus, atque quarto etiam Sæculo aucta forte est; verum simplicior ceteris perstitit, quippe quæ nullis post IV. Saec. Ecclesiis usui fuisse constat (*c*). Alter Ordo Liturgicus *S. Jacobi Liturgia* appellatur, quæ etsi perperam hujus Apostoli nomine circumferatur, antiqua tamen censetur. Hæc autem Liturgia cum prolixior foret, primum S. Basilii Cæseriensis Episcopi opera brevior evasit; quare illa Basilii Liturgia exinde nuncupari cœpit. Ejus itaque nomine tres habentur Græcos inter Liturgiæ I. *Liturgia S. Basilii* appellatur. II. *Liturgia Magna S. Patris Nostri Basilii*. III. *Liturgia Syriaca S. Basilii*. Prima in omnibus fere convenit cum antiquiori ordine Liturgico Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut videre licet in Cyrilli

(*a*) *S. Greg. Magn. l. 7. ep. 64.*, *& Rather. Episc. Veron. de Contem. Can. p. 1.*

(*b*) *V. Hierony. adv. Pelag. l. 1. c. 18.*

(*c*) *V. Bocquillot Hist. de la Liturg.*, *& Cotelet. Patr. Apost. t. 1.*

rilli Catechesibus, ex quo manifeste consequitur, S. Jacobi Liturgiam Hierosolymitanæ Ecclesiae Liturgicum ordinem fuisse (*a*). Altera utuntur Graeci potissimum in Quadragesima, ac jejunii diebus, & frequentius Monachi (*b*). Tertiam adhuc adhibent Jacobitae Alexandrini, quae Syriaco idiomate scripta est (*c*). At Saec. XVI. quidam Dionysius vulgo *Catholicus* antiquam illam S. Jacobi Liturgiam ad breviorem redegit ritum, eaque *S. Jacobi Minoris Liturgia* appellata fuit.

Chrysostomus vero CPolitanus Antistes Basilii Liturgiam rursus breviori methodo contraxit, ne tædium fidelibus crearet, quare brevior isthæc Liturgia Chrysostomi nomen tulit. Tres autem *Chrysostomi Liturgias* Græci habent. Primam habes apud Goarium in Menologio, quæ antiquior est. Altera Syriace, & Tertia græce scripta habentur in Missali Romano Chaldaico. Tertia hac Liturgia usi sunt Monachi Græci, qui *Romanum agrum*, Campaniam, Apuliam, atque Calabriæ oras medio ævo incoluerunt. Syriaca vero Chrysostomi Liturgia a Nestorianis, atque Jacobitis Syriacis legitur.

Aliam habemus Liturgiam S. Cyrilli Patriarchæ Hierosolymitani nomine, quæ nihilominus recentior omnino est, eamque habes in Missali Romæ edito a Victorio Schialath Maronita.

Jacobitæ autem viginti octo utuntur Liturgiis, quarum insigniores sunt hæc laudata Cyrilli Hierosolymitani, alia quæ nomine S. Cyrilli Alexandrini decoratur, & olim S. Marco Evangelistæ tribuebatur; quæ quidem in antiquioribus a Reneaudotio

 habe-

(*a*) *Ap. Eüseb. Reneaud. Liturg. Orient. t.* 1.

(*b*) *Ap. Goar. in Euchol.*

(*c*) *Ap. Reneaud. ib.*, *V. Vansleb. Histoire de l'Eglise Alexandr. p. c.*28.

habetur, perinde ac alia, quæ etiam S. Marci nomine donatur, qua CPolitanam Ecclesiam olim usam fuisse ipse arbitratur. Jacobitarum Liturgiis accensendæ pariter erunt Liturgia S. Gregorii Nysseni, quæ probabilius cuidam Monacho *Gregorio Acindino* adscribenda erit. Alia etiam *S. Johannis Evangelistæ*, quæ cujusdam Patriarchæ hujus nominis censetur. Illa *S. Petri Secundi*, cujus nomine alii Petrum Apamiensem, alii Petrum Gnaphæum venire putant (*a*). Altera *Jacobi Bardati* sectæ Jacobitarum Auctoris. Aliæ *Moysis Barcephæ*, & *Severi Monachi*, quæ Jacobytarum Syriacorum propriæ sunt (*b*).

Habent itidem Orientales *Liturgiam S. Johannis Patriarchæ*, vulgo *Acæmetæ*, & Liturgiam *Gregorii Catholici Orientalis*, vulgo *Abulfaragii*, atque aliam *Philoxeni Episcopi Hierapolitani*.

Alia vero Liturgia utuntur Christiani Æthyopes, sive Abyssini, alia Christiani Arabes Nestoriani, alia Arabes Melchitæ, quæ *Euchologium Arabicum* appellatur, quam legunt Christiani omnes, qui Montem Synai, Arebum, oras Maris Rubri, Deserta Arabiæ Petreæ, Desertæ, & Felicis incolunt, perinde ac Monachi clarissimi Monasterii S. Catterinæ (*c*). Christiani Armeni Ciliciæ olim usi sunt *Liturgia S. Marutæ Metropolitæ Tagrithensis*, quæ inter Jacobiticas Liturgias refertur ab Abrahamo Echellensi, cujusmodi est & illa quæ *Liturgia Nestorii* appellatur, & vulgo dicitur *Tertia Liturgia*, qua Syri Nestoriani utuntur.

Hæ sunt præcipue Orientalium Liturgiæ, cum, ne contra votum nimis longus videar, innumeras alias omit-

(*a*) *V. Barsalib. ap. Reneaud. ib.*
(*b*) *V. Barsalib. Comm. in Liturg. Orient.*
(*c*) *V. Euchol. Arabic. edit. Fani Fortunæ A.* 1514.

omittam, quæ legi possunt apud Goarium, Reneaudotium, Barsalibium, Missale Romano Chaldaicum, Abrahamum Echellensem, aliosque. Nunc ad Latinos transeamus.

§. II.

De Occidentalium Liturgiis.

Quatuor fuerunt Occidentalium Liturgiæ, nimirum Romana, Gallicana, Hispana, & Ambrosiana.

Romana a Petro primum tradita, paullatim aucta fuit, eadem pari ratione ac vetustissimæ illæ Græcorum Liturgiæ. Vetustiora autem, quæ supersint illius monumenta sunt tres *Sacramentaria* (sic appellati sunt in Occidente Ordines Liturgici) *Leonianum*, *Gelasianum*, & *Gregorianum*. Primum, quod Leonis I. nomine insignitur, ipso Leone vetustior videtur ex aliquibus antiquissimæ notæ ritibus, eoque usa est Ecclesia Romana forte a IV. Sæculo; ut Eusebio Amort videtur. Hujus Sacramentarii duos habemus codices, unum e Bibliotheca Vaticana, alter e Bibliotheca Estensi Ludovici Antonii Muratorii opera editus.

Alter Sacramentarium Gelasii nomen fert, quod etsi Gelasio I. R. P., ut prostat, minime tribuatur, in antiquioribus tamen Romanæ Ecclesiæ Ordinibus Liturgicis merito habetur, cujus Exemplar edidit Venerabilis Cardinalis Thomasius e ms. codice Bibliothecæ Reinæ Sveciæ. Tandem tertium *Gregorianum* appellatum, nomen illud a S. Gregorio I. R. P. tulit, qui ordinem Liturgicum *continuavit* (a) ex antiquo quodam *Ordine*, quo antea utebatur Romana Ecclesia, quem ferme Gelasianum Sacramentarium fuisse putamus. At

 nihil-

(a) *Ex Joan. Diac. in ejus Vita l. 3. c. 21.*

nihilominus illud, quod habemus, *Gregorianum Sacramentarium*, novis ritibus in dies post Gregorium auctum fuisse nemo ambigit. Hujus Sacramentarii antiquior Codex servatur in Bibliotheca Buteleriana, de quo vide Du-Fresnium; alterum vero illius codicem edidit Menardus. At præter hæc Sacramentaria nonnullos alios medii ævi Ordines Liturgicos Romanæ Ecclesiæ habemus apud Mabillonium in Museo Italico, & apud Hittorpium.

Romana Ecclesia hisce Ordinibus usa est, aliæque Italiæ potissimum, atque suburbicariæ Ecclesiæ. Cum primis Sæculis, ut omnibus persuasum est, una ferme foret totius Occidentis Liturgia. At circa VI. Saec. alius obtinuit in Hispaniis Liturgicus Ordo ex Oriente a Gotthis illuc inlatus (*a*), qui *Musarabus* appellari cœpit, cum in Hispania quamplures essent Arabes, qui Christianam fidem amplexi erant, quapropter Hispani *Mixti-Arabes* tunc nuncupati erant. Hæc sane Liturgia edicto Concilii Toletani IV. cunctas pervasit Hispanas Ecclesias, in iisque adhibita fuit usque ad Saec. XI. Recentioris notæ codices hujus Liturgiæ habentur in Bibliotheca Maxima tomo 27. & in Vita Cardinalis Ximenii a Roblesio scripta.

Pari itidem ratione post V. Saec. peculiaris quædam Liturgia in Galliis obtinuit, quæ Gottica, vel Gallicana appellata est, cujus Auctorem alii S. Hilarium Pictavorum Episcopum, alii Museum Massiliensem presbyterum, ac nonnulli Sidonium Apollinarem habent. Hujus Liturgiæ usus Gallis fuit ad VIII. usque Saeculum. Quatuor autem Gallicanæ Liturgiæ habentur I. In *Missali Gottico*, quod Mabillonius vulgavit ex codice ante annos mille scripto. II. In *Missali Francorum*

(*a*) *V. Dissertat. nostram* §. VI. *Edit. Neap. An.* 1769.

rum. III. In *Missali Gallicano Veteri*, quæ duo recentioris notæ sunt. Quartum tandem edidit idem Mabillonius titulo: *Missalis Gallicani* ex antiquissimo etiam ms. codice ejusdem notæ Bibliothecæ Bobiensis (*a*). Hæc sane Gallicana Liturgia olim etiam inter Anglicanas obtinuit Ecclesias (*b*).

Tandem Mediolanensis Ecclesia propriam etiam habuit Liturgiam, quæ Ambrosii nomen tulit, cum ille antiquiori Liturgico ordini, quo Mediolanum utebatur, novos addidisset ritus (*c*). Hæc vero Liturgia in dies novis ritibus aucta est, eo ut pene altera sit ab illa, quæ Ambrosii ævo erat. Verum ad nostram usque ætatem peculiari isthac Liturgia usa est, atque utitur Mediolani Ecclesia, quam legesis in illius Missalibus.

Itaque una tantum perstitit in Occidente Ambrosiana Liturgia, cum XI. Sæc. in Hispania, Alfonso VIII. Rege. Romana Liturgia Musarabæ locum obtinuerit, & ab VIII. Sæc. sensim obsolescere cœperit in Galliis Gallicana, quo tandem & Romana itidem obtinuit Liturgia. Romanus autem Liturgicus Ordo medio ævo cum novis augeri cœpisset ritibus, ac Fratrum Minorum opera Sæc. XIV. sub Nicolao III. R.P. ab antiqua forma nimium discessisset, tandem a Tridentino Concilio decreta est Sæc. XVI. *Missalis Romani correctio*, quam Patres detulerunt Pio V. R.P., qui illam perfecit An. MDLXX. Qui plura de Occidentalibus Liturgiis, ac præsertim Romana legere desiderat, adeat

(*a*) *V. Mabill. Mus. Ital.*, *&* *Comm. in Curs. Gallican.*

(*b*) *V. Usser. de Antiquitat. Brittan. l. 2. c. 9.*

(*c*) *V. Vicecomit. de Antiqu. Mis. Rit. l. 2. c. 12. & 13., & Walfr. Strab. de Ritib. Eccl. c. 22.*

adeat §. VIII. & IX. Dissertationis nostræ, quam italico idiomate Anno MDCCLXIX. edidimus (*a*).

C A P. VIII.

De Mysticæ Liturgiæ Ministris.

OLim Episcopi dumtaxat Mysticam Liturgiam, sive Sacrificium celebrabant, cum illis præsentibus Presbyteris cœlebrare vetitum esset ad Sæc. usque VII. (*b*). Verum Episcopus nonnisi cum Presbyteris celebravit (*c*), quare Episcopi cum illis *συνιλειτουργησειν, και συλλειτουργειν concelebrare*, *consacrificare* dicebant (*d*). Hinc pro communionis signo veteribus erat simul *concelebrare*, quod Episcopi cum se se mutuo visitarent faciebant (*e*); quare Sedis Romanæ Apocrisarii Constantinopoli una cum Photio, qui à Romana fide discesserat, concelebrare renuerunt (*f*). Hanc sane disciplinam Ecclesia tenuit ad Sæculi usque XI. finem fere universe, at diu perstitit illa non solum Romæ, quo Pontifex cum Cardinalibus concelebrabat Sæc. XII. (*g*); sed & alibi etiam in Occidente usque ad XIII. Sæc. (*h*). Verum a Sæc. VIII.

(*a*) *Diss. Della Disciplina della Chiesa, e dell' obbligo de' sudditi intorno alla preghiera pel proprio Sovrano in 4.*

(*b*) *Conc. Hispalen. III. c. 7. A. 619.*

(*c*) *Ex Const. Apostol. l. 8. passim, & c. 16.*

(*d*) *V. Conc. Chalcedon. Act. 1., & Athanas. Apol. 2.*

(*e*) *De* Agapio *in Jure Græco Rom. l. 4., Vit. S. Paulini Nol. ab Uranio script.*

(*f*) *Johan.* VIII. *epist. ad Calc. Synod.* VIII.

(*g*) *Innoc. III. R. P. de Myst. Miss. l. 4. c. 25.*

(*h*) *Ex Durando Ration. l. 4. c. 41.*

VIII. & IX., cum in aliis Ecclesiis etiam præter Cathedralem Sacrificium celebraretur, Episcopus Presbyteris licentiam celebrandi impertiebatur, qui in ea Ecclesia, in qua *incardinati* erant, per Hebdomadas celebrabant (*a*). Ex quo tandem factum est, ut unusquisque Presbyter Missæ Sacrificium per se celebraret.

Diaconi vero etsi non *concelebrarent* cum Episcopo, eorum tamen septem ei aderant *ad Aram proximi* (*b*). Quo pariter numero erant Romæ tam Subdiaconi, *Regionarii* Romæ appellati, quam Acolythi, qui Liturgico in Missa fungebantur munere (*c*). Eadem disciplina utebatur in Diaconorum, Subdiaconorum, & Acolythorum numero Gallicana Ecclesia (*d*). Ea fuit antiquæ disciplinæ ratio, quæ paullatim pro temporum, ac locorum ratione variare cœpit.

Verum præter majores, atque minores Clericos, qui Sacrificio inserviebant, alii omnes tenebantur Ecclesiam quotidie adire, ac Liturgiæ interesse (*e*); quam equidem Disciplinam non solum servavit Ecclesia tum cum tribus, vel quatuor per hebdomadam diebus olim Episcopus celebrabat, sed etiam postquam quotidie celebratum est, comminatis in clericos, qui a quotidiana aberant Liturgia, canoni-

(*a*) *V. Johan. Diac. lib. de Eccl. Lateran. c.8.*, *& Martene ib. c.3. art.3.*

(*b*) *Prudent. l. de Coron. Hymno* 2.

(*c*) *V. Baron. ad An.* 1057. *n.* 19., *& Ordin. Rom. ap. Mabillon.*

(*d*) *V. Statuta Lugdun. Eccl. Spicileg. t.* 9., *& Antiq. Ritual. Cassinen. & San-Dionysianorum Monachor. ap. Mabill. Annal. Ord. S.Bened. t.3.4.6.*

(*e*) *Concil. Tolet. I. c.5.*

nicis pœnis (*a*); Quæ instituta ad Sæc. usque XIV. stetere (*b*).

C A P. IX.

De Diebus, atque Horis, in quibus Liturgia celebrata est, & quoties in unaquaque die.

SEmel olim in unaquaque hebdomada Missam celebrarunt majores nostri, ac singillatim die Dominica ex Apostoli præcepto, qui *per unam Sabbati collectas* fieri statuit (*c*), quod aperte testatur Justinus Martyr (*d*). Verum II. adhuc Sæculo in Occidente tribus hebdomadæ diebus sacrum peragebant Christiani tum die Dominico, tum *diebus Stationum*, nimirum feria quarta, & sexta (*e*). Tribus hisce diebus quartum adjecit Orientalis præsertim Ecclesia, nempe Sabbatum Sæc. IV. (*f*). At in Occidente haud una erat Ecclesiarum disciplina eodem Sæculo, cum *alibi nullus dies* prætermitteretur, *quo non offerretur*; *alibi Sabbato tantum*, *& Dominico*; *alibi tantum Dominico* (*g*). Quotidianum quippe Sacrificium tum in Africanis (*h*), tum in Hispanis (*i*) Ecclesiis obtinuerat, perinde ac in CPolitana Ecclesia eodem IV. Sæc. (*k*). Hinc tandem post VI. Sæc. ubique Ecclesiarum quotidiana invaluit *celebratio*, ut colligimus ex Ordinibus Gelasiano, & Gregoriano.

Quin

(*a*) *Ibid.* (*b*) *Conc. Ravennat. cap.* 12. *A.* 1317.
(*c*) *Ad Corint. I. c.* 16. (*d*) *Apolog.* 2.
(*e*) *Libr. de Oratione.*
(*f*) *Basil. epist.* 289. *ad Cæsar. Patric.*
(*g*) *August. ep.* 54. *ad Januar.* (*h*) *Id. epist.* 98.
(*i*) *Hierony. epist.* 28. *& Conc. Tolet. I. ibid.*
(*k*) *Chrysost. Hom.* 2. *in ep. ad Ephes.*

Quin imo post v. Sæc. in Occidente non solum quotidie solemnis Missa peracta est, sed festis quibusdam diebus eodem Presbytero, vel Episcopo Sacrificium iterare fas erat. Quæ quidem consuetudo primum obtinuisse videtur vi. Sæc., in quo privatæ Missæ usus adeo frequens minime erat: cum enim tunc solemnioribus festis *ea fidelium multitudo convenisset, quam recipere Basilica simul una non* poterat, *sacrificii oblatio* iteranda erat (*a*), quod cum primo pro re nata fieret, tandem in solemnioribus festis medio ævo etiam *absque necessitate* factum est. Quare ad viii. Sæc. alicubi die Natali Domini N. J. C. *quatuor Missæ* celebratæ sunt (*b*). Universe autem Kalendis Januarii *duæ Missæ*, quod ad Sæc. usque xiii. fieri consuevit (*c*) & aliquibus in locis etiam *tres* (*d*). In Cœna Domini *tres* fere ubique inter Latinos (*e*). In Galliis singulis hebdomadæ Paschalis diebus unicuique Sacerdoti duas celebrare Missas jus erat (*f*). Romæ in die Natali SS. Petri, & Pauli *tres Missæ* viii. etiam Sæc. celebratæ sunt (*g*). Tandem, ne longus sim, in unaquaque Ecclesia plures Missæ peragebantur in SS. festis, ut ex medii ævi Kalendariis colligere est (*h*). Hæc sane disciplina plane stetit ad Sæc. usque xiii, in quo ex frequenti jam Missæ privatæ recitatione Præsbyteri ea usi sunt libertate, ut quotidie *quoties eis liberet eadem mysteria iterarent* bis, vel ter, atque

(*a*) *S. Leo I. R. P. epist.* 11. *ad Dioscor.*

(*b*) *Ex Sacramentar. Gellonien. ap. Martene ib.*

(*c*) *V. Kalendar. Fronton. Ducæi, & Durand. Rat. l. 6. c. 5.*

(*d*) *Sacram. Gellon. ib.*

(*e*) *Ex Sacram. Gelasiano & aliis ap. Martene.*

(*f*) *V. Missale Gallic. Vet. ap. Thomasium.*

(*g*) *Ex MS. Sacrament. Novomiensi ap. Martene.*

(*h*) *Ap. Martene, & Bollet. Collect. Kalend. Eccl. Occid. t.* 1. & 2.

atque amplius pro eorum lubitu. (*a*). Hinc primum nonnisi tres Missas uni dumtaxat Sacerdoti celebrare eadem die fas esse statutum est (*b*), ideoque huic consuetudini quosdam præfinivit limites Ecclesia, statutis sex regulis pro *celebratione iteranda*. I. in festo Natalis Domini. II. ubi necessitas exigeret, uti si Defuncti, qui in propria Ecclesia condebatur, Missa die nempe mortis celebranda esset, vel *si sponsalia fieri oporteret &c.* III. *Si aliqua magna persona superveniens vellet audire Missam*. IV. Propter *Peregrinos*, *Hospites*, *Commeantes*, *propter infirmos*, *propter raritatem Sacerdotum*. V. *Cum duæ occurrerent festivitates* in illis poterant etiam *tres Missæ* celebrari. VI. *Si in die jejunii solemne festum* occurreret, *poterat* Sacerdos *unam de festo*, *& aliam de jejunio celebrare*. Hae sunt regulæ, quæ obtinebant Sæc. XIII. a Durando Mimatensi illius ævi scriptore relatæ (*c*), quæ quidem etsi generatim obtinerent, eodem tamen ævo alicubi arctioribus finibus res eadem coercita est, comminata violatoribus *suspensionis ab officio* pœna (*d*). Quare XIV. Sæc. consuetudo illa Missam iterandi præter Dominici Natalis diem omnino obsolevit.

At duo observatu digna circa eamdem disciplinam prætereunda nimime erunt. Primum: nimirum Sacerdotes, qui Missas iterabant, in eodem calice *digitos purificasse*, *cum quod fuerat in Calice* superfusum, reservaretur in vase mundo, ut in postrema Missa vel ab eis, vel a *Diacono*, clerico, aut *inno-*

(*a*) *Walfrid. Strabo*, *de Reb. Eccl. c.* 21.
(*b*) *Rational: l.* 4. *c.* 1.
(*c*) *Conc. Salegunstadiense c.* 5. *A.* 1022., *Canones Anglor sub Edgaro n.* 37.
(*d*) *Conc. Lambethen. cap.* 3. *A.* 1206.

nocenti aliquo e laicis sumeretur (*a*) . Secundum : Nusquam in eodem Altari Missas iterasse Presbyteros, sed unam in unoquoque Altari celebrasse, cum non *liceret super uno altari in una die duas Missas dicere* (*b*). Quae antiqua disciplina aliquibus saltem in Ecclesiis ad Saec. usque x. perstitit.

Nunc brevius de horis, in quibus Sacrum factum est a Christianis, quos olim in illa Ecclesiae pernicie noctu Sacris operam dedisse veteres illius aevi scriptores aperte testantur (*c*) . Hinc Plinius Trajano scribit, illos *ante lucem convenire* (*d*) , eorumque coetus *antelucanos*, ac *nocturnas convocationes* appellat Tertullianus (*e*). Verum postquam Ecclesia pacem, atque libertatem adepta est, die Sacrificium obtulit, ac singillatim in festis diebus *hora* diei *tertia*, in privatis diebus *sexta*, in quadragesima, aliisque jejunii diebus *hora nona* (*f*); quae quidem disciplina ad Saec. usque XIII. obtinuit (*g*) . Noctu attamen quatuor tantum diebus Missa medio tandem aevo celebrata est, nimirum in Natali Domini, in Sabbato Sancto, cujus Missa in antiquis Ritualibus inscribitur: *in nocte Sancta*. In festo S. Johannis Baptistae potissimum in Gallis, & a VI. quoque Saec. in Sabbatis quatuor temporum, in quibus *Ordinum* collatio peragebatur (*h*) . At XIII. Saec. vetus sensim desiit disciplina, ac tandem Saec.

XIV.

(*a*) *Constit. Richardi Episc. Sarum c.* 38., *Petr. Damiani l.*5. *ep.*8.

(*b*) *Conc. Antissidior. c.*10., *Greg. Turon. Hist. Franc. l.*5. *c.*49.

(*c*) *Ap. Baron. ad An.*34., & *Allat. de consens. Orient.*, & *Occid. Eccl. l.*3. *c.*13.

(*d*) *L.* 10. *epist.*97.

(*e*) *Apolog. c.*2., & *l.*2. *ad Uxor. c.*4.

(*f*) *Amalar. de Eccl. Offic. l.*3. *c.* 42.

(*g*) *Durand. Ration. l.*4. *c.*1. (*h*) *V. S. Leon. I. R. P. ep.* 10.

tea ascenderat, quod ex iis, quae de altari graphice diximus, dilucidius patet. Hujus confessionis in re Liturgica usus antiquior medio ævo non videtur, etsi Platina Damaso illum tribuat, cum antiquiora Sacramentaria, & Patres de hoc ritu sileant. Nonnullæ vero in medii ævi Liturgicis Ordinibus habentur hujus Confessionis formulæ, quas vide apud Martene illa; at, quæ nostræ plane accedit, primum tradita est Sæc. XIV. in Concilio Ravennatis a Raynaldo Episcopo habito (*a*).

Facta autem *Confessione* celebrans olim Altare thurificabat *per girum* (*b*), nimirum Altare circumibat (cum medio Presbyterii illud, ut dixi, staret) quod equidem a IX. Sæc. statim post *Confessionem*, & *introitum* factum est, cum IV. Sæculo post oblationem fieret (*c*). Postea ad suam ascendebat sedem, quo permanebat usque ad *Offertorium*, ut dicemus: qui sane mos Episcopis nunc reliquus est, at medio ævo quibusdam in Ecclesiis etiam Presbyteri celebrantes ea utebantur disciplina. Sedes autem, ut diximus, in Absidis semicirculi medio erat, e qua sedens Episcopus ceteris superior a populo videbatur, isque lectionibus, atque Evangelio audito, inibi concionem faciebat.

Olim itaque *celebrans* neque *introitum* dicebat, neque Psalmum *Judica*, neque ullam recitabat Orationem, cum ad Altare ascenderet, vel illud deosculаret. *Psalmum Judica* Liturgiæ accessit a Sæc. XII.; sed cum universe inter Latinos non obtineret, Sæc. tandem XVI. post Pii V. R. P. Missalis correctionem ubique Ecclesiarum invaluit (*d*). Quando autem Liturgiæ initio Altare deoscu-lari

(*a*) C. 15. *Concilior. to.* 11. *parte* 2.
(*b*) *V. Ordin. Rom. ap. Hittorp.*
(*c*) *Canon. Apost. can.* 3.
(*d*) *V. Bened. XIV. de Sacr. Miss.*

lari cœpit satis non constat, quamquam usus Altare pro pacis signo deosculandi, antiquus videatur apud Ambrosium (*a*); qui forte ritus venerationis, atque relligionis argumentum ipsis etiam paganis fuit, qui *vestigia Deorum* exosculabantur, nimirum mensam, cui Deorum imago *hærebat*, ut innuit Apulejus (*b*). At VIII. Sæc. ritus ille jam invaluerat, cum initio IX. Sæculi ejus meminerit vulgatus Amalarius (*c*). Hinc post IX. Saec. in omnibus passim viguit Ecclesiis, in quibus præter Altare celebrans in Missis privatis osculabatur etiam pedes iconis Crucifixi, vel imaginem illam, quæ Missalis initio excusa erat, hinc phrasis illa: *textum osculari*. Eodem ævo tum in ascensu ad Altare, tum post deosculationem celebrans orationes quasdam proferebat, quae a nostris longe differunt (*d*): sane earum, quibus utimur, prima habentur vestigia in Sacramentariis Saec. XIV.

§. III.

De Kyriis, Hymno Angelico, & Populi salutatione.

Post Psalmum *Introibo* chorus canebat *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, quas equidem preces Græco idiomate retinuit Latina Ecclesia a IV. Sæc. (*e*). At in Liturgia eas dici testatur omnium primus S. Gregorius I. Saec. VI. inter Latinos, etsi in Oriente in omnibus legantur vetustioribus Liturgiis. Græci vero in Liturgia simul cuncti tum e populo, tum e clero

 has

(*a*) *L.* 2. *ep.* 14. (*b*) *De Ass. Aur.*

(*c*) *De Eccl. Offic. l.* 3. *c.* 5.

(*d*) *V. Ritualia antiqua Antissidioren.*, & *Gellonien. ap. Mabil. in Collect. Nova Analector t.* 3.

(*e*) *August. epist.* 178.

nihilominus illud, quod habemus, *Gregorianum Sacramentarium*, novis ritibus in dies post Gregorium auctum fuisse nemo ambigit. Hujus Sacramentarii antiquior Codex servatur in Bibliotheca Buteleriana, de quo vide Du-Fresnium; alterum vero illius codicem edidit Menardus. At præter hæc Sacramentaria nonnullos alios medii ævi Ordines Liturgicos Romanæ Ecclesiæ habemus apud Mabillonium in Museo Italico, & apud Hittorpium.

Romana Ecclesia hisce Ordinibus usa est, aliæque Italiæ potissimum, atque suburbicariæ Ecclesiæ. Cum primis Sæculis, ut omnibus persuasum est, una ferme foret totius Occidentis Liturgia. At circa VI. Saec. alius obtinuit in Hispaniis Liturgicus Ordo ex Oriente a Gotthis illuc inlatus (a), qui *Musarabus* appellari cœpit, cum in Hispania quamplures essent Arabes, qui Christianam fidem aplexi erant, quapropter Hispani *Mixti-Arabes* tunc nuncupati erant. Hæc sane Liturgia edicto Concilii Toletani IV. cunctas pervasit Hispanas Ecclesias, in iisque adhibita fuit usque ad Saec. XI. Recentioris notæ codices hujus Liturgiæ habentur in Bibliotheca Maxima tomo 27. & in Vita Cardinalis Ximenii a Roblesio scripta.

Pari itidem ratione post V. Saec. peculiaris quædam Liturgia in Galliis obtinuit, quæ Gottica, vel Gallicana appellata est, cujus Auctorem alii S. Hilarium Pictavorum Episcopum, alii Museum Massiliensem presbyterum, ac nonnulli Sidonium Apollinarem habent. Hujus Liturgiæ usus Gallis fuit ad VIII. usque Saeculum. Quatuor autem Gallicanæ Liturgiæ habentur I. In *Missali Gottico*, quod Mabillonius vulgavit ex codice ante annos mille scripto. II. In *Missali Francorum*

(a) *V. Dissertat. nostram* §. VI. *Edit. Neap. An.* 1769.

num III. In *Missali Gallicano Veteri*, quæ duo recentioris notæ sunt. Quartum tandem edidit idem Mabillonius titulo: *Missalis Gallicani* ex antiquissimo etiam ms. codice ejusdem notæ Bibliothecæ Bobiensis (*a*). Hæc sane Gallicana Liturgia olim etiam inter Anglicanas obtinuit Ecclesias (*b*).

Tandem Mediolanensis Ecclesia propriam etiam habuit Liturgiam, quæ Ambrosii nomen tulit, cum ille antiquiori Liturgiço ordini, quo Mediolanum utebatur, novos addidisset ritus (*c*). Hæc vero Liturgia in dies novis ritibus aucta est, eo ut pene altera sit ab illa, quæ Ambrosii ævo erat. Verum ad nostram usque ætatem peculiari isthac Liturgia usa est, atque utitur Mediolani Ecclesia, quam legesis in illius Missalibus.

Itaque una tantum perstitit in Occidente Ambrosiana Liturgia, cum XI. Sæc. in Hispania, Alfonso VIII. Rege. Romana Liturgia Musarabæ locum obtinuerit, & ab VIII. Saec. sensim obsolescere cœperit in Galliis Gallicana, quo tandem & Romana itidem obtinuit Liturgia. Romanus autem Liturgicus Ordo medio ævo cum novis augeri cœpisset ritibus, ac Fratrum Minorum opera Sæc. XIV. sub Nicolao III. R.P. ab antiqua forma nimium discessisset, tandem a Tridentino Concilio decreta est Sæc. XVI. *Missalis Romani correctio*, quam Patres detulerunt Pio V. R.P., qui illam perfecit An. MDLXX. Qui plura de Occidentalibus Liturgiis, ac præsertim Romana legere desiderat,

S 4 adeat

(*a*) *V. Mabill. Mus. Ital.*, *& Comm. in Curs. Gallican.*

(*b*) *V. Usser. de Antiquitat. Brittan. l. 2. c. 9.*

(*c*) *V. Vicecomit. de Antiqu. Mis. Rit. l. 2. c. 12. & 13., & Walfr. Strab. de Ritib. Eccl. c. 22.*

adeat §. VIII. & IX. Dissertationis nostræ, quam italico idiomate Anno MDCCLXIX. edidimus (*a*).

C A P. VIII.

De Mysticæ Liturgiæ Ministris.

Olim Episcopi dumtaxat Mysticam Liturgiam, sive Sacrificium celebrabant, cum illis præsentibus Presbyteris cœlebrare vetitum esset ad Sæc. usque VII. (*b*). Verum Episcopus nonnisi cum Presbyteris celebravit (*c*), quare Episcopi cum illis *συνλειτουργήσειν, καὶ συλλειτουργεῖν concelebrare*, *consacrificare* dicebant (*d*). Hinc pro communionis signo veteribus erat simul *concelebrare*, quod Episcopi cum se se mutuo visitarent faciebant (*e*); quare Sedis Romanæ Apocrisarii Constantinopoli una cum Photio, qui à Romana fide discesserat, concelebrare renuerunt (*f*). Hanc sane disciplinam Ecclesia tenuit ad Sæculi usque XI. finem fere universe, at diu perstitit illa non solum Romæ, quo Pontifex cum Cardinalibus concelebrabat Sæc. XII. (*g*); sed & alibi etiam in Occidente usque ad XIII. Sæc. (*h*). Verum a Sæc. VIII.

(*a*) *Diss. Della Disciplina della Chiesa, e dell' obbligo de' sudditi intorno alla preghiera pel proprio Sovrano in 4.*

(*b*) *Conc. Hispalen. III. c. 7. A. 619.*

(*c*) *Ex Const. Apostol. l. 8. passim, & c. 16.*

(*d*) *V. Conc. Chalcedon. Act. 1., & Athanas. Apol. 2.*

(*e*) *De* Agapio *in Jure Græco Rom. l. 4., Vit. S. Paulini Nol. ab Uranio script.*

(*f*) *Johan.* VIII *epist. ad Calc. Synod.* VIII.

(*g*) *Innoc. III. R. P. de Myst. Miss. l. 4. c. 25.*

(*h*) *Ex Durando Ration. l. 4. c. 41.*

VIII. & IX., cum in aliis Ecclesiis etiam præter Cathedralem Sacrificium celebraretur, Episcopus Presbyteris licentiam celebrandi impertiebatur, qui in ea Ecclesia, in qua *incardinati* erant, per Hebdomadas celebrabant (*a*). Ex quo tandem factum est, ut unusquisque Presbyter Missæ Sacrificium per se celebraret.

Diaconi vero etsi non *concelebrarent* cum Episcopo, eorum tamen septem ei aderant *ad Aram proximi* (*b*), Quo pariter numero erant Romæ tam Subdiaconi, *Regionarii* Romæ appellati, quam Acolythi, qui Liturgico in Missa fungebantur munere (*c*). Eadem disciplina utebatur in Diaconorum, Subdiaconorum, & Acolythorum numero Gallicana Ecclesia (*d*). Ea fuit antiquæ disciplinæ ratio, quæ paullatim pro temporum, ac locorum ratione variare cœpit.

Verum præter majores, atque minores Clericos, qui Sacrificio inserviebant, alii omnes tenebantur Ecclesiam quotidie adire, ac Liturgiæ interesse (*e*); quam equidem Disciplinam non solum servavit Ecclesia tum cum tribus, vel quatuor per hebdomadam diebus olim Episcopus celebrabat, sed etiam postquam quotidie celebratum est, comminatis in clericos, qui a quotidiana aberant Liturgia, canoni-

(*a*) *V. Johan. Diac. lib. de Eccl. Lateran. c.*8., *& Martene ib. c.*3. *art.*3.

(*b*) *Prudent. l. de Coron. Hymno* 2.

(*c*) *V. Baron. ad An.* 1057. *n.* 19., *& Ordin. Rom. ap. Mabillon.*

(*d*) *V. Statuta Lugdun. Eccl. Spicileg. t.* 9., *& Antiq. Ritual. Cassinen. & San-Dionysianorum Monachor. ap. Mabill. Annal. Ord. S. Bened. t.*3.4.6.

(*e*) *Concil. Tolet. I. c.*5.

nicis poenis (*a*); Quæ instituta ad Sæc. usque XIV. stetere (*b*).

CAP. IX.

De Diebus, atque Horis, in quibus Liturgia celebrata est, & quoties in unaquaque die.

SEmel olim in unaquaque hebdomada Missam celebrarunt majores nostri, ac singillatim die Dominica ex Apostoli præcepto, qui *per unam Sabbati collectas* fieri statuit (*c*), quod aperte testatur Justinus Martyr (*d*). Verum II. adhuc Sæculo in Occidente tribus hebdomadæ diebus sacrum peragebant Christiani tum die Dominico, tum *diebus Stationum*, nimirum feria quarta, & sexta (*e*). Tribus hisce diebus quartum adjecit Orientalis præsertim Ecclesia, nempe Sabbatum Sæc. IV. (*f*). At in Occidente haud una erat Ecclesiarum disciplina eodem Sæculo, cum *alibi nullus dies* prætermitteretur, *quo non offerretur*; *alibi Sabbato tantum*, *& Dominico*; *alibi tantum Dominico* (*g*). Quotidianum quippe Sacrificium tum in Africanis (*h*), tum in Hispanis (*i*) Ecclesiis obtinuerat, perinde ac in CPolitana Ecclesia eodem IV. Sæc. (*k*). Hinc tandem post VI. Sæc. ubique Ecclesiarum quotidiana invaluit *celebratio*, ut colligimus ex Ordinibus Gelasiano, & Gregoriano.

Quin

(*a*) *Ibid.* (*b*) *Conc. Ravennat. cap.* 12. *A.* 1317.
(*c*) *Ad Corint. I. c.* 16. (*d*) *Apolog.* 2.
(*e*) *Libr. de Oratione.*
(*f*) *Basil. epist.* 289. *ad Cæsar. Patric.*
(*g*) *August. ep.* 54. *ad Januar.* (*h*) *Id. epist.* 98.
(*i*) *Hierony. epist.* 28. *& Conc. Tolet. I. ibid.*
(*k*) *Chrysost. Hom.* 2. *in ep. ad Ephes.*

Quin imo post v. Sæc. in Occidente non solum quotidie solemnis Missa peracta est, sed festis quibusdam diebus eodem Presbytero, vel Episcopo Sacrificium iterare fas erat. Quæ quidem consuetudo primum obtinuisse videtur vi. Sæc., in quo privatæ Missæ usus adeo frequens minime erat: cum enim tunc solemnioribus festis *ea fidelium multitudo convenisset*, *quam recipere Basilica simul una non* poterat, *sacrificii oblatio* iteranda erat (*a*), quod cum primo pro re nata fieret, tandem in solemnioribus festis medio ævo etiam *absque necessitate* factum est. Quare ad viii. Sæc. alicubi die Natali Domini N. J. C. *quatuor Missæ* celebratæ sunt (*b*). Universe autem Kalendis Januarii *duæ Missæ*, quod ad Sæc. usque xiii. fieri consuevit (*c*) & aliquibus in locis etiam *tres* (*d*). In Cœna Domini *tres* fere ubique inter Latinos (*e*). In Galliis singulis hebdomadæ Paschalis diebus unicuique Sacerdoti duas celebrare Missas jus erat (*f*). Romæ in die Natali SS. Petri, & Pauli *tres Missæ* viii. etiam Sæc. celebratæ sunt (*g*). Tandem, ne longus sim, in unaquaque Ecclesia plures Missæ peragebantur in SS. festis, ut ex medii ævi Kalendariis colligere est (*h*). Hæc sane disciplina plane stetit ad Sæc. usque xiii, in quo ex frequenti jam Missæ privatæ recitatione Præsbyteri ea usi sunt libertate, ut quotidie *quoties eis liberet eadem mysteria iterarent* bis, vel ter, atque

(*a*) *S. Leo I. R. P. epist.* 11. *ad Dioscor.*
(*b*) *Ex Sacramentar. Gellonien. ap. Martene ib.*
(*c*) *V. Kalendar. Fronton. Ducæi, & Durand. Rat. l. 6. c. 5.*
(*d*) *Sacram. Gellon. ib.*
(*e*) *Ex Sacram. Gelasiano & aliis ap. Martene.*
(*f*) *V. Missale Gallic. Vet. ap. Thomasium.*
(*g*) *Ex MS. Sacrament. Novomiensi ap. Martene.*
(*h*) *Ap. Martene, & Bollet. Collect. Kalend. Eccl. Occid. t. 1. & 2.*

atque amplius pro eorum lubitu (*a*). Hinc primum nonnisi tres Missas uni dumtaxat Sacerdoti celebrare eadem die fas esse statutum est (*b*), ideoque huic consuetudini quosdam præfinivit limites Ecclesia, statutis sex regulis pro *celebratione iteranda*. I. in festo Natalis Domini. II. ubi necessitas exigeret, uti si Defuncti, qui in propria Ecclesia condebatur, Missa die nempe mortis celebranda esset, vel *si sponsalia fieri oporteret &c.* III. *Si aliqua magna persona superveniens vellet audire Missam*. IV. Propter *Peregrinos*, *Hospites*, *Commeantes*, *propter infirmos*, *propter raritatem Sacerdotum*. V. *Cum duæ occurrerent festivitates* in illis poterant etiam *tres Missæ* celebrari. VI. *Si in die jejunii solemne festum* occurreret, *poterat* Sacerdos *unam de festo*, *&* *aliam de jejunio celebrare*. Hae sunt regulæ, quæ obtinebant Sæc. XIII. a Durando Mimatensi illius ævi scriptore relatæ (*c*), quæ quidem etsi generatim obtinerent, eodem tamen ævo alicubi arctioribus finibus res eadem coercita est, comminata violatoribus *suspensionis ab officio* pœna (*d*). Quare XIV. Sæc. consuetudo illa Missam iterandi præter Dominici Natalis diem omnino obsolevit.

At duo observatu digna circa eamdem disciplinam prætereunda nimime erunt. Primum: nimirum Sacerdotes, qui Missas iterabant, in eodem calice *digitos purificasse*, *cum quod fuerat in Calice* superfusum, reservaretur in vase mundo, ut in postrema Missa vel ab eis, vel a *Diacono*, clerico, aut *inno-*

(*a*) *Walfrid. Strabo*, *de Reb. Eccl. c.* 21.

(*b*) *Rational: l.* 4. *c.* 1.

(*c*) *Conc. Salegunstadiense c.* 5. *A.* 1022., *Canones Anglor sub Edgaro n.* 37.

(*d*) *Conc. Lambethen. cap.* 3. *A.* 1206.

nocenti aliquo e laicis sumeretur (*a*). Secundum: Nusquam in eodem Altari Missas iterasse Presbyteros, sed unam in unoquoque Altari celebrasse, cum non *liceret super uno altari in una die duas Missas dicere* (*b*). Quæ antiqua disciplina aliquibus saltem in Ecclesiis ad Sæc. usque x. perstitit.

Nunc brevius de horis, in quibus Sacrum factum est a Christianis, quos olim in illa Ecclesiæ pernicie noctu Sacris operam dedisse veteres illius ævi scriptores aperte testantur (*c*). Hinc Plinius Trajano scribit, illos *ante lucem convenire* (*d*), eorumque cœtus *antelucanos*, ac *nocturnas convocationes* appellat Tertullianus (*e*). Verum postquam Ecclesia pacem, atque libertatem adepta est, die Sacrificium obtulit, ac singillatim in festis diebus *hora* diei *tertia*, in privatis diebus *sexta*, in quadragesima, aliisque jejunii diebus *hora nona* (*f*); quæ quidem disciplina ad Sæc. usque XIII. obtinuit (*g*). Noctu attamen quatuor tantum diebus Missa medio tandem ævo celebrata est, nimirum in Natali Domini, in Sabbato Sancto, cujus Missa in antiquis Ritualibus inscribitur: *in nocte Sancta*. In festo S. Johannis Baptistæ potissimum in Gallis, & a VI. quoque Sæc. in Sabbatis quatuor temporum, in quibus *Ordinum* collatio peragebatur (*h*). At XIII. Saec. vetus sensim desiit disciplina, ac tandem Saec. XIV.

(*a*) *Constit. Richardi Episc. Sarum c.* 38., *Petr. Damiani l.*5. *ep.*8.

(*b*) *Conc. Antissiodor. c.*10., *Greg. Turon. Hist. Franc. l.*5. *c.*49.

(*c*) *Ap. Baron. ad An.*34., *&* *Allat. de consens. Orient.*, *&* *Occid. Eccl. l.*3. *c.*13.

(*d*) *L.* 10. *epist.*97.

(*e*) *Apolog. c.*2., *&* *l.*2. *ad Uxor. c.*4.

(*f*) *Amalar. de Eccl. Offic. l.*3. *c.* 42.

(*g*) *Durand. Ration. l.*4. *c.*1. (*h*) *V.S. Leon. I. R. P. ep.* 10.

xiv. quavis hora a Solis ortu ad meridiem Missa peracta est.

CAP. X.

De singulis Liturgiæ, sive Missæ partibus.

NUnc autem operae prætium erit de singulis edisſere Missae partibus, ac quae sit singularum antiquitas, atque ratio investigare. Quas equidem etsi fusiori calamo plurimi, iique clarissimi viri persecuti sint, nos attamen breviori, qua fas erit, methodo illas perstringemus, ac lectores monemus, nos heic de Missa Solemniori (vulgo *Majori*) loqui, sequenti capite de Missa privata dicturi.

§. I.

De Liturgiæ Introitu.

Dum Sacerdos, vel Pontifex sacris vestibus indutus a Secretario egressus ad Presbyterium, atque ad ipsum Altare procedebat, Chorus quamdam cantabat antiphonam, quæ medio ævo *ad Introitum* dicebatur, eamq. *Ingressam* appellat Liturgia Ambrosiana. Hæc sane antiphona Gregorio Magno tribuitur (*a*). Gregorium in suo Antiphonario illam exarasse potius arbitramur, rati ante Gregorii ætatem in Occidente Liturgiæ initio cantari consuevisse Psalmum: *Introibo ad Altare Dei*, cum illud innuat Auctor librorum *de Sacramentis* sub Ambrosii nomine (*b*), quodque ex iisdem Psalmorum versiculis, qui in Introitu habentur, apparet, qui discrepant ab illis Vulgatæ versionis, adeoque multam redolent vetustatem. Usus autem hujus antiphonæ

(*a*) *Honor. Augustodun. Gemma Animæ l.* 1. *c.* 87.
(*b*) *Lib. de Sacram. c.* 2.

næ in Romana, atque Ambrosiana Liturgia dumtaxat invaluit, cum neque in Gallicana, neque in Musaraba ullum illius vestigium appareat. In Galliis enim Saec. VI. a lectione incipiebat Missa (*a*).

Antiphona autem integer olim erat Psalmus, ita appellatus, quia ut diximus alternatim cantabatur: Integer hic Psalmus usque ad IX. Saec. in *Introitu* cantatus est, a qua ætate aliquibus dumtaxat illius versiculis Introitus contineri cœpit. Introitus autem ante XIV. Sæc. a celebrante non recitabatur, sed dumtaxat à Choro. Medio ævo in quibusdam Occidentis Ecclesiis præter *Introitum* Chorus in *præcipuis festivitatibus immediate ante introitum quemdam versiculum* cantabat, qui dicebatur *Tropus* (*b*), ut in festo Nativitatis: *Puer natus est nobis* &c. Ejusmodi versiculorum auctorem eumdem Gregorium Magnum ferunt; at a Græca potius Liturgia inter Latinos delatus fuit *troporum* usus, quos Græci cantabant post Horas (*c*) nimirum ante Missam; de quibus vide *Liturgiam Chrysostomi*. Interea Sacerdos Altari accedebat.

§. II.

De Confessione.

Dum Chorus Antiphonam Introitus cantaret, Sacerdos ante Altaris gradus stans, *Confessionem* faciebat, quam *Apologiam* veteres Liturgiæ appellant, eamque pronus ad Altare recitabat. Verum olim non plano Sanctuarii ante primum Altaris gradum stabat, sed plano ipsius Altaris, cujus gradum antea

(*a*) *Ex Greg. Turon. Hist. Franc. l.*8. *c.*7.
(*b*) *Durand. Ration. l.*4. *c.*5.
(*c*) *Ex Codino, & Theodoro Anagoste ap. Meurs. ibid.*

tea ascenderat, quod ex iis, quae de altari graphice diximus, dilucidius patet. Hujus confessionis in re Liturgica usus antiquior medio ævo non videtur, etsi Platina Damaso illum tribuat, cum antiquiora Sacramentaria, & Patres de hoc ritu sileant. Nonnullæ vero in medii ævi Liturgicis Ordinibus habentur hujus Confessionis formulæ, quas vide apud Martene illa; at, quæ nostræ plane accedit, primum tradita est Sæc. XIV. in Concilio Ravennatis a Raynaldo Episcopo habito (*a*).

Facta autem *Confessione* celebrans olim Altare thurificabat *per girum* (*b*), nimirum Altare circumibat (cum medio Presbyterii illud, ut dixi, staret) quod equidem a IX. Sæc. statim post *Confessionem*, & *introitum* factum est, cum IV. Sæculo post oblationem fieret (*c*). Postea ad suam ascendebat sedem, quo permanebat usque ad *Offertorium*, ut dicemus: qui sane mos Episcopis nunc reliquus est, at medio ævo quibusdam in Ecclesiis etiam Presbyteri celebrantes ea utebantur disciplina. Sedes autem, ut diximus, in Absidis semicirculi medio erat, e qua sedens Episcopus ceteris superior a populo videbatur, isque lectionibus, atque Evangelio audito, inibi concionem faciebat.

Olim itaque *celebrans* neque *introitum* dicebat, neque Psalmum *Judica*, neque ullam recitabat Orationem, cum ad Altare ascenderet, vel illud deoscula1ret. *Psalmum Judica* Liturgiæ accessit a Sæc. XII.; sed cum universe inter Latinos non obtineret, Sæc. tandem XVI. post Pii V. R.P. Missalis correctionem ubique Ecclesiarum invaluit (*d*). Quando autem Liturgiæ initio Altare deoscu-lari

(*a*) C. 15. *Concilior. to.* 11. *parte* 2.
(*b*) *V. Ordin. Rom. ap. Hittorp.*
(*c*) *Canon. Apost. can.* 3.
(*d*) *V. Bened. XIV. de Sacr. Miss.*

lari cœpit satis non constat, quamquam usus Altare pro pacis signo deosculandi, antiquus videatur apud Ambrosium (*a*); qui forte ritus venerationis, atque relligionis argumentum ipsis etiam paganis fuit, qui *vestigia Deorum* exosculabantur, nimirum mensam, cui Deorum imago *hærebat*, ut innuit Apulejus (*b*). At VIII. Sæc. ritus ille jam invaluerat, cum initio IX. Sæculi ejus meminerit vulgatus Amalarius (*c*). Hinc post IX. Saec. in omnibus passim viguit Ecclesiis, in quibus præter Altare celebrans in Missis privatis osculabatur etiam pedes iconis Crucifixi, vel imaginem illam, quæ Missalis initio excusa erat, hinc phrasis illa: *textum osculari*. Eodem ævo tum in ascensu ad Altare, tum post deosculationem celebrans orationes quasdam proferebat, quae a nostris longe differunt (*d*): sane earum, quibus utimur, prima habentur vestigia in Sacramentariis Saec. XIV.

§. III.

De Kyriis, Hymno Angelico, & Populi salutatione.

Post Psalmum *Introibo* chorus canebat *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, quas equidem preces Græco idiomate retinuit Latina Ecclesia a IV. Sæc. (*e*). At in Liturgia eas dici testatur omnium primus S. Gregorius I. Saec. VI. inter Latinos, etsi in Oriente in omnibus legantur vetustioribus Liturgiis. Græci vero in Liturgia simul cuncti tum e populo, tum e clero

 has

(*a*) *L.* 2. *ep.*14. (*b*) *De Aſ. Aur.*

(*c*) *De Eccl. Offic. l.*3. *c.*5.

(*d*) *V. Ritualia antiqua Antissidioren.*, & *Gellonien. ap. Mabil. in Collect. Nova Analector t.*3.

(*e*) *August. epist.*178.

has cantabant preces, secus Latini, quos inter a Clericis dicebatur *Kyrie eleison*, & a populo repetebatur *Christe eleison* (*a*). Saec. XI. Græcos latine preces illas cantasse scripsit vulgatus Auctor Alcuini nomine (*b*). Latini Sæc. XII. & XIII. in nonnullis Galliarum Ecclesiis ultimo *Kyrie eleison* addebant *ημας*, h. e., *nobis* (*c*), quod eodem forte ævo obsolevit. In Ambrosiana vero Liturgia tres etiam *Kyrie* dicuntur, sed unum post *Gloria in excelsis*, alterum post Evangelium, tertium in fine Missæ.

Post *Kyrie* canitur Hymnus Angelicus, nimirum *Gloria in excelsis &c.*, qui quidem vetustissimæ notae est, cum integer habeatur in Constitutionibus Apostolicis (*d*). In Romana equidem Liturgia ab antiquo obtinuit (*e*), uti & in Musaraba (*f*), minime vero in Gallicana (*g*). Medio aevo Episcopo celebranti illum recitare fas erat, nusquam autem Sacerdotibus, uno excepto Paschatis die, cum solis dumtaxat Dominicis, atque festis diebus ab Episcopo dicendus esset (*h*); Quae equidem disciplina ad Saec. usque IX. stetit (*i*). Olim autem hymnus ille integer a Choro dicebatur in Missa solemni, a XII. autem Saec. ritus, qui nos inter obtinet, invaluisse videtur, nimirum ut celebrans hymnum *incipiat*,

(*a*) *Greg. Magn. l.7. ep.67.*

(*b*) *De Div. Offic. c. de signif. Miss.*

(*c*) *Ex Beletho Expli. Divin. Offic. c.36., & Durand. Ration. l.4. c.12.*

(*d*) *L.7. c.48.*

(*e*) *Ex Pontific. Damasi in Symmacho*,

(*f*) *Euther. l.1. adver. Elipand.*

(*g*) *V. Sacram. Gall. omnia ap. Thomas., & Mabill., in quibus desideratur.*

(*h*) *Sacram. Gregorian.*

(*i*) *Walsrid. Strabo. de Eccl. Offic. c.22.*

piat, & *chorus compleat* (*a*). Hoc autem hymno non tantum in Pſalmodica Liturgia uſa eſt olim Latina Eccleſia (*b*); imo in publicis gratiarum actionibus tum a Latinis (*c*) tum a Graecis decantatus eſt (*d*).

Abſoluto Hymni angelici cantu, celebrans *collectam* ſive *orationem* recitaturus, populum ſalutabat, dicens: *Dominus vobiſcum*. Heic olim Liturgia exordiebatur, hinc Epiſcopus populum ſalutabat illis verbis Pauli *Gratia Dei*, *&* *Pax* &c., qua inquam ſalutatione initium Liturgiae faciebat a Saec. IV. (*e*). At communis Orientalibus, atq. Occidentalibus Eccleſiis, & antiquiſſima a IV. Saec. fuit ſalutatio illa: *Pax vobis*. (*f*) Verum frequentior Graecis erat illa: *Pax omnibus* (*g*), populo reſpondente, ac *pacem ei reddente* illis: *cum ſpiritu tuo* (*h*). Verum Saec. VI. in Occidente duplex erat iſthaec ſalutatio, cum Epiſcopi illam *Pax vobis*, Presbyteri aliam *Dominus vobiſcum* adhiberent, quod diſcrimen alicubi ablatum eſt (*i*). At IX. Saec. Romae in Domi-

(*a*) *Hildebert. Cenomanen. Hymn.* 3. *ap. Durantem. l.*2. *c.*14.

(*b*) *V. Martene Comment. ad Reg. S. Bened.c.*12.

(*c*) *Greg. Turon. de Glor. Martyr. l.*1. *c.*63. *&* *de Mir. S.Mart. l.*2. *c.*25., *Conc. Tolet.* VIII., *Anaſtaſ. Blibl. in Leone III.*

(*d*) *Synod. Œcum.*VI. *Act.I.*

(*e*) *Cyrill. Alex. l.*22. *in Johan.*

(*f*) *Chryſoſt. Hom.* 33. *in c.* 10. *Matth.*, *Iſidor. Pelus. l.*1. *ep.*122.

(*g*) *Chryſoſt. Hom.*3. *in epiſt. ad Coloſſ.*, *&* *V.Liturg. Chryſoſt.*, *&* *Baſilii*.

(*h*) *Chryſoſt. Hom.*36. *de Pentecoſte*

(*i*) *Conc. Bracaren. I. A.*563. *c.* 21.

minicis diebus, aliisque festis dumtaxat Episcopi utebantur *Pax vobis*, ceteris vero diebus *Dominus vobiscum*, quod in aliis postea obtinuit Occidentis Ecclesiis (*a*). Graecis vero omnibus antiqua formula *Pax omnibus* stetit, & inter Latinos a IX. Saec. Liturgiae initio Episcopi dicunt: *Pax vobis* (*b*). Olim populus, ut diximus, respondebat: pro populo nunc Chorus, vel in privatis Missis clericus. Tandem animadvertendum, usque ad VIII. Saec. celebrantem eodem modo, quo stabat super Altare, populum salutasse, cum, ut dictum est, Altare in Absydae medio situm esset, ideoque Celebrans populum respiceret: a Saec. autem IX. cœpit ille ad populum verti, cum ab ea aetate Altaria eo ordine construi cœperint, ut celebrans integra Liturgia tergo versus sit populo. Vide c. *de Altari*.

§. IV.

De Collecta, deque voce Amen.

Salutato populo Celebrans *Collectam* facit, ita a majoribus nostris appellata est oratio, quae in Liturgia profertur, cum celebrans omnium quodammodo colligat vota, atque Deo exhibeat. Hinc apud antiquos *colligere* idem erat, ac Sacrum agere, Liturgiae operam dare (*c*), imo ipsa Liturgia *collecta* appellata est (*d*). Olim antequam ille orationem diceret, Diaconus *populum illam indicebat* (*e*), *clamans*: *Flectamus genua*, ac quis-

(*a*) *Ex Leon.VII. R.P. epist.2. ad Ep. Gall., & Germ.*
(*b*) *Vulg. Amalar. ibid.*
(*c*) *Tertull. l. de fuga.*
(*d*) *Hist. Tripart. l.2.c.19., Epiphan.l.6.c.23., Hierony. in Epitaph. Paulæ, August. in Enchirid.*
(*e*) *Cæsar. Serm. 58. inter serm. S.August. n.286. in Append. t.5.*

quisque e populo genua flectebat. Vocem autem illam *Oremus* ante orationem protulisse Celebrantem IV. Saec. innuere quodammodo videtur S. Augustinus *(a)*; ac merito quidem ille populum hortabatur de dicenda oratione, cum quisque una cum celebrante illam proferret *(b)*, quod medio ævo etiam factum est: *litterati* enim *proferebant eadem verba, quæ Sacerdos, sed iste voce celsa, illi depressa. Laici vero* (quo nomine medio ævo illiterati veniunt. Vide Du-Cangium) *orabant lingua materna (c)*. Oratio concluditur illis *per Christum Dominum Nostrum* a IV. Saec., ut aperte testatur Optatus Milevitanus *(d)*, quibus jam tum addebatur illud a Latinis: *in sæcula sæculorum*, vel *in sæculum sæculi (e)*; a Græcis *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων (f)*. Universe tandem a Sæc. XI. illa addita videntur: *qui tecum vivit & regnat &c. (g)*. Olim una dumtaxat *Oratio* in Liturgia proferebatur, ut legimus in Sacramentariis Gelasiano, & Gregoriano. Verum post VIII. Sæc. adeo illarum numerus excreverat, ut ultra septem orationes alias proferendas non esse statutum fuerit *(h)*.

Collecta absoluta, populus respondebat *Amen*, vox sane Hebraica vel affirmantis, vel optantis. Quæritur quo sensu a populo Christiano dicatur in Liturgia,

(a) *Epist. 106. ad Vitalem*

(b) *Chrysost. hom. 10. in ep. 2. ad Corinth.*

(c) *Anony. Turonen. in Speculo Eccl. ap. Marte. in Thesaur. Monum. t. 5.*

(d) *L. 3. de Schism. Donatist.*

(e) *August. Enarr. in Psalm. 71., Hierony. Comm. in c. 7. ep. ad Galat.*

(f) *Epiphan. l. 1. Hær. 31.*

(g) *V. Alcuin. ib., & Microlog. c. 6. & 7.*

(h) *V. Alcuin. ib., & Duran. Rat. l. 4. c. 14.*

gia; at mihi perſuaſum eſt utroque ſenſu dici: cum enim poſt orationem illa profertur vocula, optantis eſt, ac ſi dicatur: *γενοιτο fiat* (*a*); cum autem illam respondebant olim fideles, poſtquam presbiter dixerat verba Conſecrationis *hoc eſt &c.*, ut teſtatur Ambroſius, affirmantis erat: *Et tu dicis Amen, hoc eſt, verum eſt* (*b*), quo ſenſu itidem illam repetebant Chriſtiani accepta Euchariſtia, ut dicemus. Hebraicam itaque hanc vocem ab ineunte Eccleſia uſurparunt in Liturgia Chriſtiani (*c*).

§. V.

De Epiſtola, Graduali, Alleluja, Tractu, & Sequentia.

Ab VIII., ac potiſſimum IX. Sæc. poſt Orationem tum celebrans, atque ceteri miniſtri, tum populus ſedebat in Occidente (*d*), quæ conſuetudo ad Sæc. fere XIV. adhuc vigebat (*e*); at olim *populus ſedendi in Eccleſia non habebat poteſtatem* (*f*). Hinc hodiedum Græci perpetuo ſtant, cum Liturgiæ interſunt.

Interea *lectio* ex Scripturis recitabatur. Jam inde ab Eccleſiæ principio *duæ lectiones* in Liturgia legebantur ex Veteri una, alia ex Novo Teſtamento (*g*), quæ

(*a*) *Hierony. ep. ad Marcell., & Juſtin. Apol. 2.*

(*b*) *Ambr. l. de Myſter. c. 9.*

(*c*) *Juſtin. ib., Tertull. de Spectac. c. 25.*

(*d*) *Alcuin. c. 16., Microl. c. 6., Amalar. Fort. l. 3. c. 10.*

(*e*) *Durand. Rat. l. 4. c. 18., Innocent. III. R. P. de Myſt. Miſ. l. 2. c. 34.*

(*f*) *Optat. Milev. ib. l. 4.*

(*g*) *Tertull. de Præſcriptionib. c. 36., Juſtin. Mart. Apol. 2., Auguſt. Serm. 45., & 82., Chryſoſt. hom. 34. de David, & Saul.*

quæ *Apostolus* in antiquis Sacramentariis nuncupatur, cum plerumque lectio secunda e canonicis esset epistolis. Duplicis itaque lectionis disciplina ubique in Oriente, perinde ac in Occidente tum in Romana, tum in Musaraba, Gallicana, atque Ambrosiana Liturgia erat. Præter Canonicas lectiones olim etiam Romanorum Pontificum, atque insigniorum Episcoporum scripta in Liturgia legebantur (*a*), at a IV. Sæc. tum in Oriente (*b*) tum in Occidente solos Novi, vel Veteris Testamenti libros legendos esse sancitum est (*c*); cum nihilominus mædio ævo tum in Hispanis, tum in Gallicanis Ecclesiis antiquus perstiterit mos (*d*), atq. etiam in Mediolanensi Ecclesia (*e*) ad Sæc. XIII. usque. Epistolae, sive Veteris Testamenti Scripturæ in Liturgia a Diaconis antiquitus, deinde a Lectoribus, post VIII. Sæc. a Subdiaconis lectæ sunt (*f*). Lector autem accepto libro ad Celebrantem se vertebat, ejus *nutum* expectans (*g*), ac pari modo circa X. Sæc. usus ille invaluit, ut Subdiaconus lecta epistola Celebranti accederet, ejusque benedictionem *acciperet* (*h*).

Post Epistolam canitur *Graduale*, sive *Responsorium*, quod uno constabat Psalmo, qui *Psalmus Responsorius* a Gregorio Turonensi dicitur (*i*). Hujus Psalmi, qui

 inter

(*a*) *Euseb. Hist. Eccl. l.3. c.16.*

(*b*) *Conc. Laodic. c.59.*

(*c*) *Conc. Carth. III. c.47.*

(*d*) *Braulo Episc. Cæsaraug. libello de Gest. S. Æmilii, Greg. Turon. de Mir. S. Mart. l.2. c.49.*

(*e*) *V. Gebehardi epist.3. Musei Ital. t.1.*

(*f*) *V. Bonam Rer. Liturg. l.2. c.6.*

(*g*) *Sulpit. Sever. in Vita S. Mart. l.3.*

(*h*) *V. ap. Mabill. Ann. Ord. S. Bened. Sæc. V. Libell. Mirac. S. Dunstan. n.19.*

(*i*) *Hist. Francor. l.8. c.3.*

inter Epistolæ, & Evangelii lectionem dicebatur IV. Sæc. meminit Augustinus (*a*). Illum recitabat, vel cantabat is, qui epistolam legerat, dum gradus ambonis, in quo lectionem fecerat, descendebat, ea de re *Gradualis* dictus. Psalmi autem versiculi inter lectorem, & Chorum alternatim cantabantur, quare idem Graduale *Responsorium* itidem dicebatur. In Romana Ecclesia liber peculiaris erat, in quo Psalmi ideo *Graduales* dicti, descripti erant, qui quidem *Gradualiale* appellabatur (*b*). In Liturgia Ambrosiana Graduale desideratur, perinde ac in antiqua Musaraba (*c*).

Hebraica vox *Alleluja* h. e., *laudate Dominum* a IV. Sæc. Graduale excepit in iis potissimum quinquaginta diebus, qui a Pascha ad Pentecostem decurrunt (*d*). At VI. Sæc. omnibus diebus potissimum festis, præter quadragesimæ, ac jejunii illos, alleluja cantatum est (*e*). Observandum vero heic est, populum olim, cum publicæ Psalmodiæ aderat, *responsoria* etiam cantasse una cum choro, at *alleluja* a solis Sacris ministris cantatum fuisse (*f*).

Medio autem ævo diebus potissimum jejunii pro *Alleluja* dicebantur alicujus Psalmi versiculi, qui *Tractus* appellabantur (*g*). Hujus nominis mysticas de more Liturgistæ attulerunt rationes, at lubet heic ve-

(*a*) *Serm.* 32., 126. & 76.

(*b*) *Amal. Fort. Præfat. in Antiphonar.*

(*c*) *Ex Conc. Tolet. IV. c.* 12.

(*d*) *August. ep.* 119. *ad Januar.*, *Hieron. initio lib. advers. Vigilant.*

(*e*) *Greg. Magn. l.* 7. *ep.* 64., *Isid. de Eccl. Off. l.* 1. *c.* 13.

(*f*) *Theodor. Cantuar. Capit. cap.* 27. *Spicil. t.* 9.

(*g*) *Amalar. Fort. ib.*, & *Alcuin. de div. Offic. c. de Septuagesima.*

veram afferre. Cum enim alleluja non dicebatur, chorus cantum *trahebat*, sive *protrahebat*, addens alterius cujusdam Psalmi versiculos, qui ea de re *Tractus* dicebantur. Sane hanc reperies vocem hac eadem *protrahendi* significatione apud Jurisconsultos Paullum, & Nonium (*a*).

Tandem sequebatur *Prosa*, sive *Sequentia*, quæ Evangelii lectionem præcedebat. Prosa quidem dicebatur, quia versibus ad Psalmorum instar non constabat. In Ordine Romano dicitur *Jubilatio*. Harum autem *Sequentiarum*, quæ plures olim erant, auctorem ferunt Monachum quemdam Gallum *Nogerum* nomine, qui Sæc. IX. vixit (*b*). Illud vero pro certo erit, *Sequentiam* Sæc. IX. primum in Liturgia in Latinorum nonnullis Ecclesiis invaluisse, ac post XIII. Sæc. fere universe receptam fuisse (*c*).

§. VI.

De Evangelii Lectione, Symbolo. Deque Episcopi Concione.

Olim e Lectoribus unus Evangelium publice legebat in Liturgia (*d*). At a IV., atque universe VI. Sæc. id muneris uni dumtaxat Diacono collatum est (*e*). Diaconus itaque Evangelium lecturus a Celebrante *benedictionem* postulabat in antiquioribus præsertim Græcorum Liturgiis (*f*), cui ille benedicebat, atque in Or-

(*a*) *V. Gronwickium de Veteri Latinit.* §. 9.

(*b*) *Beleth. ib. c.* 38. (*c*) *Durand. ib. l.* 4. *c.* 22.

(*d*) *Cyprian. epist.* 83., *&* 34., *Conc. Tolet. I. c.* 2.

(*e*) *Conc. Vasen. c.* 2. *A.* 529., *S. Greg. Magn. l.* 4. *ep.* 44., *Sozom. l.* 7. *c.* 21.

(*f*) *In Liturg. S. Basili, & Chrysost.*

Ordine Romano utebatur iis verbis, quibus in Missa Sacerdos nunc utitur, Evangelium lecturus: *Dominus sit in corde meo &c.* Sacerdos sane dicebat *in corde tuo &c.* (*a*). Diaconum, qui ad Ambonem ibat, ut eo Evangelium, cujus codicem ferebat, legeret, præcedebant minores clerici, *luminaria* portantes a IV. Sæc. (*b*). Is autem signabat se signo Crucis, & salutato populo, qui *Gloria tibi Domine* a IX. Sæc. respondebat (*c*), Evangelium legebat. Interea ex antiqua disciplina tum clerus, tum populus, depositis *baculis*, stabat capite detecto (*d*), mulieres vero, ac virgines caput velabant ad XI. usque Sæc. (*e*). Lecto Evangelio, Chorus respondebat olim *Deo gratias* ad Sæc. usque XII. (*f*), at postea dictum est: *Laus tibi Christe* in Missis privatis. Olim vero nihil dicebatur absoluta Evangelii lectione, sed Subdiaconus a IX. Sæc. Evangeliorum Codicem tum celebranti, tum Presbyteris aliisque clericis osculandum ferebat (*g*).

Evangelii Lectionem excipiebat Episcopi olim concio, quam Episcopus in propria Cathedra sedens habebat (*h*), ad cujus finem populus respondebat cum Episcopo *Deo gratias*. Omnes interea stantes olim sermonem Epi-

(*a*) *V. Ord. Rom. ap. Mabill., & Hittorp.*

(*b*) *Hieron. adversf. Vigil., V. Jus Orient. Johan. episc. Citri l.3.*

(*c*) *Ex lib.3.de Div. Offic., qui Amalario tribuitur c. 18.*

(*d*) *Sozom. Hist. Eccl. l. 7. c.19., Ordo Rom. ib., Constit. Apost. l.2. c.61.*

(*e*) *Ex Antiquo Ordine Mis. ap. Durant. de Ritib.Eccl. l.2. c.23.*

(*f*) *Ex Speculo Anony. ap. Martene.*

(*g*) *Jonas Aurel. de Cultu Imag. l.2.*

(*h*) *Just. Marty. Apol. 1., Const. Apost.l. 8. c. 4., a passim August., Ambros. ceterique Patres.*

Episcopi audiebant, at a VI. Sæc. alicubi sedere cœperunt (*a*).

Olim post Episcopi sermonem Diaconus elata voce catechumenos missos faciebat; quapropter integra hæc Liturgiæ pars, quæ ad Episcopi *sermonem* expliciebat, dicebatur *Missa Catechumenorum* (*b*). Verum antequam illi dimetterentur, Episcopus preces pro illis fundere solebat, eisque benedicere, cujus ritus vestigia quædam Sæc. XVI. adhuc Romæ erant, cum *prædicatione finita*, Diaconus pro populo *Confiteor* recitaret, ac Pontifex deinde populo benediceret (*c*).

Festis diebus Symbolum Constantinopolitanum in Liturgia post Evangelium a Sæc. VI. in Oriente, ac singillatim CPoli recitatum est (*d*), ad cujus Sæculi finem Occidentales primum in Hispania (*e*), & Sæc. IX. in Galliis (*f*) Symbolum in Liturgia recitare cœperunt. Romæ etiam a IX. Sæc. idem invaluit ritus, ut ex Ordinibus Romanis, & Leonis III. testimoniis dilucide contra Bonæ, & Menardi sententiam probat Martene (*g*).

§. VII.

De Offertorio, sive Oblatione, atque Oblatorum thurificatione.

Duplex olim erat Oblatio, quæ in Sacris fiebat a po-

(*a*) *V. Chriretium de Veter. Christ. Prædic.*

(*b*) *Isidor. Origin. l.6. c.19.*

(*c*) *V. Pontif. Rom. Leon. X. R. P.*

(*d*) *V. Theodor. Lector. Hist. Eccl. de Timoth. CPolit. Patriar. l.2. c.31.*

(*e*) *Conc. Tolet. III. c.2.*

(*f*) *V. Baron. ad An. 809. n.60.*

(*g*) *Ib. c.4. Art.5. §.11.*

populo, una, quæ Clericis, & pauperibus pro eorum victu, atque vestitu cedebat, de qua sequenti libro agemus; altera elementorum Sacrificii, panis nimirum, & vini (*a*), quæ post Episcopi sermonem fieri consuevit. Omnes sane in Missa offerebant panem, & vinum primum viri, deinde mulieres, cuncti autem panem offerebant in candidis *fanonibus*, h. e., linteaminibus, ne consecrandum panem prophanis manibus tangerent (*b*). Clerici quoque tum majores, tum minores, & Presbyteri solum panem a IX Sæc. obtulerunt (*c*), quæ consuetudo Sæc. XII. adhuc in Galliis obtinebat (*d*). Monachi tandem (*e*), atque olim Sanctimoniales (*f*) offerebant, quibus IX. tandem Sæc. oblationis jus auferri cœpit (*g*). Ab oblatione vero prohibiti erant ii, qui Ecclesiæ communione carebant, atque medio ævo mulieres *menstruo tempore* (*h*). Episcopus itaque oblationes recipiebat, non propriis equidem manibus, sed per manus *Diaconorum* olim, medio tamen ævo ipse celebrans eas recipiebat (*i*), accedens *ad Altaris septa*, ubi laicis offerre licitum erat (*k*); siquidem Presbyteri, Clerici, atque Imperator ad ipsum Altare *intra septa*, h. e. in ipso Presbyterio offerebant (*l*).

Ad VI. usque Sæc. ubique Ecclesiarum oblationis Eu-

(*a*) *Canon. Apost. c.*5., *Conc.Carth.III. c.*24.
(*b*) *Vid. Ordin. Rom. II. ap. Mabill.* (*c*) *Ibid.*
(*d*) *Ex spec. Anony. Turonen. ap. Martene ib.*
(*e*) *Id. ibid.* (*f*) *August. epist.* 111. *ad Victorian.*
(*g*) *Conc. Mogunt. c.*6. *A.*888. (*h*) *Ibid.*
(*i*) *V. Capitular. Theodulphi capit.* 6.
(*k*) *V. Capitul. Reg. Franc. l.*5. *c.*371., & *Conc. Trull. c.* 69.
(*l*) *V. Ord. Rom. ib.*, *Theodoret. Hist. Eccl. l.*5. *c.* 18., & *Conc. Trull. ib.*

Eucharisticæ usus extitit. Jam tum enim antiqua fidelium relligio ea in re tepescere cœpit, quare solo die Dominico oblationes fiebant (*a*). Sensim vero eo res devenit, ut tandem feminæ dumtaxat pro viris offerrent (*b*), quæ stetit disciplina ad Sæc. usque XIII. (*c*). Dum autem isthæc fieret oblatio Psalmos olim chorus cantabat (*d*); at medio ævo versiculi dumtaxat Psalmi cantari cœperunt (*e*), qui veniebant nomine Antiphonæ, quæ *Offertorium* dicebatur (*f*).

Diaconus autem ex oblatis panibus, *tantos super Altare ponebat*, *quanti* poterant *populo sufficere* (*g*); ac pari modo per *colum* (de quo vide dicta c. VII.) e majoribus vasibus in calicem necessarium vinum fundebat (*h*), ac mox cantorum *paraphonista* Romæ, alibi Subdiaconus, vel ipse Diaconus aquam calici infundebat (*i*). Ritus hic stetit ad eam usque ætatem, in qua oblationis disciplina viguit; Exinde enim oblationis ritus ad illum, quo nunc utimur, accedere sensim cœpit (*k*). Unum tandem animadvertendum, nullas recitasse olim super oblata elementa orationes Celebrantem, cum de illis sileant antiqua Sacramentaria. Ad IX. vero Sæculum oblationis Oratio obtinuis-

(*a*) *Conc. Matiscon. c.* 4. *A.* 585., *Capitul. Reg. Franc. l.* 6. *c.* 170.

(*b*) *Reginon. Abbat. de Eccl. Disc. l.* 2.

(*c*) *Ex Durando Ration. l.* 4. *c.* 21.

(*d*) *August. Retract. l.* 2. *c.* 11.

(*e*) *V. Antiphonar. Gregorian.*

(*f*) *V. Durand. ib. l.* 4. *c.* 25.

(*g*) *Ordo Rom. ib.*

(*h*) *Ex libello Samuel. in append. ad Syn. VIII.*

(*i*) *V. Ordin. Rom. ib.*, *& Ritual. Turon.*, *Consuet. S. Dionys. in Gallia ap. Martene ib.*

(*k*) *V. Pontif. Leon. X. R. P.*

nuisse videtur, at a nostra aliquantulum diversa (*a*). Primum enim Sæc. XI. illa invaluit oblationis oratio: *Veni Sanctificator &c.*, cui addebatur: *Suscipe Sancta Trinitas &c.*, quibus nunc utimur (*b*). At ad Sæculi usque XVI. initium hæc oratio tum pro oblatione panis, quam pro vini illa dicebatur (*c*); etsi in aliquibus Ecclesiis duæ illæ orationes, quæ a nostris parum distant, eodem ævo jam invaluissent (*d*), & primum omnium a Sæc. XIII. in Ecclesia Toloniensi (*e*). Hinc nonnisi post Missale S. Pii V. R. P. ubique duæ orationes recitari cœperunt.

Thurificationis autem elementorum nullus meminit ante IX. Sæc., ad quod forte tempus obtinuit (*f*). At ubique receptus non erat ejusmodi ritus, ac præsertim Romæ, cum tandem universe obtinuerit ab XI. Sæc. (*g*), in quo thurificationis ritus nostro plane congruit (*h*).

§. VIII.

De Manuum lotione, *Oratione* Secreta, *Præfatione*, *&* *Trisagio*.

Thurificatis Eucharisticis Elementis a IV. Sæc. Celebrans manus lavabat (*i*), cum etiam inter paganos Pontifex

(*a*) *In Missali Eccl. Turon. Sæc.* IX. *ap. Martene.*
(*b*) *Ex Micrologo.*
(*c*) *Vide Missalia medii ævi ap. Martene.*
(*d*) *In Missali Narbonen. A.* 1528.
(*e*) *Ex Miss. Tolonien. Eccl. ap. Mart.*
(*f*) *Ex l.*3. *de Eccles. Offic. vulgati Amalarii c.* 19.
(*g*) *Ex Micrologo.*
(*h*) *Ex Missali Eccl. Antissidioren. ms. Sæc.* XI. *ap. Marten.*
(*i*) *Cyrill. Hierosolym. Catech. Mystag.* 5., *constit. Apost. l.* 8. *c.* 11.

tifex *rem Sacram* facturus, manus lavaret (*a*). Celebranti Diaconus olim aqua ministrabat (*b*), & in quibusdam Ecclesiis Subdiaconus (*c*). At omnes viri tum e clero, tum e populo manus tunc lavabant, non autem feminæ, cum illi dumtaxat propriis Eucharistiam manibus exciperent (*d*). Hujus autem Psalmi periochæ *Lavabo &c.* antiqui haud meminere, quæ alicubi a IX. Sæculo, universe post XVI. Sæc. recitari cœpit, ut ex Missalibus videre est.

Sacerdos postquam manus laverat, in Altaris medio proferebat Orationem aliquam ab VIII. Sæc., quæ nimium distat ab illa, qua nos utimur post Sæc. XVI. ex Missali Pii V. Tandem populum precabatur, ut quisque oraret, quod a IV. Sæc. factum est (*e*), populo respondente *Amen*. Formulæ illius: *Orate fratres* pr m: meminere Scriptores, & Sacramentaria Sæc. IX. (*f*).

Sacerdos deinde Orationem dicebat, quæ *Secreta* a IX. Sæc. appellatur (*g*), quia secreto ac voce submissiori proferebatur; ad quod sane tempus isthæc Oratio, quæ prius communi, atque elata voce dicebatur, secreto proferri cœpit; quare in Ambrosiana Liturgia, quæ antiquiorum rituum tenax merito habetur, adhuc elata voce recitatur.

Tandem Celebrans *Præfationem* dicebat, quam Græcorum Liturgiæ προλογον passim appellarunt, & in Sacramentariis medii ævi *Inlatio* (*h*), *Immolatio* (*i*), vel

(*a*) *Plaut. in Aulularia, V. Hesiod. ap. Cockier. l. 1. c. 39.*
(*b*) *Ex Cyrill. ib.*
(*c*) *Ex Const. Apost. ibid.*
(*d*) *August. serm. 2. in anniverf. dedicat., Cyrill. ibid.*
(*e*) *August. ep.* 106. *ad Vital.*
(*f*) *Ap. Mart., & Vulg. Amal. ib.*
(*g*) *Idem de Eccl. Offic. l. 3. c. 20.*
(*h*) *In Liturg. Mosar.* (*i*) *In Liturg. Gallic.*

vel *Conteſtatio* dicitur (*a*). Ab Eccleſia condita *Præfatio* in Liturgia recitata eſt, ut veteres Patres docent (*b*), iiſdem pene verbis, ac nos utimur. Olim, ut in Ambroſiano, Muſarabo, Gelaſiano, & Gregoriano Sacramentario, ſingulis miſſis propria erat *Præfatio*. Decem illæ, quæ in noſtris leguntur Miſſalibus ab XI. forte Sæc. ubique obtinuiſſe videntur (*c*), cum antea novem potiſſimæ Præfationes in Romana Liturgia forent, quibus decimam de B. Maria Virgine A. 1095. addidit Urbanus II. R. P. in Concilio Placentino.

Abſoluta Præfatione Hymnus: *Sanctus &c.* cantatur, qui græce *Τρισαγιον trifagium* perperam dicitur, quia proprie hoc nomine apud Græcos Scriptores venit hymnus: *Αγιὸς ο Θεος, αγίος ισχυρος* &c. *Sanctus Deus, Sanctus fortis &c.* Illo itaque Hymno, quem antiquæ Liturgiæ Baſilii, & Chryſoſtomi *υμνον θριαμβευτιχον*, *hymnum triumphalem* appellant, a ſuis fere incunabulis paſſim uſam eſſe in Liturgia myſtica Eccleſiam Patres teſtantur (*d*). In Occidente vero ante Sæc. VI. in ſolemni Liturgia dierum feſtorum dicebatur, cum eo Saeculo *in omnibus Miſſis* dicendum eſſe ſtatutum ſit (*e*). Olim tum celebrans, tum chorus, & populus hymnum illum cantabant (*f*); quare Sacerdos ad IX. uſque Saec. *Canonem* non exordiebatur, niſi

(*a*) *Ap. Greg. Turon. de Mir. S. Mart. l. 2. c.14.*

(*b*) *V. Cyprian., Aug., Chryſoſt., Ambroſ. alioſq. ap. Bonam Rer. Liturg. l.2. c.10.*

(*c*) *V. Microlog., & Brucard. l.3. decr. c.67.*

(*d*) *Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 16., Chryſoſt. Hom. 14. in epiſt. ad Epheſ., Epiphan. in Ancor.*

(*e*) *Conc. Vaſenſe c.3. A.529.*

(*f*) *Conc. Vaſen. ib., Greg. Turon. ibid., Capitul. Reg. Francor. l.1. c.66.*

nisi postquam chorus hymnum absolverat (*a*).

§. IX.

De Canone Missæ.

Canonem variis nominibus nuncuparunt veteres, nimirum *Legitimum* (*b*), *Actionem* (*c*) *Secretum*, *Canonicam precem* (*d*). *Canonem ex Apostolica traditione susceptum* (*e*). Sane Canonis antiquitas ex ipsis Patribus tum Græcis tum Latinis aperte eruitur, qui ipsa canonis verba passim habent, ut præsertim videre licet apud Durantem l. 2. de Ritib. Ecclesiæ quare illius preces a traditione receptas testatur Basilius. Unicum in Romana Liturgia Canonem fuisse R. P. Vigilius docet. In una dumtaxat Gallicana Liturgia proprius Canon cuique erat Missæ (*f*); cum tandem in illa unicus etiam canon, isque Romanus obtinuerit (*g*). *Canonis* autem preces antiquitus secreto dici, ne unus veterum testatur, hinc nonnisi medio ævo, ac potissimum a VI. Sæc. secreto recitari cœperunt, ne laici sacra illa verba per jocum proferrent (*h*). Dum autem celebrans *Canonem* recitabat, tum Presbyteri, tum cleri-

(*a*) *Ex Capitul. Walter. Aurelian. c.* 1. *Concilior. to.* 6.
(*b*) *Optat. Milev. l.* 2.
(*c*) *Ap. Strabon. de Reb. Eccl. c.* 22.
(*d*) *Greg. Magn. l.* 7. *ep.* 64.
(*e*) *Vigilius Epist.* 2. *ad Euther.*
(*f*) *V. Missale Goth. a Thomasio edit. Romæ.*
(*g*) *V. Sacramentar. Gallic. ap. Mabill. Musei Ital. t.* 1.
(*h*) *V. Honor. August. Gemma An. l.* 2., & *Martene c.* 4. *Art.* 8.

clerici incurvato corpore ſtabant (*a*), atque clericorum unus flabello muſcas abigebat, vel olim duo Diaconi, qui hinc inde duo tenebant ventilabra, Græcis ῥιπίδια (*b*): quæ quidem conſuetudo in Orientali Eccleſia diu viguit, in Occidentali ad medium uſque ævum, Romæ vero ad Sæc. uſque XIV. (*c*).

§. X.

De primo Memento, *deque Diptychis*, & *SS. Commemoratione.*

In prima Canonis parte celebrans pro omnibus fidelibus preces fundere D.O.M. tenebatur ex Apoſtolico præcepto. Preces autem olim nominatim fiebant pro Epiſcopo, pro R. Pontifice, pro Patriarcha univerſe inter Græcos, pro Rege, pro benefactoribus, ac pro cunctis offerentibus. Hinc tabellis quibuſdam eorum nomina deſcripta erant ex ordine, quæ quidem tabellæ *Diptychi* appellabantur (*d*). Olim Diaconus in Oriente acceptis Diptychis, ex illis elata voce nomina, quæ deſcripta erant, recitabat (*e*). In Occidente vero vel *a retro altari* (*f*), vel medio ævo ipſe Diaconus, vel Subdia-

(*a*) *V. Græcor. Liturgias.*

(*b*) *Conſtit. Apoſt. l.* 8. *c.* 12., *Uldaric. Conſuet. Cluniac. c.* 30.

(*c*) *V. Ordinar. Johan. Gaetani c.* 53. *ap. Mabill. in ſua Analect. Collect. t.*5.

(*d*) *V. Diſſertat. noſtram ital. ſcript. della Diſciplina della Chieſa, e dell' obbligo de' ſudditi &c.* §.V.

(*e*) *Chryſoſt. Liturg., Maxim. in Collat.*

(*f*) *V. Sacramentar. Rom. a Menardo edit.*

diaconus ea nomina *in aurem Presbyteri* celebrantis *silenter recitabat* (*a*). Postea ubique in Occidente ipse Sacerdos ea recitavit ; at tandem collocatis Dyptichis super Altare plerumque celebrans pro illis , qui descripti erant , orare contentus erat , ne lectis quidem eorum nominibus (*b*) . Hinc est, quod antiqui Ordines Liturgici carent ea formula nominum *pro Pontifice* , *Episcopo* , *&* *Rege* , cum ea a Diptychis recitarentur . Ad IX. usque Sæc. Diptychorum usus stetit , quare a X. Sæc. tria illa nomina dumtaxat in Canone descripta sunt , offerentium , ac benefactorum nominibus posthabitis , cum generica prece pro illis oret Sacerdos .

Postquam celebrans fidelium nomina recitaverat, ac pro iis precatus erat, SS. *commemorationem* faciebat (*c*), ac nominatim SS. Virginis , duodecim Apostolorum, & duodecim Martyrum nomina recitabat, ut in cunctis, atque vetustioribus Liturgiis tum Græcorum, tum Latinorum legimus , in quibus primo jugiter loco est Virginis Mariæ SS. nomen, & in Græcis Liturgiis his verbis: *Præcipue autem Sanctissimæ* , *intemeratæ* , *semper Benedictæ Reginæ Nostræ Dei genitricis*, *semperque Virginis Mariæ* (*d*). In Occidente medio ævo nonnullæ Ecclesiæ nomina propriorum Sanctorum *canoni* addebant (*e*), quod factum est usque ad Sæc. XVI. , in quo

(*a*) *Ex Fulcuino de Gest. Abbat. Lubien. c.* 7. *Spicil. t.* 6., *&* *Pontific. Pictavien. ap. Martene*.

(*b*) *V. Sacramentar. Eccl. Catalaunen. ap. Martene*, *&* *Ord. Rom. ap. Pamel. t.* 2.

(*c*) *August. de Civ. Dei l.* 22. *c.* 10.

(*d*) *Liturg. S. Chrysost. & Basil.*

(*e*) *V. Sacram. Gallic. ap. Mabil. ib.* , *& alia Sacramentar. ap. Martene*.

quo Pius V. R. P. illud merito vetuit Bulla Missali præmissa.

Tandem hanc canonis partem, quæ Consecrationem præit, celebrans concludit oratione illa: *Hanc igitur Oblationem*. Ea sane oratio cum præcedenti in nostris Missalibus dicitur *Infra Actionem*; at forte corruptus est hic titulus, nam in aliquibus medii ævi optimæ notæ manuscriptis Missalibus apud laud. Martene, legimus: *In fractione*, & in altero Sacramentario Carnotensi: *In fractione Panis*, quod equidem plane congruit phrasi ipsius Scripturæ; Actor. enim c. 2. dicitur de Apostolis: *Erant autem perseverantes... in communicatione, & fractione Panis*, & ... *Una Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem*. Ex quibus colligimus Orationem illam *in fractione* dictam esse, cum immediate præcedat consecrationem, & communionem, quæ *fractionis* nomine in Scriptura donatur. Oratio isthæc: *Hanc igitur &c.* olim expliciebat ad ea verba: *ut placatus accipias*, cum in Paschate, ac Pentecoste aliqua pro festivitate adjcerentur (*a*), quam adhuc Disciplinam Latinorum Ecclesiæ tenent. At S. Gregorius Magnus addidit ea, quæ sequuntur, verba: *Diesque nostros, &c.*, uti illam hodie legimus (*b*).

Ea dicta oratione Sacerdos ex Apostolica traditione ter Crucis signo pani, atque Calici benedicit (*c*), antiquissima illa proferens verba: *Ascriptam rationabilem, acceptabilem &c.*, quæ apud Auctorem de Sacramentis legimus (*d*), Hinc conjicimus a S. Gregorio, ut

(*a*) *Vigil. R. P. epist.* 2. *ad* Euther.

(*b*) *Ex Johan. Diac. in ejus Vitæ l.* 2. *c.* 18., *& Beda Hist. l.* 2. *c.* 1.

(*c*) *S. August. de Temp. serm.* 191.

(*d*) *De Sacram. l.* 4. *c.* 5.

ut ex ejus Sacramentario patet, ea: *Benedictam ratam* addita forte esse.

§. XI.

De Consecratione. Secundo Memento, & Dominica Oratione.

Sequitur altera Canonis pars, quæ Consecratione, aliisque, quæ sequuntur precibus, continetur. Celebrans itaque dicit illa: *Qui pridie, quam pateretur &c.* (quæ ex antiqua institutione in omnibus Sacramentariis legimus), *& exemplo, atque imitatione Christi* occulos attolit (*a*), ac *per verba Christi* (*b*) Consecrationem perficit.

Consecratio autem fit *ipsis verbis Domini Salvatoris*, quæ *operantur*; quare *Sacramentum Christi sermone conficitur* (*c*). Hinc forma Consecrationis eadem est in omnibus Liturgiis, præter pauca quædam, quæ adduntur in Liturgiis S. Jacobi, Constitut. Apostolicarum, S. Basilii, & S. Chrysostomi, cujusmodi sunt illa: *Hoc est Corpus meum* (*enim* desideratur) *quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*. In Liturgia S. Cyrilli legimus: *Quod pro vobis, & pro multis tradetur &c.*, quod etiam additur in Musaraba. In Ambrosiana Liturgia forma illa κατα λεξιν cum Romana consonat, præter particulam *enim*, qua caret. In Calicis consecratione in Græcis Liturgiis sic universe legitur: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. In illa Cyrilli additur post *meus*: *Novi Testamenti, qui effundetur pro vobis, & pro multis tradetur in remissionem*

(*a*) *Origen. Tract. 3. in Johan.*
(*b*) *August. serm.* 227.
(*c*) *Ambros. de Myster. c. 9. & Auct. de Sacram. l. 4. c. 4.*

nem peccatorum. In Musaraba vero legimus: *Hic est Calix novi Testamenti in meo Sanguine &c.*, ex quibus vides formam in Liturgiis, levioribus demtis, vel additis, re tamen ipsa unam esse. Olim hæc verba Consecrationis elata etiam voce, ut dictum est, proferebat celebrans (quod etiamnum a Græcis fit), & populus respondebat *Amen* (*a*).

Consecrata deinde Elementa elevantur inter Græcos a Diacono, Latinos inter a Celebrante (*b*), & a Sæculo XII. campanula pulsatur (*c*). Celebrans vero eam persequitur Orationem: *Unde & Memores &c.*, quam in omnibus antiquioribus habemus Liturgiis. Sequitur deinde illa: *Supra quæ &c.* quæ a IV. etiam Sæculo jam obtinuerat, cum illius quodammodo meminerit Auctor quæstionum Veteris, ac Novi Testamenti (*d*) ipso Augustino antiquior: ac tandem celebrans Altari obvolutus altissimam illam orationem, quæ in vetustioribus Græcorum Liturgiis habetur, recitat: *Jube hæc perferri &c.*

Post hæc Celebrans pro defunctis orat ex Apostolica institutione, ut docet Chrysostomus (*e*), & antiquiores Patres (*f*). Defunctorum nomina eo, de quo locuti sumus, ordine etiam in Dityptichis descripta erant, qui ea de re *Necrologia* a Græcis dicuntur, & a Latinis medio ævo *Rotuli*, eo quod in aliquibus membranis oblongis describentur, & voluminum antiquorum instar obvolverentur, barbarorum idiomate *rotularentur*. Diptychorum pro mortuis

---

(*a*) *V. Græcor. Liturg.*, *& Ambros. de Myster. c. 9.*
(*b*) *V. Thiers de Euchar. Exposit. c. 6.*
(*c*) *Ex Ivone Carnoten. epist. 167.*
(*d*) *In Append. Oper. S. August. t. 3. c. 109.*
(*e*) *Homil. 69. ad Popul. Antioch.*
(*f*) *Cyprian. ep. 9., August. de Civit. Dei l. 20. c. 9.*

tuis usus ſtetit generatim ad IX., vel etiam X. usque Sæc., ac ſenſim deinde obſolevit poſt Sæc. XII., relicta in Canone generali illa Defunctorum commemoratione.

Deinde Celebrans Sanctorum conſortium petit, illa oratione : *Nobis quoque &c.*, quæ ad literam proſtat in Sacramentario Turonenſi Sæc. VIII. (*a*), quod videtur antiquius hujus Orationis monumentum. Hic etiam in nonnullis Eccleſiis medio ævo peculiarium Sanctorum nomina adjiciebantur (*b*). Ac tandem celebrans huic canonis parti finem imponebat Oratione Dominica, ex ipſius Chriſti præcepto, & Apoſtolica Diſciplina (*c*). Illam recitabant olim tum celebrans, tum Chorus, atque populus ; verum Sæc. IV. hæc diſciplina Græcis dumtaxat ſteterat, cum inter Latinos jam (ſi Gallos excipias, qui Græcorum morem in eorum Liturgia ſecuti erant (*d*)) a ſolo celebrante recitaretur (*e*), ac populus una cum illo pectus tunderet ad ea verba : *Dimitte nobis &c.* (*f*). Concluditur tandem Dominica Oratio illis verbis : *Libera nos*, quæ ἐμβολισμὸς dicuntur, h.e., *intercalaris*, cum ſit *repetitio addita* orationi Dominicæ, quam legimus in omnibus Miſſalibus poſt VIII. Sæc. ſcriptis (*g*), & ad XI. ac XII. quoque Sæc. huic orationi celebrans Sanctorum nomina, quot mallet, pro lubitu addebat (*h*). Deinde Celebrans olim, & medio etiam

(*a*) *Ap. Martene.*
(*b*) *In eod. Sacram. Biblioth. Regiæ.*
(*c*) *Hieron. l. 3. adver. Pelag.*
(*d*) *Ex Greg. Turon. de Mir. S. Mart. l. 2. c. 30.*
(*e*) *S. Greg. Magn. l. 7. ep. 64., Auguſt. ſerm. 388.*
(*f*) *Auguſt. ſerm. 351., & 388.*
(*g*) *Quæ vide ap. Martene.*
(*h*) *Ex Microl. & Honor. Aug., atque MS. Pontif. ap. Martene.*

ævo recitabat : *Agnus Dei*, ac poſtea in calicem hoſtiæ particulam immittebat (*a*) ; is enim, qui nos inter viget ritus Sæc. XIV. poſterior ferme eſt, a qua ætate *Agnus Dei* cœpit dici poſt fractionem hoſtiæ. Olim Hoſtiæ diviſio ex ſignis pani ipſo impactis fiebat, ut dicemus in Diſſertatione II. quæ tertio tomo habes; deinde poſtquam uſus formæ illius inolevit, quam *hoſtiam* appellamus, Latini generatim in tres partes, medio nimirum ævo (*b*); Hiſpani in novem partes illam diviſerunt ex ritu Muſarabo. Græci vero univerſe in quatuor partes illam dividebant, atque hodiedum divident. *Agnus Dei* interim Chorus cantabat, cujus orationis inſtitutio Sergio I. tribuitur in Pontificali Damaſi, quæ quidem ſemel in nonnullis Eccleſiis dicebatur medio ævo (*c*). Verum orationem hanc antiquiorem putamus, cum illius quodammodo meminerit iisdem pene verbis Chryſoſtomus IV. Sæculo (*d*), & Auguſtinus (*e*).

§. XII.

De Pacis precatione, de oſculo pacis, communione Sacerdotis, deque præcedentibus, & ſequentibus orationibus.

Sacerdos itaque ad medium uſque ævum antequam hoſtiam frangeret, dicebat: *Agnus Dei*. Hoſtiam fractu-

(*a*) *V. Sacramentar. ibid.*
(*b*) *V. Ernulphi epiſt. ad Lambert. ſpicil. t.* 2.
(*c*) *V. Pontific. Saliſbur. ap. Blanchin. in Not. ad Anaſtaſ.*
(*d*) *Hom.* 41. *in Epiſt. I. ad Corinth.*
(*e*) *In Pſalm.* 98.

ëturus populo pacem precabatur illis : *Pax Dei sit cum omnibus vobis*, quibus populus respondebat : *Et cum spiritu tuo* (*a*), & inter Latinos : *Pax vobiscum* (*b*), cuncto populo respondente ad XI. usque Sæc. (*c*). Celebrans hæc dicens ipsa hostia ter Crucis signum super Calicem describere cœpit a IX. Sæc. (*d*); cujus ævi est & illa, quæ statim profertur Oratio : *Hæc commixtio &c.* (*e*). Post hæc Sacerdos Altare de more osculatus, ab ineunte Ecclesia pacis osculum Diacono porrigebat, qui olim populo illud præbebat, ut se se fideles mutuo oscularentur (*f*). Verùm post Sæc. XI. cum osculum illud *scandali* occasionem quandoque præberet, celebrans Diaconum osculabatur, isque chori Presbyteros, atque ceteros dumtaxat Liturgiæ ministros; quare Sæc. XII. pro osculo a sacro Ministro populo osculanda porrigebatur tabella, in qua sacra aliqua Imago depicta erat (*g*). Medio etiam ævo plerumque celebrans antequam Diacono osculum porrigeret, hostiam ipsam osculabatur (*h*), quod ad Sæc. usque XVI. alicubi obtinuit (*i*), etsi ab Episcopis, qui severiori studebant disciplinæ, illud tandem veti-

---

(*a*) *Constit. Apostol. l.* 8. *c.* 18.

(*b*) *August. de Divers. serm.* 97. *in Sabbato S.*

(*c*) *Vulgat. Alcuin. ibid.*

(*d*) *Vulgat. Amalar. l.* 3. *c.* 31., *&* *Ordo Rom. antiquior ap. Mabill. ibid.*

(*e*) *Amalar. ib.*, *&* *Ordo Rom. ib.*

(*f*) *Justin. Martyr Apol.* 2., *Tertull. lib. de Oratione; Chrysostom. hom.* 51. *ad Popul. Antioch.*, *Paulin. Nol. carm. ad Cyther.*

(*g*) *Ex Johan. Beletho de Canone Mis. lect.* 81.

(*h*) *V. Consuetud. Cisterc. in Proem.*

(*i*) *Ex Missali S. Remig. edito An.* 1556.

vetitum fuisset (*a*). Postremo a x., vel potius xi. Sæc. tres Orationes ante Communionem Sacerdos recitare cœpit, cum in antiquioribus Sacramentariis ante ix. Sæc. scriptis ille statim post datam pacem communicaret; post ix. Sæc. sensim prima invaluit Oratio, ac tandem ab xi. Sæc. tres illæ obtinuerunt, quibus hodie utimur (*b*). Quod etiam sentiendum erit de illis, quæ Calicis *sumsionem* tum sequuntur, tum præeunt, quarum epocham ad xii. Sæculum amandamus ex Missalibus illius ævi (*c*). Sic formulam illam: *Domine non sum dignus*, nusquam in Missalibus xv. Sæc. antiquioribus legi; iis sane verbis populus olim utebatur, cum communicaret, ut Origenes innuit (*d*).

§. XII.

De fidelium Communione.

Postquam Episcopus se ipsum communicaverat, a iv. Sæc. Eucharisticum panem, atque vinum primo presbyteris, mox Diaconis, deinde Subdiaconis, aliisque inferioribus clericis, postea Monachis, & sacris Virginibus, ac tandem laicis primum viris, secundo mulieribus dividebat (*e*). Presbyteri, & Diaconi communicaturi Altari accedebant, Clerici in choro communicabant, laici *extra chorum*, cum ordinate cancellis, de quibus locuti sumus, accederent, ac ibi Eucha-

(*a*) *Constit. Episc. Sarum c.* 37.
(*b*) *Ex Micrologo.*
(*c*) *Quæ vide ap. Martene, Pamelium, Mabill. in Alect. Nova Collect. t.* 5. *&* 6.
(*d*) *Homil.* 6. *de Centurione.*
(*e*) *Conc. Nicæn. c.* 18., *Mosch. in prato Spir. c.* 35.

chariſtiam reciperent (*a*), vel a Diacono, qui primis Sæculis tum panem, tum vinum miniſtrabat (*b*), vel alibi a Presbytero (*c*). Ritus autem, quo communio olim fieret eo revolvitur: Celebrans accepto pane conſecrato *manibus in altum extenſis* illum ferebat, *cunctis oſtendens*, *&* *alta voce* ajebat: *Sancta Sanctis*, quibus populus acclamabat, dicens: *Unus Sanctus*, *unus Dominus Jeſus* (*d*). Celebrans itaque his dictis, atque clero communicato, ad cancellos accedebat, ubi laici olim ſtantes (*e*) communicaturi accedebant, lotis antea manibus, & facie (*f*); viri manum nudam dexteram quaſi concavam extendebant, cui ſiniſtram ſubjiciebant, ita ut crucis formam utraque manus præſeferret (*g*): mulieres vero ambas manus ſupra cancellos prorrigebant, in quibus linteum habebant, cum illis vetitum foret *nuda manu* Chriſti Corpus recipere (*h*). Celebrans itaque dum ſingulis Euchariſtiam tradebat, ajebat: *Corpus Chriſti*, & communicans reſpondebat: *Amen* (*i*). Quæ ſane Sacerdotis verba poſt VI. Sæc. in illa mutata ſunt: *Corpus Domini*, *&* *San-*

(*a*) *Conc. Tolet. IV. c.* 17., *Auguſt. ſerm.* 392.

(*b*) *Juſtin. Mart. Ap.* 2., *&* *Cyprian. libro de Lapſ.*

(*c*) *Chryſoſt. hom.*47. *in Matthæ.*, *Conc. Carth. IV. c.*38.

(*d*) *Ex vita S. Euthym. Abbat. Analector. Græcor. t.* 1., *Conſtit. Apoſt. l.* 8. *c.* 13., *Cyrill. Hieroſol. Catecheſi* 5. *Myſt.*

(*e*) *V. Valeſ. in Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 7. *c.* 9.

(*f*) *Chryſoſt. hom.* 52. *in Matth.*

(*g*) *Cypr. l. de Lapſ.*, *Cyrill. Hieroſol. Catech. Myſt.* 5., *Epiſt. Diony. Alex. ap. Euſeb. l.* 7. *c.* 9., *Auguſt. l.* 2. *contr. litter. Petil. c.* 23.

(*h*) *S. Cæſar. ſerm.* 229. *in Append. novæ edit. S. Auguſt.*, *Conc. Antiſſidioren. A.* 578. *cap.* 36.

(*i*) *Auguſt. ſerm.* 272.

Sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum, *& ad vitam æternam Amen* (*a*). Sic laici Corpus Christi recipiebant, quibus primis Ecclesiæ Sæculis licitum erat, illud osculari (*b*), ac propriis oculis admovere, ut *tam S. Corporis contactu sanctificarentur* (*c*); ac tandem illo vescebantur. Laici itaque Eucharistiam manu receperunt ad IX. usque Sæc., in quo illud vetitum est, ac Sacerdoti præceptum fuit, ut propria manu Eucharistiam *in os* laici *poneret* (*d*); quæ disciplina VI. jam Sæculo in Romana vigebat Ecclesia (*e*). Deinde olim Calicem quoque *assumebant* laici, *proni*, manibus minime extensis, *adorationis in modum*, a Diacono, vel Presbytero, qui propria manu illorum ori Calicem admovebat, & *cum adhuc humefacta labia* essent Christi Sanguine, illi *manibus attingentes & oculos*, *& frontem*, *& reliqua sensuum organa consecrabant* (*f*). Heic tamen animadvertendum est, olim omnes tum e Clero, tum e populo puro Sanguine Christi potatos esse; at medio ævo Celebrans, ac ceteri Ecclesiæ ministri dumtaxat eo potabantur, cum laici ex Sanguine vino simplici, ac naturali commixto potarentur (*g*): cui sane consuetudini occasionem præbuit tum communicantium frequentia, quibus consecratum vinum in parvo Calice sat non erat, tum etiam ea, quæ tunc apud nonnullos invaluerat, opinio, vinum ex *contactu*, vel *commixtione species consecratæ conse-*

(*a*) *Ex Sacram Gregoriano*, *ac Sæc. IX. Conc. Rothomagen.*
(*b*) *V. Vales. in Not. ad Hist. Eccl. Euseb. l. 6. c. 43.*
(*c*) *Cyrill. Hierosol. Catechesi Mystag. 5.*
(*d*) *Conc. Rothomagen. ib. c. 2.*
(*e*) *Ex S. Greg. Dialog. l. 3. c. 3.*
(*f*) *Cyrill. Hierosolim. ibid.*
(*g*) *V. Ordin. Roman. ap. Mabill. ibid.*

secrari. Hinc Diaconus e Calice parvo, in quo consecratum vinum erat, in majoribus, (vulgo *ministerialibus*) calicibus communi vino plenis parum consecrati vini effundebat, de quo laici communicabant. Hæc eadem opinio occasionem præbuit medio etiam ævo disciplinæ illæ, qua *vinum non consecratum per Corpus Christi immissum* (partem nimirum hostiæ consecratæ) *sanctificari*, *& in Christi Sanguinem trasmutari* (*a*) putarunt. Isthæc autem erronea disciplina nonnisi post IX. Sæc., & in aliquibus dumtaxat Ecclesiis ad XV. usque Sæc. obtinuit, cum major Ecclesiarum pars vetustam, ac saniorem disciplinam ea in re secuta sit, ut pluribus probat Martene (*b*). Triplex autem fuit modus, quo laici vino consecrato communicabant, vel, ut dixi, cum Diaconus eorum ori calicem admoveret, quod olim obtinuit; vel *calamo* sive *fistula* illud e calice sugebant (*c*), quod medio ævo passim factum est; vel tandem post Sæc.XII. universe Corpus Domini vino consecrato intinctum fidelibus tribui cœpit (*d*), etsi postremam hanc disciplinam notarint nonnulli illius ævi Scriptores, atque Concilia (*e*). Calicis communio a XIII. Sæc. exolescere cœpit in Occidente (*f*), ac tandem Sæc.XV. justimis de caussis desueta omnino est tum pro laicis, tum pro sacrorum ministris

(*a*) *Pontific. Eccl. Apamien. in Syria ap. Martene.*

(*b*) *Ibid. c. 4. art. X., V. Mabill. comment. prævio ad Ord. Roman.*

(*c*) *V. hujus lib. c. VII.* §. I.

(*d*) *V. Mabill. in præf. Sæc. III. Benedict., & Conc. Turonen. ap. Bruchard. l. 5. c. 9.*

(*e*) *V. Microlog. c.26., Conc. Claremont. sub Urbano II. R. P., & Paschal. II. R. P. epist. ad Pont. Abb. Cluniac., & Conc. Bracar. III. c. 2.*

(*f*) *V. S. Thomam. 3. p. q. 80. a. 12.*

ftris, qui Liturgiæ adsunt (*a*). At Orientalibus ftetit antiquus mos communionis fub utraque fpecie, eo tamen ritu, qui noviffimus fuit inter Latinos, cum illi panem confecratum, dumtaxat Sanguine Chrifti intinctum, fumant (*b*); pueris vero *cochlear in calice intinctum in os, ut lambant, inferere* folent (*c*).

Tandem Celebrans, populi communione peracta, *purificationem* facit, vinum, & aquam calici infundens, ac fumens; id quod a IV. Sæc. factum docent Ecclefiaftica monumenta: jam tum enim tam celebrans, quam ceteri tum Ecclefiæ miniftri, tum fideles *post communionem aquam, aut paftillum deguftabant, ne cum faliva aliquid e fymbolo Sacramenti expuerent* (*d*); quare plerumque ipfi Diaconi vinum naturale præbebant laicis poft communionem, ut illo fumpto facratas fpecies non expuerent (*e*).

§. XIV.

De Miffæ Conclufione.

Peracta populi communione, ac purificatione, *gratiarum actio cuncta concludebat* (*f*), quae dicebatur *ultima oratio myfteriorum* (*g*). Ab VIII. Sæc. paffim in Latinorum Liturgiis varias habemus hujus gratia-

(*a*) *Conc. Trident. feff.* 21. *c.* 1. *cap.* 1.
(*b*) *V. Allat. de confen. Orient.*, *&* *Occid. Eccl. l.* 3. *c.* 18.
(*c*) *Jan. Erythr. l.* 7. *epift.* 24.
(*d*) *V. Pallad. in vita Chryfoft.*
(*e*) *V. Valef. ibid. l.* 6. *c.* 43. *& Auguft. l.* 2. *contra litter. Petiliani c.* 23.
(*f*) *Id. epift.* 59. *ad Paullin.*
(*g*) *Auct. oper. Imperf. in Matth. hom.* 28.

tiarum actionis formulas, quas inter illa legitur, quam nos ante benedictionem proferre solemus: *Placeat tibi S. Trinitas* &c. (*a*). Post hæc Diaconus ad populum versus, ajebat: *Ite in pace* in antiquioribus Liturgiis præsertim Græcorum (*b*). A IX. autem Sæc. inter Latinos Diaconus illis: *Ite Missa est*, populum dimittebat (*c*); ac tandem celebrans *populo benedicebat*. Hac porro ultima *Benedictione* populum impertire poterat etiam Presbyter celebrans, cum e contra soli Episcopo jus esset populo benedicere post Orationem Dominicam, antequam hostiam frangeret, de qua benedictione loquuntur S. Cæsarius, hom. 12., & Concil. Aurelianenle III, c. 28. Postremo animadvertendum, a Sæc. XVI. Evangelium S. Johannis in Missæ *conclusione* recitari cœpisse, potissimum post editam a S. Pio V. R. P. *Missalis correctionem*, cum antea in quibusdam Ecclesiis illud memoriter recitare solerent Presbyteri, dum ab Altari ad Secretarium revertebantur (*d*).

Hoc itaque capite habes potissimas Missæ partes, quas paucis complexus sum. At quamquam innumera pene sint Liturgicarum rerum volumina, pauca tamen hæc satis fore arbitror saltem studiosis Ecclesiastici Ordinis candidatis.

CAP.

(*a*) *V. Sacram. San-Dionys. ap. Martene, & Sacram. Turonen. sæc. VIII. ibid.*

(*b*) *Constit. Apost. l.* 8. *c.* 15., *& Liturg. S. Basil., & Chrysost.*

(*c*) *V. Vulg. Alcuin. ibid., & vulg. Amalar. l.* 3. *cap.* 36.

(*d*) *Martene ibid.*

CAP. XI.

De Missa privata.

MIssæ *privatæ* nomine illam intelligimus, quæ celebratur quotidie ab uno dumtaxat presbytero, cui unus etiam inservit minister, quam Itali appellant *Missa bassa*, eo quod sine choro dicitur, neque cantatur, sed legitur. Falluntur sane ilii, quibus recens visa est hujusmodi Missæ disciplina, cum Ecclesiæ Patres a IV. Sæc. hujus Missæ monumenta nobis præbeant. Legimus enim passim ea ætate in parvis Ædiculis ruri, Sacro cultui in Martyrum memoriam dicatis, sinè populi conventu Sacrum factum fuisse. Id enim de S. Gregorio Nanzianzeno testatur Historia Tripartita (*a*), qui quidem inclytus Ecclesiæ Theologus scribit, parentem suum gravi morbo ægrotantem e lecto surrexisse, & in cubiculo Sacrum fecisse absente populo (*b*). Sic Ambrosius trans Tyberim a clarissima quadam Matrona invitatus, ejus domi Missam celebravit, qua absoluta paralytica quædam familiaris mulier sacras ejus vestes deosculata, sanitatem recuperavit (*c*). Augustinus etiam narrat, Presbyterum quemdam domi, qua *maligni* versabantur *spiritus*, Sacrum fecisse, atque ea ratione illos illinc ejecisse (*d*). Ipsos etiam Episcopos Missas olim in propriæ domus Oratorio fecisse, aperte testatur brevis oratio, quam populo Alexandrino habuit S. Johannes illius Ecclesiæ Patriarcha (*e*). Hinc post

(*a*) *L.* 9. *c.* 8.
(*b*) *Orati.* 19. *in Laud. Patris.*
(*c*) *Ex Paulino in ejus vita.*
(*d*) *De Civit. Dei l.* 22. *c.* 8.
(*e*) *Ap. Leontium in ejus vita.*

post v. & vi. Sæc. cum solemnioribus dumtaxat diebus Sacris interesset populus, ceteris tamen diebus Episcopi, vel Presbyteri, Episcopo annuente, Missam etiam celebrarunt, quod passim obtinuisse testantur S. Gregorii I. R. P. epistolæ, & Antiquiora Sacramentaria. Neque sane ambigendum erit, num quotidiana Liturgia populi frequentia perageretur, nec ne; cum a iv. etiam Sæc. tum in Oriente, tum in Occidente quotidianæ communionis usus ubique minime staret, ut testantur Chrysostomus (*a*), & Augustinus (*b*); & nihilominus quotidiano Episcopi ipsi vacarent Sacrificio (*c*). Itaque etsi statis quibusdam hebdomadæ diebus, ut dixi c. xii., Sacris populus interesset, quotidie tamen a iv. Sæc. Sacrum factum est sine Populi conventu, atque *privata* quadam, & *solitaria* ratione. At nihilo tamen minus animadvertendum merito erit, olim quotidiano Sacrificio operam dedisse Episcopos, vel presbyteros non sine chori, & ministrorum opera, ut ut populus magna frequentia minime adesset, quod probant Ordines Romani a Mabillonio evulgati.

Ex dictis sequitur a *solitario Sacrificio* non aborruisse veteres, minime vero illos quotidie celebrasse sine choro, & ministris. Sane medio tandem labente ævo in Occidente præsertim vulgo obtinuit Liturgia illa, quæ a Presbytero unius Clerici opera peracta est; cui equidem disciplinæ occasionem præbuit temporum calamitas, cum ob intestina bella, quibus divexabantur civitates, difficile esset populo, Sacris quotidie interesse, & Ecclesia maxima laboraret ministrorum pauperie;

Tom. I. X hinc

(*a*) *Hom. 61. ad Popul. Antioch.*
(*b*) *De Eccl. Dogmatib. c. 53.*
(*c*) *August. epist. 23. ad Bonifac., Hierony. epist. ad Hedibiam,*

hinc sensim Presbyteri uno contenti ministro per se Ritum omnem Liturgiæ perfecerunt. Quod post x. Sæc. ubique invaluisse, testes sunt passim illius ævi Scriptores, atque Concilia. Hinc eadem ætate Missæ Sacrum fere ubique in Occidente iterari cœpit, ut dictum est c. ix.; imo unus, idemque Presbyter, ut pluribus satis faceret offerentibus, Missas *bifaciatas*, *trifaciatas*, & *quadrifaciatas* celebrabat, recitatis nimirum duarum, trium, vel quatuor Missarum diversis ordinibus ad *Offertorium* usque, tandem uno canone illas omnes concludebat (a). Quapropter huic abusui tandem post xiv. Sæc. acriter obstitit Ecclesia.

Heic etiam dicendum restat de Missa *Sicca*, vulgo *Nautica*, quam Græci appellant Missam *Præsantificatorum*, cum in ea non consacrentur elementa, sed celebrans *de antea consecratis sumat*. Hac sane Missa utuntur Latini die vi. hebdomadæ Magnæ in Parasceve, Græci vero omnibus Quadragesimæ diebus præter Sabbata, Dominicas, & *Annuntiationis* diem ex Conc. Laodiceni decreto, & Trullani c. 52., cujus ritum vide apud Allatium (b). Latini medio ævo ejusmodi Missa usi sunt in infirmorum communione, ut fusius dicemus Dissertat. I. Tomo III. In Galliis *Missa sicca* medio ævo illa nuncupata est, quæ advenientibus sero peregrinis dicebatur, in qua Sacerdos sacris vestibus indutus Orationes, & lectiones Missæ recitabat sine *Canone*, & *Consecratione*, *ac loco elevationis Corporis Christi*, *reliquias* Sanctorum tandem *illis* ostendebat (c). *Nautica* pariter dicta est isthæc Missa; etenim

(a) *V. Thom. Cantipraten. de Apib. l. 2. c. 3. n. 9.*; *V. Georg. Cassandr. Præfat. ad Ord. Roman.*

(b) *Epist. ad Naudeum.*

(c) *Enchiridion Sacerd. Guid. de Monte Rocherio tract. 4. c. 7.*

nim *in mari*, *atque fluminibus*, in quibus navi Missa celebrari nequit propter *fluctuum agitationem*, Presbyter ex *præsanctificatis* elementis, quæ servata erant, in Missa communicabat, ac cetera recitabat, quæ ad ritum Liturgiæ pertinent; quam sane Missam quotidie celabrari curavit S. Ludovicus Galliarum Rex a transmarinis regionibus in Galliam redux, eamque probavit *Liber Sacerdotalis a Leone X. approbatus* (*a*).

Tandem de Missa pro defunctis sat erit heic pauca delibare, cum de ea fusius edisseremus libro VI. sive ultimo, ubi de Ritibus funerum agemus. Pro defunctis itaque a primis Ecclesiæ Sæc. oblatum est Sacrificium Mysticæ Liturgiæ, quod *oblatio pro dormientibus*, & *Sacrificium pro dormitione* a S. Cypriano appellatur (*b*), de quo quidem Sacrificio passim vide luculentissima monumenta apud veteres Patres (*c*). Illius autem Liturgiæ, qua nos utimur, in quotidianis *Missis defunctorum*, primi meminere Liturgistæ, atque Sacramentaria IX. Sæc. (*d*), etsi passim nonnulla addita sint usque ad correctionem Missalis S. Pii V.

C A P. XI.

De Sacris Christianorum Supplicationibus vulgo Processionibus.

SUpplicatio dicitur publicus Christianorum cætus, qui velut *agmine ducto* ordinatim per vias ad Templum

 plum

(*a*) *Navarrus lib. de Oratione Miscel.* 53., *V. Genebrard. la Liturgie des Apotr. c.* 30.

(*b*) L. 1. *epist.* 9. & *Tert. L. de monogamia*.

(*c*) *Cyrill. Hierosolym. Catech. Mystag.*, 5. *August. Confess. l.* 9. *c.* 12., *Possidon in ejus Vita*, *Paulin. in Vita S. Ambros. ib.*, *Euseb. de Vita Constant. l.* 4. *c.* 71. &c.

(*d*) *Vulgat. Amalar. l.* 3. *c.*43.

plum progrediuntur, quem vulgo *Processionem* a τῷ *procedendi* ratione appellamus. Supplicationis ritus alii ab Hebræis, alii a Paganis accepisse Christianos arbitrantur. De Hæbreorum supplicationibus in Arcæ præsertim translatione passim loquitur Scriptura. Pagani a remotissimis temporibus Deorum supplicationibus operam dedisse, testantur tum veterum Pratensium supplicationes in festo Dianæ Λαφρίας (*a*), tum Atheniensium illæ, quas Veris tempore agebant in Cereris honorem (*b*), in quibus equidem *supplicationibus* cum plerumque parvo curru Deæ iconem ante omnes ferrent, eumque populus sequeretur, ideo supplicationem ipsam πομπήν (*c*) a τὸ πέμπειν *præmittere* appellarunt, ut pluribus contra Carmelii sententiam patefaciemus hujus denominationis rationem in Dissertatione II. to. 3. Hinc Latini eamdem usurparunt vocem, ac eam ob rem *supplicationem* nuncuparunt *Pompam*, unde illis frequens est: *Pompam agere* in re præsertim funebri, ut ibidem dicemus.

Verum Christianos inter frequens videtur *Processus*, & ad medium ævum *Processionis* vocabulum, perinde ac Græcis προλευσεως, προόδου illud; quare hi πρόδον ποιεῖν dixerunt, quod Latini *processionem agere*. Videtur (quod ad veterum Patrum intelligentiam maximi momenti erit) antiquioribus Latinis Ecclesiæ Scriptoribus idem fuisse *Statio*, atque *Processus*, sive *Processio*. *Stationis* sane nomine apud antiquos venit Liturgia, quæ in aliqua Sacra Æde ab Episcopo peragenda *indicebatur*, quare illuc *Stationem haberi* dicebant (*d*); quæ phrasis passim obtinuit medio ævo præ-

(*a*) *Pausan. in Achaic.*
(*b*) *V. Fornut., & Esych. ap. Blonder. de Rit. Veter. c. x.*
(*c*) *Tucidid. Hist. l. 4.*
(*d*) *V. Tertull. l. de spect., & l. 2. ad Uxor.*

præsertim Romæ, quo Pontifex Sacrum quandoque in una, quandoque in alia faciebat Ecclesia; hinc legimus in Sacramentariis: *Statio ad S. Mariam Majorem*: *Statio ad S. Petrum &c.*, quod de aliis Occidentalibus Ecclesiis peculiaria testantur Sacramentaria. Cum itaque *Statione* indicta, populus loco Ecclesiæ illæ, in qua Liturgia peragenda erat, proximiori Pontificem expectaret, atque exinde ordinatim cum ipso Pontifice ad illam procederet, factum est, quod *Statio* ipsa *Processionis* nomine quandoque donaretur. Hinc locutio illa: *Procedere ad Populum* (*a*), qua utebantur Episcopi; cum obviam populo expectanti irent, ut simul cum illo ad Ecclesiam *procederent* (*b*). Hoc itaque mihi videtur antiquius Processionis vestigium, cum a IV. Sæc. ordinatim ad *Stationem* simul irent fideles Psalmos canendo (*c*), qui sane ritus *consuetudo* eodem IV. Sæc. appellatur a S. Ambrosio (*d*).

Verum præter *Stationis processionem*, a qua ceteræ ortum duxerunt, alias habuit Ecclesia *supplicationes* tum Stativas, tum pro re nata indictas. Stativas dicimus illas, quas statis per Annum solemnioribus diebus agebant; cujusmodi a V. Sæc. fuit *supplicatio* dicta *Litania minor*, quæ triduo ante Aseensionem agitur (*e*). Altera, quæ *Litania major* appellatur, quam in festo S. Marci Evangelistæ Sæc. VI. faciendam esse statuit S. Gregorius I. R. Pontifex. Quo sane loco animadvertendum, duobus hisce *Processionibus* græcum nomen *Litaniæ* stetisse, cum Græci ipsas *sup-*

 pli-

(*a*) *August. de Civ. Dei l. 22. c. 8.*

(*b*) *V. Anastas. Bibl. in Leone III.*, *&* *Panvin. de Stationib. Urbis:*

(*c*) *August. ibid.* (*d*) *Epist.* 29.

(*e*) *V. Avit. Vienn. in Chron. ad An.* 452.

plicationes λιτανας etiam nuncuparint, a το λιτανευω *orare*, *precari*; in illis enim *processionibus* populus Deum O. M. precabatur pro telluris feracitate, ut dicturi sumus libro IV. Sect. 11.; hinc illas Latini *Rogationes* merito appellarunt. Hujus etiam generis sunt supplicationes, quae pro Anni festis fiunt, de quibus edisserendum est eodem libro.

Supplicationes praeterea agebat Ecclesia ab antiquis temporibus, cum Martyrum lipsana de Cemeterio, vel de una in aliam Ecclesiam, vel Civitatem transferret, cujus vide innumera exempla apud veteres (*a*). Illas itidem agebat in jaciendis Ecclesiae, vel alicujus Coenobii fundamentis (*b*). Episcopus enim populo comitatus propria manu primum Ecclesiae lapidem mittebat, in quo a v. Saec. mos inoleverat inscribendi tum Episcopi nomen, tum *fundationis* diem, atque annum, ut legimus in lapide (*c*), qui in cujusdam vetustae Ecclesiae fundamentis repertus fuit Massiliae, quem heic adferre lubet pro Ecclesiasticae antiquitatis studiosis.

DO: ET XPO MISERANTE. LIM. HOC C. L. K. T.

E. ANNO IIII. C. S. VALEN.

TINIANO. AVG. VI. KL. D. XVIIII. ANNO EPTVS RVSTI

Nimirum: *Domino*, & *Christo Miserante Limen hoc*

(*a*) *Socrat. Hist. Eccl. l.* 2. *c.* 16., *Theodoret. Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 9., *Hierony. adv. Vigilant.*, *August. ibid.*, *Gregor. Turonen. Hist. Franc. l.* 4. *c.* 25.

(*b*) *Justinian. Novel.* 67.

(*c*) *Ap. Baluz. in Comm. ad Libr. Lactantii de Morte Persec.*

hoc conlocatum est anno quarto Consule Valentiniano Augusto sexto, tertio Kalendas Decembris, decimonono anno Episcopatus Rustici. De hujus lapidis stilo consule Differt. III. tom. 3.

Pari ratione in publicis calamitatibus vel Reip., vel Ecclesiæ majores nostri Supplicationes indicebant; ita peste grassante, vel terræmotu Urbes quatiente tum in Oriente (*a*), tum in Occidente supplicationes actæ sunt (*b*): Ad pluviam, vel aeris temperiem obtinendam a IV. Sæc. (*c*): Cum hostes Urbi imminerent (*d*), vel ad avertendam, quæ aliquando sæviebat, hæresim (*e*). His itaque aliisque de caussis *Supplicationes* ad Divinam misericordiam conciliandam indixere antiqui Ecclesiæ Patres, populo, atque ipso etiam Imperatore in Oriente supplicationem agentibus.

Supplicationum autem Ordo ab antiquo is erat. Crux præcedebat a IV. Sæc. (*f*), quod V. Sæc. Justinianus edicto sanxit (*g*), atque omnino factum est tum in Oriente, tum in Occidente (*h*). Crux sane a Diacono plerumque, aliquando a clericorum uno ferebatur, qui Romæ dicebatur *Dragonarius*, de qua denominatione edisseremus lib. IV. Sect. II. c. 6. Sequebatur Crucem Diaconus, vel medio ævo Archidiaconus Evan-

X 4

(*a*) *Nicephor. de Theodosio seniore Hist. l.* 14. *c.*49.
(*b*) *Gregor. Turon. Hist. Franc. l.* 4. *c.* 5.
(*c*) *Socrat. l.* 2. *c.* 22., *Niceph. ib. c.* 3., *Anast. Bibl. in Adeodato.*
(*d*) *Sidon. l.* 7. *epist.* 1., *S. Greg. Magn. l.* 9. *ep.* 45.
(*e*) *Socrat. l.* 6. *c.* 8., *Sozom. l.* 8. *c.* 8.
(*f*) *Ex Socrate ibid.*, & *Evagr. Hist. Eccl. l.*4. *c.*2.
(*g*) *Novel.* 123. *c.*32.
(*h*) *Conc. Nicæn. II. Act.* 4., *Greg. Turon. de Vitis Patr. l.* 1. *c.* 7.

Evangeliorum librum deferens (*a*), quo munere Constantinopoli fungebatur Diaconus quidam secundæ classis, qui *Præfectus Evangelio* dicebatur (*b*). Post Diaconum veniebat populus per classes, atque cœtus distributus, *primo clerici*, deinde *Monachi*, dein *viri*, postea *mulieres*, inde *moniales*, ac postremo *infantes*, *atque pueri* (*c*), qui sane omnes nudo pede quandoque ambulabant (*d*), & jugiter Psalmos cantabant (*e*), ac cereos ardentes manibus ferebant (*f*); immo IV. Sæc. non solum cereos ferre, sed illos Cruci imponere consuevisse in Oriente potissimum testatur Socrates (*g*). Postremo cum Presbyteris (*h*) veniebat Episcopus, qui propria manu vel S. Crucis lignum (*i*), vel Sanctorum reliquias ferebat (*k*). Medio ævo in Oriente processionem præcedebant clerici, qui tintinnabuli vice ligna quædam αγια ξυλα (de quibus locuti sumus) gestabant, eaque percutiebant, ut ceteros *supplicationem* commonerent (*l*); qui sane mos Romæ etiam invaluit, quo Sæc. IX. illud factum est in supplicationibus *non ex æris* (tintinnabuli scilicet) *penuria*, *sed*

(*a*) *V. Marc. Gazaeum in Vita S. Porphirii*, *Ordo Rom. ap. Mabil.*, *Codin. de Offic. Magn. Aul. c.* 1.

(*b*) *Ap. Codin. ib. c.* 4. *&* 10.

(*c*) *S. Greg. Magn. l.* 11. *ep.* 2.

(*d*) *Paul. Diac. l.* 26., *Conc. Moguntiac. c.* 34.

(*e*) *Ex Ambrof. ib.*, *&* *August. ibid.*

(*f*) *Sozom. l.* 8. *c.* 8., *Greg. Turon. de Glor. Mart. l.* 1. *c.* 44.

(*g*) *L.* 6. *c.* 8. (*h*) *Ex Justini. Nov. ib.*

(*i*) *Niceph. ibid.*

(*k*) *Rufin. de Theodosio seniore Hist. Eccl. l.* 2. *c.* 33., *Greg. Turon. de Glor. Confessor. c.* 79.

(*l*) *Conc. Nicæn. II. Act.* 4.

sed propter vetustatem (*a*), hine tandem usus tintinnabuli in Occidente obtinuit ante Processiones. Demum observandum videtur, XII. Sæc. usum procedendi binario numero invaluisse, cujus primus meminit S. Bernardus (*b*). Atque hæc satis sint de Processionibus, cum alia quædam minoris momenti adjiciemus in IV. libro, de Cruce edisserentes.

CAP. XII.

De Christianorum Peregrinationibus. Deque Tabellis votivis.

LOca sacra adire, ac longam quandoque suscipere ad illa peregrinationem, frequens fuit inter Christianos a IV. Sæculo ob ferventissimum studium, quo vel Christi Domini loca, vel martyrum sepulchra prosequebantur. Id autem illos fecisse D. Paullum imitatos, docuit eodem IV. Sæc. S. Hieronymus (*c*): ille enim, ut ex Epistola ad Galatas, & Actorum cap. XX. liquet, peregrinationem suscepit iis visendis locis, in quibus Redemptor maxima Reparationis mysteria perfecerat. Itaque initio inter Christianos non modo viri, sed & ipsæ mulieres (*d*) has peregrinationes inierunt, ut Hierosolymis inviserent Jesu Christi sepulchrum, quo sane uniuscujusque *gentis homines* IV., ut dixi, Sæc. *conveniebant* (*e*). Qua de re eodem ævo cum nimium Peregrinationis illius studium effer-

(*a*) *Vulg. Amalar. de Div. Offic. l.* 4. *c.* 21.
(*b*) *Serm.* 2. *in Purif. S. Mariæ.*
(*c*) *Epist.* 19. *ad Paulam.*
(*d*) *Greg. Nyssen. Orat. de his, qui Hierosol. adeunt.*
(*e*) *Epist.* 27. *ad Eustochium, & Euseb. Hist. Eccl. l.* 6. *c.* 25.

efferbuisset, gravia quandoque incommoda tum moribus, tum Relligioni intulit, de quibus, haud tamen de Peregrinationis hujus relligione, queritur inter alios S. Gregorius Nyssenus in Oratione, quam in abusus, qui in sacris Peregrinationibus irrepserant, scripsit.

Præter sacra Hierosolymæ Loca, quæ in primis habita sunt, Martyrum insigniorum Sepulchris visitandis passim peregrinati sunt fideles, quod aperte docent Historia, atque Sanctorum gesta. Verum post Hierosolymitanam, primum obtinuit locum ad Romanam Urbem peregrinatio, *Sanctorum Apostolorum liminibus* lustrandis, quo non tantum ex omni Occidente, sed ex remotissimis etiam Orientis regionibus confluebant fideles (*a*). Increbuit sane medio ævo peregrinationum consuetudo ex indita Christianis opinione, quod Martyres, vel insignes Christi Confessores eorum oraculo, vel portento quodam, occulta patefacerent. Hinc passim Litigantes ipsius quandoque Episcopi consilio (*b*) ad illorum sepulchra confluebant, ut lites, ac controversiarum caussas, prolato vicissim Sacramento super Martyrum sepulchra, dirimerent, de quibus fusius dicemus Dissertatione de Catachumba Neapolitana.

Tandem medio ævo duo potissimum sacra Loca primas in Occidente habuerunt, nimirum in Galliis Sepulchrum S. Martini Turonensis Episcopi, atque illud S. Saturnini (*c*), & in Hispania longe inlustrius S. Jacobi Sepulchrum ad Compostellum Gallæciae Metropolim; cui equidem peregrinationi passim ea tempestate voto se se obligabant Latini, ac turmatim ad S. Jacobum Compostellanum pergebant (*d*). Quæ equi-

(*a*) *Nicol. I.R.P. epist. 2. ad Mich. Imperat.*
(*b*) *August. epist. 137.*
(*c*) *V. Conc. Cabilon. c.44. 45. A.873.*
(*d*) *V. Gretser. l. 2. De Peregrin. c.16.*

equidem sacra peregrinandi voluptas in Occidente perstitit ad Sæculum usque XI., in quo inito Bello sacro, quot quot Compostellanam adituri erant peregrinationem*, sumptis armis, *Bellum sacrum* secuti sunt, cujus historiam brevi delibare heic operæ pretium erit.

§. I.

Historiæ Belli Sacri brevis Epitome.

Cum X. atque XI. sæc. Turcæ, qui Hierosolyma potiti erant, dira servitute Christianos, qui illuc erant, afficerent, atque Sacra loca Reparatoris Nostri prophanare omni conatu studerent; Urbanus II. R. Pontifex Claromonti Concilium habuit Anno MXCV., in quo Europeos Galliæ, Italiæ, & Germaniæ Principes enixe hortatus est ad Sacram contra Turcas expeditionem, Christianis a servitute liberandis, ac pristino cultui sacris Locis restituendis. Hinc eodem anno quamplures præsertim e Gallis, atque Germanis Principibus, Duce Godefrido Bullionio, qui Lotaringhiæ ducatum habebat, expeditionem illam susceperunt, quam innumeri Latinorum, qui peregrinationibus Sacris de illius tempestatis more studebant, sectati sunt. Hi in Orientem pervenerunt anno MXCVI., & anno MXCIX. devictis Turcis, Hierosolymam cœperunt, ac ipsum Godefridum Regem salutarunt, a quo tamen titulo summa, qua præditus ille erat, animi modestia, abstinuit. Mortuo tandem A. MC. Godefrido, Balduinus ejus germanus frater in Hierosolymitanum Regnum successit, qui Ptolemaidem, Tripolim, aliasque nonnullas Urbes a Saracenorum imperio liberavit, atque obiit A. MCXVIII., eique successit Comes Edessenus, qui Balduinus II. a Latinis appellatus fuit, etsi haud pari felicitate cum primo potitus fuerit; nam A. MCXX. a Saracenis in Bello captus,

ptus, nonnisi post annum libertatem recuperavit, ac deinde Equestri Ordine Templariorum instituto, vita functus est A. MCXXXI, in cujus locum Latini elegerunt ejus generum nomine Fulconem. Is sane auctor fuit percelebris illius Ordinis equestris Hospitalariorum, vulgo Equitum S. Johannis; at A. MCXLII. mortuus est duobus relictis filiis, qui cum adhuc impuberes essent, imperio potita est eorum mater, Fulconis uxor *Milisendes* Balduini II. filia, quæ una secum ad Regnum assumpsit Balduinum ejus filium natu majorem, qui Balduinus III. dictus est, atque ambo maxima prudentia, atque consilio regnum Hierosolymitanum moderati sunt ad Annum usque MCXLIV., in quo Turcæ Edessa clarissima Urbe potiti sunt, ac Christianos maxima affecerunt cæde; quare Latini ad extremum discrimen redacti, ad Eugenium III. R. Pontificem legationem miserunt, ejusque præsidium implorarunt. Is autem opera S. Bernardi usus est, qui ea, qua pollebat Sanctitate, & eloquentia, Ludovicum VII. Galliarum Regem, & Conradum Occidentis Imperatorem adduxit, ut in Orientem proficiscentur. Itaque A. MCLVII. ambo cum ingenti exercitu profecti sunt: at Conradus malis artibus Orientalis Imperatoris Emmanuelis Comneni totum pene amisit exercitum, & Ludovicus VII., quem Duces sui exercitus, Turcarum muneribus corrupti, proderant, irrito conatu Damascum obsedit. Hinc utrique, rebus infeliciter gestis, domi reversi sunt A. MCLXIX. Interea Balduinus III. A. MCLXII. e vivis excesserat, ac fratrem Regni hæredem scripserat Almaricum nomine, cui A. MCLXXIII. filius successit Balduinus IV. Eo autem Imperante Latini insignem victoriam retulerunt de Saladino Aegypti Principe A. MCLXXVII., qui nihilominus A. MCLXXX. Latinos agressus est, ac cruentam illorum stragem fecit, eo ut vix ipse Balduinus IV. effugerit. Hinc ingentis

tis hujus cladis Christianorum certior factus Alexander III. R. Pontifex ad omnes Catholicos Principes scripsit, eosque, ut Christianis Orientem incolentibus praesto essent, hortatus est. Verum optatum praesidium haud statim sortita est Christianorum malesana res in Oriente, quare cum A. MCLXXXIV. Saladinus igne, ac ferro Hierosolymitanum Regnum vastaret, Balduinus IV. Heraclium Hierosolymitanum Patriarcham cum Templariorum, atque Hospitalariorum Magistris ad Lucium III. R. Pontificem misit, ut sine cunctatione Reges Angliae, & Galliae, quibus etiam illos legaverat, subsidio Christianis venirent. Sed sequenti anno MCLXXXV. obiit Balduinus, cui suffectus est ejus ex sorore nepos Balduinus hujus nominis V., qui cum eodem anno mortuus esset, Latini elegerunt Guidum de Lusiniano Joppensem Comitem. Is sane ultimus Hierosolymitanorum Regum fuit: nam illo regnante Saladinus Hierosolymam coepit, eumque captivum fecit, sacris Locis prophanatis, atque Latinis undique expulsis, contra quem irrito etiam conatu extremis periclitatus est viribus Guido, postquam e captivitate a Saladino dimissus est. Tanti Imperii jacturam aegre tulerunt Christiani Principes, quos inter tandem A. MCLXXXIX. Imperator Fridericus Aenobarbus cum ingenti militum copia Orientale Bellum aggressus, rem feliciter auspicatus est; verum facto naufragio A. MCXC., dum corpus ad Maris oram lavat, exciderunt Latinorum redivivae spes. Tandem eodem A. MCXC. extremam certaminis fortunam periclitati sunt contra Aladinum, Philippus Augustus Galliarum, & Richardus Angliarum Reges. Hi sane primo expeditionis anno Ptolemaidam coeperunt; at eo constitit victoria, cum ambo e Palaestina, integris Saladini rebus, discesserint. Qua ratione tandem Latini omnem recuperandi Hierosolymitani Imperii spem amiserunt. Haec est brevis Belli sacri historia, quam

quam si integram legere mavis, consule Willielmum Tyri Archiepiscopum, qui accuratam hujus Belli descripsit historiam, ex qua pauca, quæ heic delibavimus, desumpta sunt.

Hoc autem bellum *Cruciata* vulgo appellatum est, eo quod hi, qui huic militiæ nomen dabant, in fronte crucis signum gerebant, vel in veste (*a*). Crux purpurei erat coloris, quam super dexteram quoque scapulam gerebant (*b*). *Crucesignati* itaque dicebantur, eosque sub Ecclesiæ *defensione*, ac *BB. Petri*, & *Pauli protectione* esse, declaravit Urbanus II. R. P. (*c*). Præterea eorum bona sub Romanæ Ecclesiæ *custodia* esse decreverunt Romani Pontifices (*d*), eisque suorum peccatorum indulgentiam concesserunt, comminata excommunicatione in eos, qui *Crucesignatorum bona vel distrahere*, *vel auferre* auderent (*e*); quibus, aliisque innumeris illos cumularunt privilegiis, ut viam Sacro Bello omnibus patefacerent.

§. II.

De Tabellis votivis.

Cum de Christianorum peregrinatione ad Sacra loca edisseruimus, apposite heic dicendum est de antiquitate illarum tabellarum, quas fideles pro acceptis gratiis Sanctorum Templis suspendunt. Hic sane mos Paganis tum in Oriente, tum in Occidente sacer fuit, qui vel donaria Deorum, dearumque Templis

(*a*) *Robert. Mon. Hist. Hierosol. l.2.*
(*b*) *Carol. Sigon. de Reg. Ital. l.9.*
(*c*) *Will. Tyri. de Bello Sacro l.1. c.15.*
(*d*) *Conc. Claromont. c.2.*
(*e*) *Conc. Lateran. A.1122. c.2.*

plis offerebant, eaque ἀναθήματα appellabant (a), vel in *Tholo* ipsius templi tabellas suspendebant, in quibus ad nostrarum instar, suscepti beneficii historia depicta erat (b), aut brevi carmine descripta (c): vel si a gravi convaluerant morbo corporis membrum ære, auro, argento fabrefactum Templo offerebant; cujusmodi donaria habes apud Cl. Mich. Angelum de la Chausse, & Philippum Tomassinum (d), quorum primus quatuor profert manus æreas, ad quarum basim voti inscriptio prostat, & alter pedum formam marmori insculptam; Hinc vel ipsa *capillitia* voto offerebant, ut testantur Petronius (e) & Statius (f), aliique Paganorum scriptores; eo ut Cicero Deorum providentiam probaret ex tot tantisque *pictis tabulis*, quam ii, qui beneficia a Diis acceperant, Templis alligabant (g).

Christiani autem majores nostri hunc Paganorum morem olim imitatos non fuisse, testatur altum apud illos de hisce tabellis silentium. Cum enim eorum aliquis beneficium acceperat alicujus Martyris, vel Confessoris *intercessione*, quin tabellas effingeret, atque Templo suspenderet, Episcopum potius miraculi certiorem faciebat, atque brevem ipsius jussu suscepti beneficii historiam exarabat, eamque Episcopo offerebat, qui illam festis diebus populo post Liturgicum Sermonem legebat, eo, qui gratiam adeptus fuerat, præsente; quæ quidem hi-

(a) *V. Herodot. in Clio, & Polluc. l. 1. c. 1.*
(b) *Martial. l. 1. epigr. 71.*
(c) *Petron. Arbitr. saty. 3., & Priap. Collect. epigr. x.*
(d) *In Differt. de Fibulis, bullis &c. Antiquor. in Gronovii Thesauro to.* XII., *& Thomas. Diss. de Donariis Veter.*
(e) *Ibid.* (f) *Thebaid. l. 6. versu* 608.
(g) *L. 2. de Natura Deor.*

historiæ, miraculorum *libelli* dicebantur. Hujus moris monumenta prostant apud S. Augustinum *sermone* CCCXIX., & CCXVI. tomo V. editionis Maurinæ, & in libro Miraculorum S. Stephani, qui nomen fert S. Evodii Uzalensis Episcopi, quem habes in appendice operum ipsius Augustini. Hos sane libellos congessere medio ævo quamplures illius ætatis Scriptores, ut in Sanctorum festis diebus publice in Ecclesiis legerentur, quorum nonnulli codices de Neapolitanæ Ecclesiæ Sanctis servantur in inlustri Bibliotheca SS. Apostolorum Neapoli, ex quibus colligimus ad medium usque ævum morem hunc stetisse, qui tandem evanuit postquam Episcopi Liturgicis sermonibus vacare cessarunt.

Tabellis itaque exinde uti cœperunt Christiani, ut suscepti beneficii gratæ memoriæ monumentum ponerent; quare nonnisi post XIII. Sæc. hujusmodi tabellas inter Christianos reperies.

C A P. XIII.

De Cultu Panis Eucharistici.

HEic de cultu, quem veteres Eucharistiæ exhibuerunt, sermonem minime instituimus, cum de eo fusius IV. libro dicturi simus; sed de publica dumtaxat Sacramenti adoratione, sive de Eucharistici panis, ut ajunt, *Expositione*.

Peculiari sane cultu Eucharistici Sacramenti institutionem prosecuta est Ecclesia primum Sæc. XIII. Omnium enim primi A. MCCXLVII. Canonici Leodiensis Ecclesiæ Festum *Corporis Domini* celebrare cœperunt ex decreto etiam Ugonis Legati S. Sedis, qui cum hujus festi certiorem fecisset Urbanum IV. R. Pontificem, is A. MCCLXIV., quarto scilicet Pontificatus sui anno, decrevit, die Jovis, qui Pentecostes octavam

vam sequitur, hoc Festum ab omnibus celebrandum esse Ecclesiis. Verum defuncto Urbano ejus *Bulla* minime prolata est, ad Ann. usque MCCCXI., quo in Concilio Viennensi Clemens V. R. P. Urbani Bullam confirmavit, atque Ann. MCCCXVI. Joannes XXII. Rom. Pontifex Urbani Bullam de festo *Corporis Domini* a Clemente approbatam publicavit, præscripto peculiari Officio, quod jussu ipsius Urbani IV. S. Thomas Aquinates concinnaverat, etsi Gallicanæ Ecclesiæ proprio hujus festi Officio jam uterentur, opera B. Julianæ scripto. Quare tandem idem festum probarunt, atque Christianis omnibus commendarunt Romani Pontifices Martinus V. in Synodo Constantiensi, & Eugenius IV.

Verum neque Urbanus in ejus Bulla, quem publici juris fecit Johannes, neque S. Thomas in opusculo *de festo Corporis Christi* meminerunt illius *Processionis*, quæ hodie in hujus Festi *octava* fit; quare fallitur Cokhierius, qui illius Processionis auctorem ipsum fecit Urbanum IV. Primo enim de ea meminit Concilium Senonense Ann. MCCCXX., & postea *Cartolarium* Carthusianorum A. MCCCXXX. apud Thiers, qui hujus Processionis institutionem Johanni XXII. potius adscribendam esse censet.

At neque in ipso festo, neque in publica supplicatione Eucharisticus Panis in aliqua theca, sed in ipsa pixide ferebatur, cum ante Sæc. XIV. thecæ illius, qua nos utimur, usus non adhuc invaluisset. Hujus quippe thecæ figuram primum invenimus in Missali Romano membranaceo Ann. MCCCLXXIV., quæ turriculæ figuram præsefert, cujusmodi fuit antiquior capsa Sacramenti, ut dicemus in nostra dissertat. I. tom. III. Sequenti autem Sæculo inventa videtur forma illa thecæ Eucharisticæ, quæ ita Sacram Hostiam continebat, ut omnibus pateret; quare jam tum illa

Ostensorium appellata est (*a*). Ea vero Crucis figuram præseferebat, in cujus medio Hostia collocari soleret, cujusmodi describitur in Inventario Ecclesiæ S. Mariæ Parisiis Ann. MCCCCXXXVIII. At Sæc. tandem XVI. theca illa eandem formam, quæ apud nostros habet, obtinuit, Solis scilicet figuram præseferens radiis circum ornatam, cujus specimen videre est in miniatura Libri *Gradualis* Cappellæ Parisiensis Anni MDXV. apud laudatum Thiers; cujusmodi est & illa, quæ ex Caroli VI. dono servatur in Galliis a Monachis Cœlestinis *de Marcoussi*, in qua christallum utrobique Hostiam patefacit, ac intus aurea lunula Hostiam ipsam continet.

In ejusmodi itaque theca publico Christianorum cultui exponi cœpit Eucharisticus panis post Sæc. XIV. ex pio Ecclesiarum studio in tantum Sacramentum; cum nulla Ecclesiæ lege *Expositio* illa statuta videatur. Omnium primus de Sacramenti *Expositione quadraginta horarum* spatio meminit S. Carolus Borromeus Mediolani Episcopus (*b*): at ad finem usque XIV. Sæc. hae *expositiones* nonnisi publicis, iisque gravissimis de caussis fiebant, ut innuere videtur ipsemet Pius V. R. P., qui *expositionem* approbavit, edita Bulla; *Divina disponente Clementia &c.*. At Ann. MDXCII. Clemens VIII. omnium primus decrevit quotidianam totius anni curriculo Sacramenti expositionem, eamque omnibus Ecclesiis commendavit sua Bulla: *Graves, & diuturna &c.* Quod satis sit de pio hoc ritu delibasse.

LI-

(*a*) *In Conc. Colonien. A.* 1452.

(*b*) *In Ritual. Ambrosiano tit. de Sacr. Euch. edit. Cadomi.*

LIBER III.

De Oblationibus, & Benedictionibus Christianorum.

TErtio hoc Libro primum de Oblationibus, secundo de Benedictionibus dicemus. Oblationes autem vel elementorum Sacrificii erant, panis nimirum, atque vini, vel Ecclesiæ ministris cedebant pro eorum alimento. Secundo. Cum Ecclesia præter Sacramenta alia utatur methodo, qua res sanctificari queant, nimirum *benedictione*; postquam de Oblationibus edisseremus, harum *Benedictionum* ritus brevi expendemus.

SECTIO I.

De Oblationibus.

CAP. I.

De Oblatione Eucharistica, sive Panis, & Vini.

DE ipsa, quæ in Sacrificio fiebat, Oblatione præcedenti libro locuti sumus c. IX. §. 7. Heic itaque de materia ipsius Oblationis Eucharisticæ dicendum restat, quæ a Græcis Patribus προσαγωγη θυσιας *oblatio Sacrificii* appellatur (*a*). Panis sane, ac Vinum, quæ elementa Sacrificii sunt, a fidelibus offerebantur,

 qui

(*a*) *Cyrill. Alexandr. l. 2. de Adorat.*

qui ex iisdem communicabant, quare Cæsarius Arelatensis Episcopus (*a*) erubescendum esse, ait, *homini idoneo si de aliena oblatione* (h. e. pane, ac vino ab aliis oblato) *communicaverit*. Quis quis igitur fidelium, qui Liturgiæ aderat, (aderant sane primis illis temporibus omnes) atque *communicabat*, offerebat Altari olim panem, atque vinum pro se, suaque familia. Itaque a IV. Sæc. in Græca, atque Latina Ecclesia statutum est, unumquemque pro se *offerre* in Sacrificio *panem*, & *vinum* (*b*). Quæritur autem num panis ille peculiari ratione confectus esset a fidelibus, an e communi illo, quo vescebantur, esset. Verum a primis Sæculis peculiari cura panem consecrandum confecisse Christianos, conjicere licet ex Gregorio Nazianzeno, qui Valentem Imperatorem propriis manibus *dona*, quæ Sacræ Mensæ offerenda erant, fecisse narrat (*c*); quod si ipse Imperator laudatur, qui eo pietatis officio fungebatur, universe dicendum erit apud alios morem illum jam tum obtinuisse. Eadem legimus in Vita S. Gregorii I. R. P. de femina, quæ apposite panem pro oblatione fecerat (*d*), atque de inlustri Matrona nomine Candida Trajani Magistri Militum uxore; quod de ipsa etiam Francorum Regina S. Radegunda scripsit Fortunatus in illius vita. Neque obstat, quod Auctor librorum *De Sacramentis* Ambrosii nomine, consecrandum panem appellat *usitatum* (*e*); ex ejus enim contextus sensu idem est panis usitatus, ac panis non adhuc consecratus.

At

(*a*) *Serm.* 265, *in Append. sermon. S. Augustini*.
(*b*) *V. c.* IX. §. 7.
(*c*) *Orat. Funebri in laud. Basilii*.
(*d*) *Johan. Diac. in ejus vita l.* 4. *c.* 3.
(*e*) *L.* 4. *c.* 4.

At ad IX. Sæculum Latini relligiosius se gerere ea in re cœperunt; siquidem decreverunt panem consecrandum vel ab ipsis presbyteris, vel iis præsentibus ab *eorum pueris* faciendum esse (*a*); quare exinde *Sacerdotes a singulis familiis, & domibus farinam accipiebant, & inde Dominicum panem faciebant* (*b*) quandoque ipsorum Diaconorum opera, at id fiebat in Sacrario, tum Diaconis, atque Clericis, tum Presbytero Psalmos, qui Sacrificio magis congruerent, canentibus (*c*). Quæ disciplina circa XI. Sæc. in nonnullis quoque Græcorum Ecclesiis viguit, cum in Cyrilli Jacobitæ Alexandrini Patriarchæ Constitutionibus sancitum sit sub anathematis pœna, ne panem offerendum presbyteri *a feminis conficere*, vel *coquere* facerent (*d*). Id autem ad Sæc. usque XII. factum est, cum deinde hujus relligiosæ consuetudinis nulla supersint vestigia apud Latinos, perinde ac Græcos, qui attamen panem faciendum committunt viris mundis, vel mulieri, quæ *a maritali congressu præcedenti die abstinuit* (*e*), Nestorianis exceptis, quorum Sacerdotes adhuc solemni ritu panem illum conficiunt. Hinc mihi videtur, quod postquam Presbyteri propriis manibus ea ætate panem consecrandum conficere neglexerint, plane obsolevit tum vetus oblatio panis, tum illa farinæ, vel similæ, cujus loco obtinuit eodem XII. Sæc. pecuniaria oblatio universe fere in Occidente (*f*).

 Ne

(*a*) *Capitular. Theodulphi Aurelian. art. 5.*

(*b*) *Honor. Augustod. Gemma An. l. 1. c. 66.*

(*c*) *Constit. x. ap. Meurs. in Glossar. ad* προσφοράν *in Addit.*

(*d*) *Ansel. Havelbergensis Dialogor. l. 3. c. 18.*

(*e*) *Gabriel. Philad. Apolog. pro Eccl. Orient.*

(*f*) *V. Donation. Car. Calui, & Testament. Phil. Comit. Flandr. ap. Martene in Novo Thesauro Monum. t. 5.*

Ne autem e brevitatis proposito excedam missam heic facio quæstionem de Azimo, atque Fermentato Latinorum. Sat enim mihi videtur a Mabillonio demonstratum esse, Latinos a primis Sæculis ubique usos esse azimo pane, cujus argumenta, habes tum in præfatione ad Sæc. III. Benedictinum, tum in ea Dissertatione, quam De Azimo, & Fermentato ipse Mabillonius Cardinali Bona nuncupavit.

Forma *Oblatæ*, quam *hostiam* appellamus, olim ad *coronæ* instar erat (*a*), quare *circulus* etiam medio ævo appellatur (*b*). At circa XII. Sæc. passim in *modum denarii* fieri cœpit (*c*), vel *in forma nummi* (*d*), quam equidem habuit formam, cum ferro jam tum coqui cœperit. Illius enim ætatis Scriptores *ferri ad coquendas* hostias meminerunt (*e*); quod *ferramentum characteratum* etiam appellarunt (*f*), quia *litteras* in hostia describebat una *cum Domini imagine*; quare in *forma nummi* dicebatur, *cum in denario imago*, & *nomen Imperatoris scriberetur*, ut ait Honorius Augustodunensis (*g*). Itaque a XII. Sæc. panis Eucharisticus ferro coqui, & Christi imaginem cum litteris in eo haberi cœpit. Literæ autem, quæ tunc in ostia effingebantur, erant Alpha, & Omega A. Ω., qui-

(*a*) *V. Epiphan. in Ancorato n.* 56. *Edit. Patr. Meimb.*, & *Cæsar. Nanzianzeni fratr. Dial.* 3. *De fide Cathol.*

(*b*) *A Severo Alexand. in Ord. Miss.*, & *Isone Monacho in l. Miracul. S. Othmar. c.* 3., *vide Bernold. in Exposit. Ord. Romani ap. Georg. Cassandr. Liturg. c.* 27.

(*c*) *Gemma Animæ l.* 1. *c.* 66.

(*d*) *Arnulph. Roffen. Episc. epist.* 2. *Spicil. t.* 2.

(*e*) *Liber. Ordin. S. Victor. Parisien. ap. Cangium*, *Consuetud. Clun.* & *Cisterciens.*

(*f*) *Consuetud. Cluniacens. l.* 3. *c.* 13.

(*g*) *Gemma An. ibid.*

quibus litteris Crucis figura imminebat, ex alia parte vel erat, ut dixi; Christi imago, vel illius nomen græcis litteris eo modo X P C. Hæc habentur in libello Edelphonsi Hispalensi Episcopi apud Edmontium, quem Eldephonsum appellat Martene. Græci vero illud, quo nos utimur, *caracteristicum ferrum* minime adhibent, sed manu ipsa *pugillum massæ* sumentes, raro *in rotundum*, plerumque, *in quatuor ramos ad modum Crucis panem distendunt*, & postea calefacto ferreo quodam sigillo, Crucis figuram *pani imprimunt in medio, & in ramorum extremitatibus* (a). At hodie plerumque unam Crucem in pane describunt, additis ad quatuor angulos hisce litteris IC. XC. N. K., *h. e. Jesus Christus vincit*. Alexandrini vero, & hi, qui Coptitarum Liturgiam sequuntur, pluribus parvis crucibus panem rotundæ formæ signant, in cujus orbe describunt Ἅγιος Ἰσχυρὸς; h. e., *Sanctus fortis*. Syri vero duodecim Cruces pani rotundo inscribere solent. Has panis Eucharistici formas, aliasque Chaldæorum, & Nestorianorum exhibet Jacobus Goartius in Notis ad Græcorum Euchologium.

De Vino, quod in Liturgia offerebatur Altari, nulla dicenda nobis suppetunt, cum ubique illud offerretur, & a ministris in calicibus ministerialibus effunderetur, ut diximus præcedenti libro. Verum antequam Altari offerretur tum panis, tum vinum, Diaconus diligenter utraque Sacrificii elementa inspiciebat, ne panis vel furfurosus, vel mucidus esset (b), neve vinum *lutosum* aut *vitiosum* foret (c).

 CAP.

(a) *Leo Allat. de Consen. Orient., atque Occid. Eccl. l. 3. c. 15.*

(b) *V. Conc. Carth.* IV. *c.* 92., *& Possidon. in Vita S. August. c.* 24.

(c) *Ex libello Edessæ ad Photium Biblioth. Patr. t.* 15.

CAP. II.

De Oblationibus Diurnis.

OBlationes diurnas appellamus illas, quæ a plebe Christiana fiebant Ecclesiæ ad ministrorum, atque pauperum sustentationem. Ex illis enim vitam alebant Ecclesiæ ministri, cum *dignus esset operarius mercede, & cibo suo* (*a*); quod autem illis reliquum erat, ægrotis, pupillis, viduis, aliisque pauperibus cedebat.

Apostolorum ætate *agrorum, aut domorum possessores possessiones, & substantias vendebant, & pretia illarum ponebant ante pedes Apostolorum, qui dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*, eo ut *neque quisquam egens inter illos erat* (*b*). Hinc bonorum communio inter diversas etiam Ecclesias stetit, cum ea quæ oblationibus opulentior evaderet, pauperiorem juvaret, *ut æqualitas fieret* (*c*). Quapropter die Dominica *collecta* fiebant in unaquaque Ecclesia (*d*).

Sic ex Apostolica disciplina exinde quotidiana oblatio facta est. Sæculo enim II. *Divites* in Liturgia *pro sua quisque voluntate conferebant, collecta deponebantur in manus* προεστωτος, h. e., *Episcopi*, qui *succurrebat pupillis, viduis, & iis, qui ob morbum, vel aliam ob caussam aberant, vinctis quoque, ac peregrinis* (*e*). Itaque Episcopo offerebatur oblatio, isque illius erat depositarius, & ex ejus judicio distribuenda erat per Diaconorum, vel Presbyterorum manus, qui

(*a*) *Matth.* 10. *v.* 10., & *Johan.* 12. *v.* 6.
(*b*) *Actor.* 2. *v.* 45., & 4. *v.* 33. *ad* 35.
(*c*) *Ibid.*
(*d*) *Apost.* 1. *ad Corint. c.* 16. *v.* 1.
(*e*) *Justin. Mart. Apol.* 2.

qui dispensatores erant (*a*). Deinde præter stipem, quam unusquisque Ecclesiæ conferebat, divites cibum etiam quotidie Clero mittebant in sportulis, quare hæc oblatio *sportulæ* nomen obtinuit (quamquam nomen illud alia gauderet apud Græcos, & Romanos significatione, ut dicemus l. 4. Sect. II. c. 3. ubi *de sportulis* fusius), qua ipse Episcopus, ejusque clerus alebantur, perinde ac pauperes (*b*).

Ea fuit trium priorum sæculorum disciplina. Hinc a IV. Sæculo duplex erat oblatio, una panis, ac vini Altari facta, de qua diximus præcedenti capite; altera pro cleri, ac pauperum alimento. Hæc sane non ad Altare offerebatur, sed *in Secretario*, sive *Gazophylacio* ferebatur (*c*) præsertim die Dominica (*d*), vel ad Episcopi domum. Hoc autem sæculo Ecclesiæ gazophylacium ditari cœpit tum divitum largitionibus, tum annuis oblationibus Imperatorum, quorum primus Constantinus *certum frumenti numerum* clero, ac pauperibus alendis singulis Ecclesiis quotannis a Provinciarum præfectis offerri mandavit (*e*). Hæc itaque oblationis lex omnibus impendebat tam divitibus, quam pauperibus, ne ipsis quidem monachis exceptis (*f*); cum nihilominus Ecclesia *oblationes* nonnisi *ab iis, qui injuria neminem affecerant, neque scelus aliquod perpetrarant, sed juste vitam instituebant*, reciperet (*g*).

At

(*a*) *Ex Constit. Apostol. l.* 8. *c.* 41.
(*b*) *Cyprian. epist.* 33.
(*c*) *Conc. Carth.* IV. *c.* 93. 94. & 95.
(*d*) *Chrysost. hom.* 45. *in epist.* 1. *ad Corinth.*
(*e*) *Theodoret. Hist. Eccl. l.* 4. *c.* 4.
(*f*) *Hierony. epist. ad Heliodor.*
(*g*) *Epiphan. Exposit. Fid. c.* 24.

At v., & vi. Sæc. ultro crevit oblationum disciplina, aliæ enim erant *annuæ* ex Imperatoris elargitione; aliæ a privatis fiebant *ex parentum testamento*; (*a*) cujusmodi *legatorum piorum* initium ea ætate fuit, quæ Ecclesia quandoque *ab his* etiam, *qui in aliquo crimine interempti fuerant*, modo *mortem sibi propriis manibus non intulissent*, recepit (*b*). Aliæ tandem erant quotidianæ oblationes, quæ offerebantur plerumque ante Liturgiam (*c*), ac post ix. Sæc. ante Evangelii lectionem (*d*). Tanta itaque erat oblationum vis, ut Sæc. vi. passim laici Basilicas extruerent, ut oblationum medietate fruerentur, cum pro illius ævi more laici, qui *in terra sua Basilicas* ædificaverant, *quicquid de populi oblatione colligebatur*, *medium cum clericis dividerent* (*e*). Oblationum autem *conservator*, *defensor*, & *distributor* Episcopus erat (*f*), quem intererat eas ab invasoribus defendere, cum jam tum oblationum magnificentia laicorum avaritiam pelliceret: quanti enim illæ forent Romæ præsertim, videre licet in Vitis Pontificum Anastasii Bibliothecarii, qui uno Hormisdæ Pontificatu narrat oblata fuisse Ecclesiæ Romanæ *donum cum gemmis pretiosis* a Clodovæo: *multa vasa aurea*, & *argentea* a Græcis: *pallium holophorum cum tabulis auro textis* a Justino Augusto: *duo cereostrata argentea*, *pensantia libras septuaginta* a Theodorico Rege.

Ve-

(*a*) *Greg. Magn. l.* 8. *ep.* 20., *Conc. Agath. c.* 4., *Conc. Vasen.* III. *cap.* 4.

(*b*) *Concil. Aurel.* II. *c.* 15.

(*c*) *Greg. Turon. de Glor. Confess. c.* 65.

(*d*) *Reginon. Abb. de Eccl. Discipl. l.* 1. *n.* 7.

(*e*) *Conc. Brachar.* II. *c.* 6. *A.* 572.

(*f*) *Conc. Rom.* VI. *sub Symmacho R. P.*, *Conc. Franceford. c.* 48.

Verum circa XI. Sæc. laicorum antiquus fervor in oblationibus tepescere cœpit; quare oportuit Concilia excommunicationis pœnam comminare iis, qui oblationes, quæ ex parentum testamento debebant, non deferrent (*a*); aliosque exhortari *ut aliquid Deo offerrent* (*b*). At XII. Sæc. imminuta est oblatio, cum Laici non solum Clericorum Ecclesiis, sed & Fratrum mendicantium illis offerrent (*c*); quare Prælati de eo quesiti sunt apud R. Pontificem Gregorium IX., qui nihilominus jus oblationis suscipiendæ in eorum Ecclesiis Fratribus indulxit, ut ut reclamantibus Episcopis (*d*). Qua de re Sæc. XIII. solemnioribus saltem diebus statutum fuit fideles propriis Ecclesiis offerre *ex debito*, nimirum in Natalitio Christi, Paschate, in festo Patroni civitatis, vel pagi, Dedicationis Ecclesiæ, ea die *Quadragesimæ*, in qua quis *confitebatur*, & in Parasceve, aliisque pro ratione loci diebus (*e*). Id quod Sæc. tandem XVI. ad quatuor solemniores Festivitates redactum est, nempe Natalis, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis (*f*). Cum demum novissima ætate Conciliorum exhortationes, & antiquam disciplinam nihili fecerint laici, ac penitus Oblationum morem neglexerint.

CAP.

(*a*) *Conc. Roman. An.* 1059. *c.* 5.
(*b*) *Conc. Roman. An.* 1078. *v.* 12.
(*c*) *Ivon. Carnut. epist.* 207.
(*d*) *Extravag. de Excessib. Prælat. c.* 16. 17.
(*e*) *Conc. Londinen. A.* 1264., & *Conc. Burdigal. A.* 1255.
(*f*) *Conc. Colon. A.* 1536., & *Moguntin. A.* 1549.

CAP. III.

De Oblationibus ad Redemptionem peccatorum, & Animæ.

OLim Ecclesia canones quosdam condidit, vulgo *pœnitentiales*, qui nimirum pro culparum ratione certas præfiniebant *pœnitentias*, ut fusiori calamo dicemus libro V. At circa Sæc. IX. cum Episcopi animadverterent, pœnitentes canonicas illas pœnas expendere vel nolle, vel, quod gravius erat, plerumque negligere, prudenti consilio corporis afflictationes pecuniæ elargitionibus permutarunt. Hinc orta est consuetudo illa *pecuniis peccata redimendi*, quæ exinde ad Sæc. usque XVI. inter Latinos stetit.

Verum nova isthæc disciplina sensim increbuit, cum non statim vetus illa collapsa sit. Primo itaque Ecclesia illis, qui gravi, atque diuturna laboraverant pœnitentia, sivit paucos, qui reliqui iis erant, dies pecuniaria oblatione *redimere*. At cum hujus permutationis totum penes Confessarium arbitrium maneret, hinc antiquum institutum nimium molliri cœpit, ac laxiori in dies disciplinæ via patefacta est, eo ut quævis tandem integra *pœnitentia* nummis redimi posset.

Hinc a IX. Sæc. Concilia antiquas canonicas pœnitentias culpis præfinierunt, facta tamen venia eas *redimendi* pecuniis (*a*), definita etiam pecuniæ quantitate. Hae autem pecuniariæ oblationes initio non ipsis cedebant confessariis, sed *sive pro redemptione captivorum*, *sive supra S. Altare*, *sive Dei Servis* (h. e. Monachis), *seu pauperibus dari debebant* (*b*). Vel ali-

(*a*) *Conc. Suession. A.*923., *Capitular. Isaaci Lingon. tit.*1. *c.*1., *Reginon. Abb. Collect. Canon. l.*2. *c.*440. *&c.*
(*b*) *Regino ib. l.*2. *c.*451. *& l.*3. *c.*211.

aliquando redemptionis pecunia pauperibus *pascendis* statuto dierum numero, insumenda erat (*a*). Ultro autem XI. Sæculo excessit res; nam id genus *oblationes* ipsis cedebant confessariis, easque *illos tamquam proprias suas habere* alicubi statutum fuit (*b*).

Hæc sane lex, cum nonnullorum avaritiam proveheret, laxiori nimium indulgentiæ aditum fecit, ita ut tandem oportuit ipsosmet sanctiores Episcopos se se inductæ consuetudini accomodare, moderationibus pro virili adhibitis. Ab XI. itaque Sæc. nulla non fuerunt scelera, quæ pecuniis redimi non possent, præsertim cum plerumque ad immensum annorum numerum sic excederet canonica pœnitentia, ut vitæ curiculo nullimode persolvi posset, quare, ne quis e vita excederet penitentia adhuc non absoluta, redemtio illa necessaria haberi cœpit. Vide hujus disciplinæ testem Petrum Damiani (*c*), cujus ævo ii, qui maximis pœnitentiis gravati vitæ finem sentiebant, Ecclesiæ fundos offerebant, ac testamento legabant pro illius canonicæ pœnæ redemptione; unde enata phrasis testamentaria, qua funda ea ætate Ecclesiæ legantur *pro redemptione animæ, vel peccatorum* (*d*). At patentiorem viam Episcopi coercerunt, tum addictis oblationibus illis Ecclesiæ præsertim a Sæc. XII., tum ablata confessariis potestate a pœnitentibus *exigendi pecuniariam pœnam*, quibus optio relinquenda esset canonicam pœnam redimendi, nec ne. Ideoque tum XII., tum XIII. Sæc. quamplures contra confessariorum avaritiam canones sanciti sunt (*e*).

Præ-

(*a*) *Conc. Triburien. A.*895.
(*b*) *Conc. Bituric. A.*1031.
(*c*) *L.*4. *epist.*12., *&* *de Pœnit. l.* 6. *c.*2.
(*d*) *Id. ib.*
(*e*) *Conc. Londinen. A.*1125., *&* *A.* 1138., *Conc. Parisien. A.*1212.

Praeterea nonnulla crimina *reservarunt*, quae redemtioni obnoxia minime fore decreverunt potissimum a Saec. XIV., & XV. (*a*). Qua sane aetate sensim Ecclesia legem redemptionis pecuniariae abrogare coepit, cum deprehendisset pro Confessariorum plerumque nimia indulgentia, atque cupiditate illam vitia potius fovere. Quare tandem Saec. XVI. Tridentini Concilii Patres *nullas* recipiendas esse mercedes pro indulgentiis statuerunt (*b*), eo ut in posterum confessariis jus fuit pro culpae ratione poenas, haud tamen pecuniarias, poenitentibus praefinire. Plura habes in libro V., ubi singillatim de indulgentiis edisseremus.

C A P. IV.

De Decimis.

IN eo Decimae ab Oblatione differunt, quod haec omnino voluntaria sit tum quoad speciem, tum quoad quantitatem, illae lege quoad utrumque constitutae sint. Oblatio, ut dictum est, Ecclesiae coaeva fuit, minime vero Decimae: quamquam enim trium priorum saeculorum Patres passim Christianos hortati sint, ut in eorum oblationibus Pharisaeorum relligionem vincerent, cum Christus *majore cum abundantia* illud vellet *a discipulis suis impleri* (*c*), nusquam tamen illis quantitatem imperarunt. Quapropter merito Constitutionibus Apostolicis sero addita fuisse videntur praecepta illa de decimis solvendis (*d*). Ne-

(*a*) *Conc. Londin. A.* 1342., *Conc. Salisburien. A.* 1417., & *Synod. Frisingen. A.*1440.

(*b*) *Sess.*21. *c.*9.

(*c*) *Origenes hom.*11. *in l. Numer.*

(*d*) *L.*7. *c.*30.

Neque post IV. Sæc. statim lex decimarum obtinuit, cum illius ævi Patres plerumque *decimarum* nomen usurpent, at latiori equidem significatione; ab ea enim ætate Patres, desumptis a Veteri Testamento argumentis, hortarunt fideles oblationibus præstandis, quas decimas appellarunt, cum eo nomine nuncupatæ forent in Lege veteri oblationes illæ, quæ alendis Sacrorum Ministris fiebant; quæ quidem phrasis nonnullos fefellit, qui jam tum Decimarum legem viguisse opinati sunt. Hi sane Patrum mentem assecuti forent, si Hieronymum (*a*), & Augustinum (*b*) consuluissent, qui Christianos hortantur, haud illis imperant, ut decimas, h.e., oblationes pro ministrorum alimento suppeditent Ecclesiæ pro eorum lubitu, cum *nemo ab illis posset exigere* (*c*), quare ipsa oblatio primitiarum, atque Decimae *Devotio* appellantur Sæc. V. a Cassiano (*d*). Ex quibus colligere est I. a IV. usque Sæc. Christianos decimas obtulisse haud Judaico more, sed pro arbitrio quantitatem moderasse. II. Nullam ad V. usque Sæc. legem adhuc in Ecclesia obtinuisse, qua Decimæ solutio vel definita, vel imperata, vel sancita fuerit. Sic Græci Patres illius aevi Gregorius Nanzianzenus (*e*), & Chrysostomus (*f*) pari ratione de Decimis loquuntur, veluti de indefinita, atque voluntaria oblatione.

At a V. Sæc. Patrum phrasis quamdam veluti legis vim obtinere cœpit, ita ut *quantitas* definita fuerit, & Decimarum species statutæ sint; quod primum fa-

(*a*) *Epist. ad Nepotian.*, & *Comm. in c.* 3. *Malach.*
(*b*) *In Psal.* 146.
(*c*) *Id. ibid.* (*d*) *Collat.* 21. *c.* 2.
(*e*) *Orat.* 28.
(*f*) *Hom.* 18. *in Act. Apost.*

factum est in Conc. Turonensi II. Quin imo sicut antiquiores Patres exemplo legis Mosaicæ, & Christi præcepto de ministris alendis usi fuerant, ut populo Decimarum præstationem suaderent, ita Sæculo VI. invaluit tandem opinio illa, *Decimas* ipsas tum operum, tum bonorum *ex lege Divinitus sancita* deberi (*a*) A VI. itaque Sæc. in dies sancitæ fuerunt nonnullæ circa Decimas leges, rati illas *de Jure Divino* esse. Quo quidem Sæculo etiam in Oriente voluntaria Decimarum oblatio, plane necessaria evaserat, eo ut Episcopi Sacramenta, & Ecclesiæ communionem illis negarunt, qui Decimas solvere detrectarent. At Justinianus hunc *usum* (nulla porro extabat antiqua vel ipsius Ecclesiæ lex) improbavit, atque Episcopis jus laicos huic solutioni ullo modo *cogendi* abstulit (*b*); quare Orientales exinde Decimas solvere cessarunt, quarum vicem apud illos tenuere tributa pro ministrorum alimentis ab eodem Justiniano laicis imperata (*c*), quorum tributorum quantitas definitur in Bulla aurea Isaaci Comneni Imperatoris.

At contra ea in Occidente post VIII. Sæc. passim tum Concilia (*d*), tum ipsi Principes (*e*) leges de præstandis Decimis sanxerunt; ita ut tandem de quacumque re decima pars solvenda fuerit, excommunicationis pœna in refractarios comminata. Hinc de *lana*, *de fœno*, de proventu *molendinorum*, *piscariarum* (*f*), *equitio*, *pomis*, *pyris*, *apibus* (*g*), *de grano*,

(*a*) *Conc. Matiscon.* II. *c.*5.
(*b*) C. *De Episc.*, *& Cler. c.*38.
(*c*) *Novel.* 3., *&* 43.
(*d*) *Conc. Turon. A.* 813, *c.* 16., *Francof. c.* 25., *& Remen.* 11, *c.* 38.
(*e*) *Capitular. Reg. Franc. l.* 2. *c.* 39.
(*f*) *Tit. de Decim. c.* 2. (*g*) *Ib. c.* 6.

no, *vino*, *de fœtibus animalium*, *de butyro*, *de caseo*, *de lino*, *de cannabe* (*a*). Præterea etiam de *negotiationis* proventibus, *de militiæ* stipendio, *de venationis* fructibus (*b*) Decimas exigerunt Clerici.

Quare cum tandem ultro crevisset res, ac Principes deprehendissent Clericorum Ecclesias abunde potiri copiosis redditibus; paullatim primo a Sæc. xv. decimarum solutionem intra arctiores limites coercuerunt, ac demum nonnullis in locis pro cleri facultatibus illarum solutionem moderati sunt. Vide plura, quæ ad novissimum jus ea in re spectant apud Canonistas.

S E C T I O II.

De Benedictionibus Christianorum.

C A P. I.

De antiquioribus Benedictionum formulis.

DEprecatio illa, qua Deum O. M., ut bene alicui sit, oramus, *Benedictio* a Latinis, Ευλογια a Græcis dicitur. *Benedictio* etsi satis Latina vox non sit, literalis tamen interpretatio est græci vocabuli της Ευλογιας. Latinis porro usui fuit vox *Benedictum* apud Terentium, atque Plautum, cum illis famaliaris esset quædam bene ominandi formula, uti: *Bene eveniat*, *tibi bene sit*, ut habes ex Pomponio Comico apud Nonium (*c*). At in re Ecclesiastica tum

(*a*) *Conc. Londin. A.* 1175. *c.* 13.
(*b*) *Tit. de Decim. c.* 22.
(*c*) *Ap. Petr. Victor. Variar. Lect. l.* 9. *c.* 3.

Latinos, quam inter Græcos voces illæ alias etiam subierunt significationes. Græci sane ευλογιαν appellarunt panem ab Episcopo benedictum, de quo sequenti capite dicemus; quam equidem græcam vocem ipsimet Latini eadem significatione adhibuerunt, & medio tandem ævo sic appellarunt panem, ut ut non benedictum, qui dono alicui mittebatur, ut patet ex c. 54. Regulæ S. Benedicti, ubi fallitur Augustinus de Ferrariis, qui *Eulogiarum* nomine quævis munera designari arbitratur, cum in textu Regulæ legat: *Eulogias, vel quælibet munuscula*. Illuc enim differunt *Eulogiæ*, a *munusculis*, cum primæ panem, altera parvi *pretii Xeniola*, ut Johannes Monachus in suo Codice interpretatus est, denotent. Hinc Latini *benedictiones* quoque appellarunt aliquando panes oblatos vel a Clericis Episcopo, vel ipsis presbyteris a fidelibus (*a*). Verum in Liturgia *Benedictio*, Ευλογια appellata est *oratio* quæ ab Episcopo, vel Presbytero pro homine, vel re aliqua fiebat; eaque passim apud veteres *Manuum impositio* dicitur (*b*), cum Episcopi dum verba orationis proferrent, *manibus extensis* super hominem, vel rem, pro qua orabant, essent, eamque Cruce signarent absoluta ferme oratione. Ea porro fuit antiquior *benedicendi* ratio. Quæ autem fuerit Latinorum, atque Græcorum olim benedictio, ac quandonam inter utramque discrimen obtigerit, dicemus fusiori calamo in Dissertatione de Cemeterio Neapolitano.

Benedictionum ritum vetustissimum in Ecclesia fuisse

(*a*) *V. desider. Episc. Carducen. Histor. Francor. t.* 1., *Petr. Damia. l.* 2. *ep.* 14., *Greg. Turon. Hist. Franc. l.*8. *c.* 7.

(*b*) *Ambros. l.* 1. *de Pœnit. c.* 7., *Hierony. ep. ad Eustoch.*, *aliique Patres passim.*

se patet ex Apostolicis Constitutionibus, in quibus nonnullas benedictionum formulas habemus; & a IV. Sæc. in re Liturgica præter Benedictionem, quam populo impertiebatur celebrans, communis etiam fuit illa *panis eulogici*, ut dicturi sumus. Ita Aquæ benedictio pro Baptismate, atque Olei illa antiquissimæ merito habentur. Itidem benedictio aquæ *extra* Baptismum, de qua vide c. III., Benedictio omnium frugum, atque fructuum. Hæ quippe inter vetustiores recensendæ sunt, cum in Apostolicis Constitutionibus (quæ quamvis genuinum Apostolorum opus non sint, antiquiorem tamen canonum, atque rituum collectionem trium priorum Sæculorum esse, nemo post Cotelerium ambigit) eas omnes legamus; quibus accensenda erit Benedictio novi Templi, cujus a IV. Sæc. Patres meminerunt. In secunda autem classe adnumerandæ erunt Benedictio Imaginum Sacrarum, Benedictio domorum, & evulgata illa medio ævo Peregrinorum benedictio *ad Loca Sancta prodeuntium*, Benedictio Thalami, atque Benedictio Navis, quæ in Rituali Romano a R. P. Paulo V. edito habentur. Hae inquam Benedictiones medio ævo obtinuerunt, ut testantur passim illius ætatis *Benedictionalia*, qua denominatione appellati sunt libri, in quibus *benedictionum* formulæ exaratæ erant. Quare animadvertendum heic erit, quod quamquam nonnullæ illarum Benedictionum, quæ secunda classe recensemus, legantur in *Sacramentario S. Gregorii Magni*, a Menardo, & in ejusdem *Benedictionali* a Lambecio in Comment. Biblioth. Cæsareæ tom. 2. edito, illæ tamen VI. Sæc. recentiores sunt, & Benedictionali S. Gregorii a recentiori manu appositæ fuerunt; id quod colligere est ex Auctoribus S. Gregorio M. coævis, qui de illis plane silent, ut apposite se obtulerit occasio demonstrandi in opere, quod italice, Deo annuente, edituri sumus, cui ti-

 tu-

tulus erit: *Historia de' codici Liturgici della Chiesa Latina*.

Tandem in antiquissimis Liturgiæ monumentis in *magnam*, & *parvam* dividitur *Benedictio* (a). *Magnæ* Benedictionis nomine *publicam* designari, *parvæ* vero *privatam*, arbitratur Johannes Clericus (b). At quid sibi velit privata benedictio in re Liturgica satis non intelligimus; hinc conjicimus, *Magnam* potius appellatam fuisse benedictionem Episcopi in Mystica Liturgia populo conlatam; *Parvam* autem nuncupasse veteres, illam, quæ extra Liturgiam solemnem vel a Presbytero, vel a Diacono fiebat. Quo sensu mihi videtur locuta esse inter Latinos Conc. Regense c. 5., & Conc. Agathense c. 44.

CAP. II.

De Panis Benedictione.

A Primis Sæculis publica quædam, ac solemnis Benedictio *panis* obtinuit, quæ in fine Missæ a celebrante fiebat super panes oblatos pro Sacrificio. Cum enim, ut diximus, Diaconus, vel Subdiaconus super Altare ponerent tantum panis, quantum communicandis, qui Liturgiæ aderant, fidelibus sat erat, celebrans absoluta Liturgia panes, qui reliqui fuerant, *benedicebat*, ac omnibus illis, *qui non poterant Sanctorum Mysteriorum* (h. e. Eucharistiæ) *esse participes*, distribuebat in *communionis fraternæ signum*: quare a *benedictione* ipsi panes *Eulogiæ* appellaban-

(a) *Constit. Apost. l. 3. c. 10.*
(b) *Comment. in Const. Apost. ibid. ex edit. Patr. Apostol. Cotelerii*.

labantur, vel *ἀντίδωρον*, h. e., *compensatio* (*a*), cum illi Eucharistiæ vice eo vescerentur. Hinc a IV. etiam Sæc. inter Latinos Catechumenis, quibus Eucharistia denegabatur, nihilominus panis iste *Eulogicus* tradebatur (*b*), qui aliquando *Sacramentum* ab ipso Augustino appellatur, forsan quia benedictione sanctificatus. At medio ævo in fine Missæ celebrans reliquum panem benedicebat, quem in frusta divisum inter omnes, qui aderant, fideles distribuebat (*c*); quod potissimum fiebat die Dominica, in qua ea ætate plebs Christiana Liturgiæ intererat; cujus moris Durandus Mimatensis Sæc. XIII. eam nobis rationem attulit: quod cum antea ea die populus communicaret, ac ea tempestate ter ad summum quotannis Eucharistia vesceretur, eam ob rem Dominica die pro Eucharistia panis benedicti frusta sumebat (*d*). Antiquior autem, quæ superest, formula, qua in Liturgia utebantur Latini ad panem benedicendum, ea est, quam habemus in Rituali Romano pro Benedictione panis secundo loco, quæ incipit: *Domine Sancte Pater* (*e*). Recensior autem est illa, quæ primo loco in Rituali legitur: *Domine Jesu Christe &c.*, quam primo habemus in Missali Gemmaticensi Sæculi XIII. apud Martene (*f*).

Præter Liturgicam hanc panis benedictionem, mos etiam fuit Episcopis potissimum panes benedicere, ac mu-

(*a*) *Vide Can.* 2. *Conc. Antioch. A.* 341. *cum Balsamon. Comment.*

(*b*) *August. De Peccator. Merit. l.* 2. *c.* 26.

(*c*) *V. Missale Ebroicen. Sæc.* XIII. *ap. Martene, & Conc. Burdigal. A.* 1255.

(*d*) *Ration. l.* 4. *c.* 53.

(*e*) *V. Burchar. c.* 28.

(*f*) *Tom.* 1. *c.* IV. *Ordine* XXIV.

mutuo secum inter dono mittere, qua ratione Ecclesiasticam mutuam communionem, atque *unitatem* designabant (*a*), quare hujusmodi panes ευλογιας Græci, & *Benedictiones*, atque *Eulogias* Latini appellarunt, *vel panes pro Eulogia* (*b*). Hinc facile intelliges quid sibi velit phrasis illa apud Johannem Moscum (*c*), nimirum, *Benedictionem unam*, *Benedictiones tredecim*, *panem* nempe *unum*, *panes tresdecim*: qua denominatione quandoque donati sunt etiam panes illi, qui ab uno plerumque inferioris gradus, alteri, uti præposito, mittebantur, ut ille mittenti benediceret; quae equidem significatio (cujus monumenta habes apud laudatum Moscum, & in epist. 1. S. Paulini ad S. Augustinum) præteriit mediæ Latinitatis Lexicographos. De forma panum Eulogicorum vide scitu digna in Dissertatione I. to. 111.

Tandem dicendum restat de benedictione Mensæ apud Christianos. Antiquum fuit ipsis Paganis *Deos invocare cœna, vel prandii initio* (*d*). At Christiani ab Ecclesia condita Christum verum Deum invocabant tum ad cœnam, tum ad prandium; *Non prius enim discumbebatur, quam Oratio Deo prægustaretur... & æque Oratio Convivium dirimebat*, ut loquitur Tertullianus (*e*). Hinc jugi traditione mos ille stetit in Ecclesia, ut *Mensa ab Oratione sumeret initium, & in Orationem desineret* (*f*).

Hæc

(*a*) *Greg. Naz. Orat. 19. in Laud. Patris., & Paulin. epist. 1. ad Sever.*

(*b*) *Paulin. ep. 25. ad Alip.*

(*c*) *Limonarii c. 42., & 75. ap. Meurs. ib.*

(*d*) *Quintil. Declam. 301., & Diotogen. ap. Stobæum c. 41.*

(*e*) *Apolog. c. 39.*

(*f*) *Chrysost. hom. 79. ad Pop. Antioch.*

Hæc autem oratio, quæ initio, atque fine mensæ fiebat, Benedictio medio ævo appellata est, cum a Deo benedictio expostularetur tum ante, tum post sumptum cibum, ut videre est in antiquioribus harum *Benedictionum* formulis, cujusmodi sunt illæ, quæ habentur in c. 43. Regulæ S. Benedicti, & in Addictione ad Capitular. Ludovici Pii addict. 4. §. 48., atque alia apud Alcuinum in Poemate 146. apud Cangium in Glossario Latino. Ita & mos propinandi inter Christianos non nisi quidam Benedictionis modus fuit, cum illi *ad aquæ poculum* (propinabantur mutuo antiqui non ad solum vinum) *sublatis in altum oculis Christum, addito signo Crucis, appellarent* (a). Convivæ bene adprecabantur potissimum ea voce inter Græcos ζησαις, vel ζησαις, h. e., *vivas* (b), quæ formula adhuc nobis reliqua est. Plura de Mensa privata Christianorum habes in VII. Dissertatione to. 3.

C A P. III.

De Benedictione Aquæ.

A*Quæ Benedictæ* vulgo *lustralis* usum in Ecclesia vetustissimum nonnulli ab Ebræis Christianos mutuatos esse opinati sunt, cum *aquæ lustrationis* meminerit Liber Numer. c. 19.. Verum ipsimet Pagani lustrali aqua aspergebantur in eorum Templis (c), velut illa, quæ *maxima peccata purgaret*, ut loquitur Auctor libri de *Morbo Sacro*, qui etsi Hyppocratis, cujus nomine circumfertur, minime sit, vetusti auctoris tamen habetur. Christiani itaque a primis Sæculis

(a) *Greg. Nanzian. Orat.* 3.
(b) *Ex S. Nili l. 2. epist.* 311.
(c) *Ovid. Metam. l. 9.*, *& Virg. Æneid.* 6.

culis *aqua benedicta* usi sunt ad *effugandos Demones*, *morbis expellendis*, atque *insidiis profligandis*, ut testantur Apostolorum Constitutiones l. 8. c. 29. Hinc passim apud antiquos legimus innumera miracula vi hujus aquæ patrata (*a*), ex quibus jugiter majores nostros aqua *benedictione sanctificata* usos esse intelligimus. Hinc tum in Templis tum domi illam servarunt Christiani; quod juvat heic animadvertere, ne quis putet in Christianorum Templis olim sola malluvia aquæ ad manus lavandas fuisse, ut quidam arbitrati sunt; nam præter illam, aqua etiam benedicta in Templo erat: cujus sane rei antiquum nobis suppeditat monumentum Synesius Sæc. v. in epistola ad Anastasium quemdam (*b*), quem ὑδρομυστην appellat. Erat enim in Templo Presbyter, vel e clericis majoribus unus, qui ingredientes, atque egredientes aqua illa benedicta aspergebat, qui quidem ὑδρομυστης appellabatur. Domi etiam aquam benedictam Christianos servasse colligere licet ex Theodoreto de Chrysostomo locutus, & ex Beda (*c*). Hinc factum est, ut in *Exorcizatione* rerum, quæ benedicendæ sunt, atque in ipsa *benedictione* Sacer Minister ea aqua rem illam aspergat ad Demones effugandos.

Ritus benedictionis aquæ a primis Sæculis ab Episcopo, cui Presbyter, ac Diaconus aderant, perficiebatur, vel absente Episcopo a Presbytero, præsente Diacono (*d*). Salis vero, qui aquæ benedicendæ infunditur, nullam olim mentionem fecerunt vel Apostolicæ

(*a*) *V. Theodoret. Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 21., *Epiphan. in hæresi Ebionitar. l.* 1., *Hieron. in vita Hilarion.*, *Theodoret. Histor. Relig. c.* 8.

(*b*) *Epist. n.* 121.

(*c*) *Theod. Hist. Relig. c.* 8., *Beda Hist. l.* 5. *c.* 4.

(*d*) *Ex Constit. Apostol. l.* 8. *c.* 29.

licæ Constitutiones, vel alii Patres; illius enim meminit primo epistola quædam, quæ perperam Alexandro I. Rom. Pontifici tribuitur, & Liber Pontificalis Damasi nomine, quorum apocripha testimonia nullius erunt momenti eruditis viris; hinc colligimus hunc ritum ad VIII. forte Sæc. obtinuisse, cum illius ætatis Scriptores de eo loquantur (a). Antiquissima formula benedictionis, quæ tum pro aqua, tum pro oleo erat, habetur in laudatis Constitutionibus Apostolicis l. 3. c. 29., in qua effectus aquæ benedictæ describuntur, in ea enim legimus: *Ipse* (h. e. Deus) *nunc per Christum Sanctifica hanc aquam . . . da vim . . . . . demonum fugatricem, morborum expultricem, & omnium insidiarum profligatricem*. Longior sane est ritus, atque formula benedictionis aquæ, quam habemus in Rituali Romano, ubi aqua etiam & sal exorcizantur, qui sane ritus, atque formulæ circa VIII. Sæc. invaluerunt, ut tum a laudatis Scriptoribus Liturgistis, tum a Sacramentariis illius ævi apud Martene, Mabillonium, atque Hittorpium colligimus. Quid vero sentiendum sit de ritus hujus benedictionis antiquitate, qui in Benedictionali S. Gregorii Magni habetur, dicemus in opere *Della Storia de' Codici Liturgici della Chiesa Latina*. At pauca tamen de hujusmodi re heic delibare oportet, cum ad examen nullus adhuc revocaverit hujus ritus antiquitatem. Sane plures habentur codices Sacramentarii S. Gregorii Magni, nimirum Menardi, Pamelii, Angeli a Nuce, quibus accessit Benedictionale Gregorianum editum a Lambecio Bibliothecæ Vindobonienfis tomo III.. Præterea Monachi Congregationis S. Mauri ad veterum aliorum codicum fidem exa-

(a) *V. Durantem De Ritib. Eccl. l. 1. c. 21.*

expenderunt Gregorianum Sacramentarium, additis diversis lectionibus, præsertim codicum Remensis Monasterii S. Theodorici, Ratoldi, atque Calensis, quæ omnia habes in III. tomo Operum S. Gregorii Magni Edition. Paris.

In his itaque codicibus alius idem est ritus aquæ Benedictæ. In Sacramentario Menardi, quod antiquæ notæ habent Maurini, habetur salis exorcismus, atque benedictio, quæ ad literam respondent illis Ritualis Romani. At in antiquioribus etiam Codicibus Remensi, & Ratoldiensi salis exorcismus, & Benedictio desideratur, cum pari modo de eo sileat antiquior Ordo Romanus IX. Sæc. apud Mabillonium. Hoc sane silentium antiquiorum codicum argumento nobis fuit, ut recentiorem VI. Sæculo hunc ritum habendum esse arbitraremur, atque Sacramentario Gregoriano insertum: quod neque novum erit, cum notum sit eruditis Sacramentarium illud, retento Gregorii nomine, in dies novis ritibus auctum fuisse pro locis, atque Ecclesiarum, quæ eo utebantur, ratione. Quod enim Salis exorcismus in Sacramentario Menardi habeatur, nullum nobis negotium facessit, tum quia in vetustioribus ejusdem Sacramentarii Codicibus, atque Scriptoribus IX. Sæculo antiquioribus desideratur, tum etiam quod ritus illius Sacramentarii potissima, atque necessaria parte benedictionis caret. Ibi enim ad aquam benedicendam, præscribitur Exorcismus & benedictio salis, deinde exorcismus, & oratio pro benedictione aquæ, demum concluditur ritus unica oratione *ad utrumque*, neque verbulo quidem fit mentio signi Crucis vel in ritu, vel in ipsis orationibus. Quis itaque non videt ritum hunc maximæ ignorantiæ Sæcula redolere, si majores nostri aquæ benedictionem, quanta est, in Crucis signo reposuere? την σταυρου σφραγιδα, ait Epipha-

phanius (a) *in signo Crucis*, quo ex hujus phrasis indole veluti character quidam aquæ imprimebatur. Itaque ex his intelligere licet nihil adversari nostræ conjecturæ, qui ritum salem aquæ immiscendi in hujusmodi Benedictione ad VIII. vel IX. Sæc. amandavimus. Tandem animadvertendum est, salis exorcismum esse VI. Sæc. antiquiorem, cum de eo velut antiquo ritu meminerit Isidorus Hispalensis. At sal exorcizabatur, non ut aquæ immitteretur, sed ut catechumenis impertiretur, veluti Relligionis Sacramentum a IV. jam Sæc. Hoc porro eodem Salis Exorcismo ad aquam benedicendam deinde usi sunt. Heic dicendum forte esset de abusu aquæ benedictæ apud Christianos medio ævo; at apposite de illo nobis edisserendum erit in Dissertatione VI. *De superstitionibus Christianorum medii ævi* to. III.

C A P. IV.

De Benedictionibus Cibariorum, Fructuum, Vestium, Domorum &c.

CUm olim uniuscujusque rei *primitias* Episcopo offeret populus, ut passim testantur inter vetustiora monumenta Apostolorum Constitutiones, ac postea Patres fere omnes, moris erat Episcoporum illas benedicere. Hinc ortæ benedictiones Cibariorum, ac frugum cujusque generis, quæ in Ecclesia stetere etiam postquam primitiarum oblatio obsolevit. Hujus autem benedictionis formula, quam in Antiquiori Canonum Apostolicorum Collectione habemus ea est (a):

(a) *L. 1. adv. Hær. t. 2.*

(*a*) : *Domine, qui Cœlum, & Terram creasti, te supplices quæsumus, ut hunc fructum novum benedicere, & sanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti, & vini, ut lætantes in iis referant tibi Deo Omnipotenti laudes, & gratias, per Christum &c.* Ex quibus verbis nonnulla retinuerunt medii ævi Benedictionalia, postquam primitiarum oblatio desueta est. Hinc formulæ Benedictionum deinde obtinuerunt, in quibus nulla habetur oblationis mentio, cujusmodi sunt illæ cibariorum, atque frugum, quas in Romano Rituali legimus, quæ plerumque post VIII. Sæc. invaluerunt; ad quam ætatem videtur etiam obtinuisse benedictionem illam *pro re Ecclesiæ* (vel *Basilicæ*, ut legit Menardi Codex) *oblata ad ornatum* in Sacramentario Gregoriano edito a Monachis Congregationis S. Mauri to. III. Operum S. Gregorii Papæ, & in Veteri Sacramentario Gallicano edito a Mabillonio.

In eodem Sacramentario Gregoriano habentur duæ benedictiones *ad linteamina, vel ad omnia in usum Basilicæ*, quæ quidem longe differunt ab illis, quæ habentur in Rituali Romano, perinde ac illæ pro benedictione *Patenæ*, *Calicis*, ac *Turris*, vasis nimirum ad Eucharistiam conservandam. Nam pro hujusmodi benedictione in Sacramentario Gregoriano Menardi quinque leguntur formulæ, quæ pariter habentur in antiquioribus codicibus Ratoldiensi, & Remensi illius Sacramentarii, etsi quinta formula ceteris antiquior videatur, eo quod paucis, iisque vel levioribus immutatis, reperiatur in laudato Sacramentario Veteri Gallicano. At quæ habentur in Rituali Romano

ne

(*a*) *Ap. Coteler. in Codic. Canon. Apostolor. Vindic. c. 2.*

ne uno quidem verbo illis congruunt; quæ quidem formulæ post XI. saltem Sæculum invaluerunt, cujus ævi Scriptores primi earum meminere (*a*).

Domus Benedictiones tres etiam habentur in Sacramentario Gregoriano. Harum prima ea est, quæ habetur primo loco in Rituali Romano, in quo altera, quæ dicitur *Benedictio domus novæ*, est recensioris nimium notæ, primum enim illius vestigium observare licet in Codice Sacramentarii Corbejensis Sæc. XII. apud Martene.

Legitur in antiquioribus Sacramentarii Gregoriani codicibus *Benedictio ad omnia, quæ volueris*, cujus formula est: *Benedic Domine creaturam istam: ut sit remedium salutare generi humano, & præsta per invocationem Sancti Nominis tui, ut quicumque ex ea sumerit, corporis sanitatem, & animæ tutelam accipiat. Qui vivis, & regnas &c.* Hæc autem formula in Rituali Romano dicitur: *Benedictio ad quodcumque comestibile.*

Habemus etiam in Rituali Romano *Benedictionem novæ Navis*, quæ omnino desideratur in antiquioribus Sacramentariis tum Gregoriano, tum Gallicano. At forte illa desumpta videtur a quadam alia formula benedictionis, quæ in Benedictionali Gregoriano edito a Lambecio ex Codice circa Sæc. forte VIII. scripto legitur; ibi porro illa dicitur: *Benedictio cum Navis ascenditur.*

Ritus etiam benedictionis Peregrinorum, qui habetur in Rituali Romano, uti prostat, antiquior XII. Sæculo minime est. Ea sane ætate ex veteri *Missa pro iter agentibus*, quæ extat in laudato Sacramentario Grego-

(*a*) *V. Vulg. Alcuin. c. de Benedict.*, *& Ordin. Rom.* III.

goriano, & ex ejusdem Sacramentarii *Orationibus*, quæ *pro fratribus in via dirigendis* inscribuntur, collecta fuit ea, quæ ibi legitur, benedictionis formula. Ultima sane Oratio: *Exaudi Domine preces nostras &c.* κατα λεξιν ea est, quæ habetur secundo loco præsertim in laudato Benedictionali Lambecii. Satis itaque sit hæc de Benedictionibus dixisse, cum de infirmorum benedictione, De benedictionibus pro delictorum purgatione, de mortuorum benedictione, deque nonnullis aliis pro re nata sequentibus libris dicemus.

Explicit Liber tertius, & Tomus Primus.